DE APPROBATIONE DOCTRINÆ SANCTI THOMÆ AQVINATIS

Libri Septem

TRIBVS COMPREHENSI TOMIS:

TOMVS IN ORDINE SECVNDVS,

LIBRVM TERTIVM COMPLECTENS ET QVARTVM.

DE SOLVTIONE OBIECTIONVM
tum in approbationes doctrinæ Sancti Thomæ,
tum in discipulos eiusdem.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. HIERONYMVM
BASADONNA,
D. MARCI PROCVRATOREM.

AVCTORE

F. SERAPHINO PICCINARDO
BRIXIENSI
ORDINIS PRÆDICATORVM

Sacræ Theologiæ in Prouincia Magistro, olim Patauij Metaphysico, nunc Publico ibidem Theologo, in via S. Thomæ.



PATAVII, MDCLXXXIII.

Sumptibus Petri Mariæ Frambotti Bibliop. *Superiorum permissu.*

Digitized by Google




Illustrissimo, & Excellentissimo Domino

SENATORI AMPLISSIMO ET D. MARCI PROCVRATORI

D. HIERONYMO BASADONNA,

A QVO, DVM REFORMATOR ESSET, Patauium Auctor reuocatus est.



Litteraria munera more receptum est Primatum, Magnorumque virorum, inscribi nominibus, à quibus veluti pro eorundem magnitudine liceat litterarum tutamen excipere, aut praestolari. Hac vna, fateor, mei consilij ratio, si alia quaecunque deessent (quas tamen plures adesse subijciam,) me quidem consule, satis esset (Praestantissime Senator) vt ab omni aemulatione, ac partium studio alieni homines comprobarent, bonique consulerent, quod tua comitate ferente, vel saltem non dedignante, grandisonum tui nomen, in huius mei voluminis asciuerim patrocinium. Tua etenim (si amplitudo quaeratur) ea inter primates gentilitia familia est, quae tot habet in numerato heroum lumina, quot fumosas auorum imagines, tot Senatus flores, *quot stirpis germina, tot illustriora gesta, quot lustra. Ea est, quae vel saeculi, vel Ecclesiae primoribus honestamentis, aut titulis, plus decoris addidit, quam recepit, plura meruit, quam obtinuerit, magisque meritorum in alios, quam praemiorum in se ipsam amplitudine gloriatur. Ex ea (ne remotiora per tempus, sed proximiora tibi, nobisque notiora summis adminus labijs hic tangam) Patruus tibi, Patriaque, ferè dixerim, Pater, Ioannes Basadonna promicuit, qui nobili prius per totam fermè Europam peregrinatione, dum gentium mores studiosissime quaesiuit ac calluit, verum & omnium animos in se gentemque suam officiosissimè deuinxit, ac vinxit, deinde patriae restitutus, grauioribusque ab Excelso Collegio reddendis admotus oraculis, tot reddidit argumenta prudentiae atque sapientiae, vt raro (ne dicam inaudito) exemplo, quaterus vixit per bene teraenas vices Magni Sapientis (vt vocant) seu Praeconsultoris munere functus sit. Ex ea praefulsit & tui Genitor, spectatissimus il-*

le

le Senator Aloysius, qui eximium generosæ præsertim, ac nobilis ingenuitatis (ut ita dicam) exemplar, adeo in cæteris quoque virtutibus fratrem imitatus est, ut probatissimum eiusdem decus velut gentilitium generosumque virtutis germen vividius adhuc inposteris corusćaret, nisi nunc forsan maiora filiorum lumina obductis veluti paterno nitori tenebris præfulgerent. Ex ea subindè etiamnum viget Eminentissimus ille, virtute magis, quam Purpura, Petrus Cardinalis Basadonna, qui, ut prætercam nota iam omnibus per omnes Serenissimæ Reipublicæ gradus exacta cum omnium plausibus decoramenta, usque ad Procuratoriam Divi Marci Chlamydem, probatamque in moderanda hac nostra Universitate Patavij sapientiam, in tractando Romæ pacifero Caduceo Mercurij prudentiam, dum ortis Gallicis sub Alexandro dissidijs erat ipse tum Romæ Orator apud Summum Pontificem, ut fuerat mox ante apud Hispaniarum Regem, summa cum Nuncio ibidem Apostolico (qui postea fuit Clemens IX.) necessitudine iunctus, præter hæc, inquam, omnia, cæteraque maiora, est super omnia conspicuus ea inopinata, & exorta dumtaxat ex proprio motu Pontificis Clementis X. inauguratione ad Purpuram (cum minor à minus amantibus de promotione pro Regia Veneta Maiestate spes haberetur) insuper decorata non solum ultroneis, & encomiasticis Summi Pontificis, & Cardinalium epistolis, verum & Regum exterorum, ac Principum per litteras plausibus, adeoque communem iam laudem supergressus est, ut integro numero virtus absoluta eiusdem novi utique nunc commendatione preconij non egeat. Ex ea tandem ades & ipse, Illustrissime, & Excellentissime D. Marci Procurator, de cuius tot præfulgidis titulis, encomijs, ac dotibus, si vel tua modestia perferret, vel mea in dicendo tenuitas non præpediret, quot, quæso, non quidem Oratoris arte tractanda, sed nuda, ac naturali Historici methodo enarranda suppeterent, aut abundarent! Viget adhuc in nobis genteque Dominicana tradita ab audientibus fama, dum hic Patavij celeberrimus ille ex nostris acerrimi ingenij, ac inexhaustæ eruditionis vir (quem nominare sufficiet) Thomas Turchius Publicus Methaphysicæ Professor adesset, postea renunciatus totius Ordinis Generalis, ipseque tunc tertium ætatis vix lustrum attingeres, Te extemporanee quendam obstrusiorem Cornelij Taciti textum expeditè adeo, atque concinne, se coram eleganti ac erudita adiuncta periphrasi exponentem tam seriò admiratum esse, ut merito admiratione simul indicarit & verbis (nec hominis emunctæ naris præsagio fefellerit) Te magnis iam natum executurum in opere eam civilem prudentiam, quam scriptis Tacitus edocebat. Comprobavit id ipsum eventus, dum postea admotus gravioribus curis, transgressusque Prætextam, imperturbabili pietate in sacra, dexteritate in arduis, comitate ad singulos, beneficentia in omnes (quibus præsertim dotibus velut in te nativis excellis) exinde vel eloquio animos, vel beneficijs obsequia, vel suffragia iudicijs, vel gestis laudes, vel meritis dignitates, vel virtutibus omnium plausus rapuisti. Id ipsi vidimus, & manus nostræ contrectaverunt Patavij, cum Te Excultissimo in hac Urbe Prætore (dum olim ipse Methaphysicæ Cathedræ, fractis licet iam viribus, præsiderem) eam in te omnes, quæ plurimum impellit homines, arcanam quandam vim, amabilem simul ac venerabilem virtutis potentiam admirati sumus, eam cum morum suavitate maiestatem, quæ placide demulcendo de repente subripit in obsequium, & eam tandem beneficentiæ iustitiam, & cum lenitate prudentiam, quæ cum amore pavorem in subditis nutrit, & cum reverentia fiduciam in obsequentium animis harmonica quadam

dam

dum consonantia conciliat, ac seruat. Probauis & Regia Vrbs, in qua toties cum fascibus, at sine fastu fuisti, mox inter Decem-viros, mox Selecto Rogatorum coetui, mox Excelso Collegio, honorificentissimè vbique, conscriptus, excultus, & demum Reformator Studij cum esses, simul D. Marci Procurator cum adeo ingentibus insolitisque plausibus renunciatus, auditus, exceptus, ut si hac latius per singula prosequi, aut pensitare pro rerum pondere meditarer, nec tibi ingenita modestiae grauitas, nec mihi debita scriptionis breuitas id paterentur, & vel in te aemulationis occasio, vel in me forsan aßentationis suspicio procrearetur, aut timeretur. Haec omnia tamen, quae non egent interprete, tam in se ingentia sunt, vt superabunde pro sua magnitudine probent, quanta ipse ratione perductus, non quod tui nominis magnitudo hac libelli epigraphe indigeret, sed vt libelli potius tenuitas sui granditate nominis iuuaretur, in exoptatum patrocinium eiusdem, tuam inscripto nomine clientelam iam ab initio precatus sum, denuoque nunc precor. Verum & aliae praeter hanc fortasse communem, singulares mihi, propioresque rationes non desunt, non solum quod olim, cum Methaphysicae Profeßor adessem, aut moderante, ante Purpuram, Eminentiss. Fratre tuo Patauinum hoc Studium, aut postmodum te subeunte Praeturae Patauij paludamentum, aut cum denuo Patauium sub Theologi munere regressus sum, te existente supremo Reformatore Studiorum, tot semper vbique ab vtriusque Clementia velut à gemino litterarum Mecanate benefica comitatis argumenta percepi, non solum, inquam, adhuc ob hac, sed propius vltro, quod stato tempore ipso, quo perficiendae huic meae lucubrationi per manum admotam tabulae adhaerebam, me inopinantes (nec fere sciente sedem vacantem) à te vestigio dignante in me ipsum, meamque tenuitatem, vltroneas inflectere pupillas mentis, atque à consentiente Illustrissimo, & Excellentissimo (cui praesidebas) Reformatorum Collegio, in hanc repente supremam Theologiae Cathedram, immeritus licet, per datas epistolas reuocari me sensi, obsequentisque admiratione correptus animi obstupui in Consessu tam venerando, vel nomen hominis memoratum, de quo nec, si viueret, cogitandum fore arbitratus essem, tam exigua semper de me in me ipso aestimatio fuit. Sed vicit Tua, Collegarumque tuorum superior longe angustiorque generosa benignitas, quae si non Vniuersitati me ipsum (qui nullius sane tam numeri eram) saltem mihi Vniuersitatem (quam, ne perirem, amiseram) restituere dignata est, voluitque in hoc ipso imitari supremam Numinis bonitatem, quae nulla re indigens, non sui, sed nostri beneficio prouentus nostros promouere solet, & licet praesciat nos haud posse pro receptis muneribus reddere, quod deberemus, vult tamen adhuc absque vllius nostri meriti praecedentis pretio sua gratuita semper potiora bona donare. Hanc pariter denuo te aemulaturum esse in hoc vltro confido, vt exile, quod valeo, pro longe maiori, quod vellem, eo animo non dedigneris excipere, quo Deus obsequia nostra, nec quidem respuit, vel habet ingrata, sed immo eisdem licet imparibus sibi, suo tamen in nos iuri seruando, patitur & nosmetipsos, si non sua, quae iam recepimus doña, saltem (quod optimum est) & demereri se ipsum. Hoc tuo imitandi Diuinam bonitatem consilio confisus, meae oblitus infirmitatis accessi, & tuam rursus in huius operis nuncupatione laudans, atque exorans clementiam, vt tuo me munitum nomine patereris aduersus tacitas forsan morosiorum querunaam sugillationes, quibus sua dumtaxat placere solent, quibusque mos est in aliena despuere. Et quamuis, fateor, suspiciendi tui nominis clientela eo etiam essei mihi expetenda flagrantius, quo magis mihi omnia ex me

prassi-

præsidia deficerent ; occulta tamen vlterius nescio qua æquitatis conscientia causæ (quam hic propugno) hac vna etiam conditione contentus eram , & essem , vt si patroni unquam nomen abnueres , munus adminus iudicis non recusares , possemque , si nolles defensoris personam induere , & mallem immò ad te adhuc adminus appellare vt censorem eorum , quæ ipse hic scripserim , tuque perlegeris , & eorumdem , qua maximè polles sapientia , discernendorum vt arbitrum . Quod vltrò tandem nostræ disputationis iudicium , (pro iudicio saltem sapientum loquar) aut malit quis dicere , prouocationem ad tuum subselium , me haud consecuturum esse diffido ; nec immò verebor , qui te nouerint æqui iudicij , animique virum , fore id aliquos minus probaturos , maliue consulturos homines esse , qui velint saltem res ipsa æqua lance perpendere , atque nostra , quæ ipsi hic scribimus , seu respondemus , collata cum alijs cæterorum , quæ soluimus , semoto studio partium , discernere aut iudicare . Vale interim , & tibi , & nobis , & Orbi simul litterario , Patriæque viue.

Excellentiæ tuæ Illustrissimæ

E' Conuentu S. Mariæ Gratiarum Patauij

Humillimus Addictiss. & Obsequentiss. Ser.
F. Seraphinus Piccinardus a Brixia Ordin. Præd.

PRÆ-

Præfatio ad Lectorem.



I camporum sentes arator vomeris scissione non eruit (iuxta Gregorium lib. 8. Moral. cap. 2.) *terra accepta semina in segetes non producit.* Nec absolutam proindè Scholastici solent dissertationem aliquam arbitrari, nisi post præmunitam probationum agminibus veritatem, hostiles etiam deinde obiectionum acies prò debellanda falsitate prosternant. Primum nos in anteriori tomo huius primæ partis de Approbatione Doctrinæ S. Thomæ præstitimus, secundum indè in hoc secundo eiusdem primæ partis volumine, *de solutione obiectionum in singulas approbationes doctrinæ S. Thomæ aut in sectatores eiusdem*, aggredimur absoluendum, eo non minus prospero, vt speramus, euentu, quo magis (vt Augustinus aiebat epist. 56.) *cognitio veritatis omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & diiudicare, & subuertere idonea est.* Nullum propterea facesset, aut nobis, aut legenti, negotium tot congestarum obiectionum in re præsenti colluuies, si perpendatur Heterodoxis, siue obtrectatoribus Angelici Doctoris Ecclesiæ, hunc morem adesse, vt conentur magis præstabilita succutere, quam à se, fuisse, polita stabilire. *Ita enim fit* (vt monebat in lib. præscriptionum & Tertullianus) *vt ruinas facilius operetur stantium ædificiorum, quam constructiones iacentium sit ruinarum.* Hinc etiam ex prima Corinthiorum cap. 11. *Oportet hæreses esse vt probati manifesti fiant, dum* (vt Augustinus exponit Ser. 98. de Temp.) *idcirca doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, vt fides nostra non otio torpescat, sed exercitationibus elimetur.* Vbi alioquin (ex Gelasio primo in epist. ad Anastasium Augustum) *impeti etiam possunt humanis præsumptionibus, quæ diuina quoque sunt constituta iudicio, vinci tamen quorumlibet potestate non possunt.* Vnum attamen (fateor) hoc non obstante, dolemus, post Vvicleffum, Lutherum, aut cæteros Heterodoxos iam fatigatos, aut fractos, et perhibitis Catholicorum responsionibus prò S. Thoma, olim dehonestato ab eisdem, nunc vno, aut altero denuò incautè consentiente cum illis, in impetendo recenter sub nomine catholicorum scriptorum decora eiusdem Angelici Doctoris Ecclesiæ, & cum integra Schola approbationes tam venerandæ doctrinæ eiusdem, dolemus, inquam, vix nos non cogi cum Nazianzeno repetere in Orat. ad Episcopos. *Non iam vltro cum dogmatibus hæreticorum, sed cum inuidia pugnare compellimur, cum hostibus atque cum iocis: illi saltem pectus feriunt, minusque voti compotes fiunt, dum qui apertas inimicitias gerit, facile caueri potest: hi verò & terga obseraant, magisque molesti fiunt, dum qui minime suspectus est, perniciosius vulnus infligit.* Quis etenim credidisset vnquam Orthodoxorum aliquem (nisi laruatus lateat sub catholici scriptoris nomine Heterodoxus) ausum esse, nedum ore, sed calamo, tum impressisque libris euertere, aut pessundare conatum esse eas etiam mirabiles prò doctrina Angelica approbationes, non solum Ecclesiæ calculo communitas, verum etiam (quod valde prò veritate admirandum, dolendumque prò inimicia eiusdem, seu falsitatis patronis) ab ipsis vltro Hæreticis, post Lutherum, Erasmumque scribentibus, comprobatas? quemadmodum, præter cæteros, cæterorumque nomine etiam professi sunt Centuriatores Magdeburgensis hæretici Centuria 13. cap. 10. rum columna 1194. recognoscentes illud Anachoretæ præsagium ad matrem grauidam de S. Thoma dicentis, *doctrina sua mundum illuminabit*, tum illud continuo de eodem adhuc adolescente Beati Alberti oraculum, *Bouem illum mutum suo mugitu terrarum orbem repleturum*, mox column. 1195. innumera eiusdem scripta, quorum aliquæ nonnulla quidam sub dubio reponere conati sunt, mox col. 1196. & compositum ab eodem officium de S. S. Corpore Christi, quod alter quidam (vt supra retulimus lib. 2. quæst. 7. art. 2.) nuper S. Thomæ subripere nitebatur; mox fol. 1196. *ad eam scientiam, non ingenij sui industria peruenisse, sed sola oratione impetrasse dicitur*; mox candem laudata colum. 1196. sequentia hæc omnia comprobantes, vt certa, (quæ nouus scriptor *Nodorum* non erubuit velut ficta contemnere) *cum aliquando* (inquiunt) *in textu scripturæ dubio, & difficili hæreret, visus est Petrum, & Paulum videre Apostolos, qui explanarent &c. & non multo antequam finem viuendi faceret, apud Neapolim in Ecclesia Dominicanorum ad Crucem ligatam conuersus; orans hæc verba audiuit: Bene de me scripsisti Thoma, quam ergo recipies tui laboris mercedem? ille verò; non aliam præter te.* Hæc olim illi, vt Lutheri sectarij, sic hostes Thomæ, & Ecclesiæ. Hæc ipsi Heterodoxorum Coryphæi: hæc quo adhoc saltem laus ex inimicis facta est. Quid de Catholico inde (vt nomine tenus præsumitur) scriptore *Nodorum*, qui inscripto (licet postea proscripto Romæ) ex proposito opusculo in hæc eadem adeo fauentia doctrinæ S. Thomæ miracula debacchatus est? hic nempe erat dumtaxat (vt duo nostri fecere per paucissimas ad pauciora, nec pleraque obiectionum capita responsiuas pagellas, velut extemporaneè scribentes epistolas, aut alieno occupati argumento) erat ne, inquam, in extima solum superficie tangendus, vel potius data opera, ac nullo dimisso causationum momento (vti nos præstandum assumpsimus) repellendus? De hoc sane proscripto libello vt dicam ingenue, quod intime sentio, si perlitet adhuc, aut perlegatur ab aliquo, simulque expendantur, non dicam, quæ tot respondimus ipsi, sed ea tantum, quæ modo, vel concessa ab hæreticis, licet D. Thomæ contrarijs, celata sunt, *puto* (vt August. aiebat lib. 3. in Iulianum cap. 13.) *quod ipsum libri atramentum*

erubescendo conuertetur in minium. Resipisceret immo fortasse & scriptor ipse, si viueret, *imitando* (iuxta Hieronymi verba epist. 91.) *Stesithorum inter vituperationem, & laudes Helenæ fluctuantem, vt qui detrahendo oculos perdiderat, laudando recuperaret*; & disceret tandem, ex tot defensis hoc libro approbationibus, imposterum venerari magis probatam per illas S. Thomæ doctrinam Nouiores quidam imitatores Demophontis antiqui, qui *Demophons* (ex Laertio in Pirrhone) *Alexandri Mensarius in vmbra calefiebat, in sole vero rigebat*, longè sine dubio dissimilis alteri, *quem Aristoteles se vidisse testatur* (vt habet Olympiodorus prax. 66. in Phædonem Platonis) *qui solum radijs solaribus nutriebatur*. Nec credo minus vellem subir de fore (post priorem huius voluminis librum *de solutione obiectionum in approbationes S. Thomæ*, de quo nunc diximus) & alterum e vestigio sequentem *de solutione obiectionum in discipulos S. Thomæ*, cuius argumentum ex parte fateor, disertissimo dicendi genere, duos ex nostris antea præoccupasse. Verum, cum verbis (ne dicam iurgijs) magis quam rebus incumbere visi apud aliquos, reprehensioe sint, nec cum aliquo præiudicio proindè causæ, quæ agebatur, & sine nostrarum detrimento rerum, eorumdem libri, vel consulentibus plerumque nostris, suppressi sine iniuria sint, nos in hoc libro studuimus pro armorum robore potius, quam ornamento, & de penu plerumque aut promptuario armamentarioque nostro (vt conferendo videbis) rebus magis decertare quam verbis, probatisque dumtaxat a iure pugnandi artibus, præsidijs, aut munimentis, pedem sic pedi conferre, vt nec pacificam adhuc scholæ palæstram transgrederemur, neque de nobis iterum tanquam minus ostendentibus direpta de hostium manibus armorum spolia, quam ostentantibus magis luxuriantis, tumentisque eloquentiæ triumphos, cum Tacito reperiretur annalium 4. *Priores duces sibi impetranda triumphalium insignia, sufficere res suas credebant, hostem omittebant: iamque tres laureatæ in Vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam hostis auctus Maurorum auxilijs*. Obseruauimus proinde Gregorij Nazianzeni verba in orat. ad Episcopos, *non aduersarios contumelijs, conuitijsque petendo, quemadmodum plerique faciunt, non cum dogmate, sed cum dogmatis assertore pugnantes*. Immò, si vnquam rigidiora quædam alicubi verba reponere, nobisue permittere, coacti fuimus, *Patrum tantum scateatus* (vt aiebat Bernardus epist. 77.) *aut verba protulimus, non nostra, eo quod nec nos essemus sapientiores Patribus nostris*, seu, cum Petro Cellensi lib. 1. mysticæ expositionis Mosaici tabernaculi, *hæc ideo summatim de dictis Sanctorum recollegimus, vt si opusculum nostrum propter se displiceret, propter has saltem Sanctorum reliquias*, (aut phrases) *non vsquequaque abijceretur: etsi enim ligneam pixidem propter se non suspicias, tamen quia continet Sanctorum corpora, aut Ossa, debita veneratione illam excipiens, summis digitis lotisque manibus, lignum tenens, aliter quam lignum honoras*. Non omisimus tamen, vel vera, vel falsa laruatorum scriptorum nomina (etsi qui fuerint ignorari vellemus) suis saltem aliquibus nuncupare locis, ne accusaremur cum illis a Luciano in Hermotymo non iniuria derisis, *sarmentorum seu stipularum fasciculos nobis propositos impetere telis, deinde ambitiosè gloriari homines armatos velut in vera pugna vicisse*. Hac vltrò simul & nos occasione tot rerum nostrarum emolumenta, nec nobis tam nota antea, fermè offendisse gloriamur, *vt nobis* (iuxta Nazianzeni phrasim in Basilij laude) *diuerso modo idem, quod Sauli, accidisse putemus, qui patris asinas quærens regnum inuenit, plusque lucrifecit in ea re, quæ ipsi secundariæ curæ erat, quam in ea, quæ potissimum agebatur*. Neque aliunde, quæ nobis probro imponuntur, si hæc scripta nostra perpendas, aliquid obfutura nobis perspicies, Lector, obseruans ea de obtrectatoribus Gregorij verba lib. 2. Moral. cap. 7. *dum in nimia inrectione prodeunt, etiam increpando mentiuntur, & cum non possunt reprehendere iustè, quæ sunt, reprehendunt etiam mentiendo, quæ non sunt*: immò, vt subdit lib. 8. epist. 45. *quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, vt vndè plus detractionis perflant, indè magis nihil videant veritatis*? Propterea eosdem repellentes, simulatque spernentes, *cum possemus & nos cauillari diserte* (vt Augustinus loquebatur lib. 1. in Petilianum cap. 32.) *ego tamen non egi hic, vt efficiar hominibus cauillando superior, sed errorem potius conuincendo salubrior*, imitatus prò viribus illam nostri Præceptoris Angelici tolerantiam, qua (attestante cum alijs Bartholomæo de Capua in eiusdem Canonizationis processu) modestissimè etiam coram se disputantium effusa iurgia ferebat, quamque, (præter aliam in Tertulliano de patientia cap. 15. elegantissime pictam ideam) prædescripsisse videtur Prudentius in sua Psychomachia sic habens

> *Ecce modum: grauis stabat patientia vultu*
> *Per medias immota acies, variumque tumultus,*
> *Vulneraque & rigidis vitalia perata pilis.*
> *Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.*

Atque hic ipse, dum ea Thomæ sic maoet effigies, venerans ex animo eandem, imitansque vel silentio, manebo; tu interim, Lector ingenue, hæc nostra boni consulas. Vale

Et grauiora typographi menda sic emendare digneris.

Pagina 3. dicantur. dicatur. 11. Præceptoris. Preceptori. 28. illos. vllos. 33. affirmancum. affirmandum. 41. Cassinensibus. Cisterciensibus. 47. sensa sensu 57. annis. annus. 80. sess. sect. 174. oppugnarunt, propugnarunt. 186. præcastos. præstiti. 193. temporale. temporalem. 197 impatata. imputata. 200. turbantas. tutantes. 203. quos. quas. 206 Gi. Si. 210. 4. sextum. 214 operiamur. aperiamur. 227. dementantis. dementanti. 231. ablegari. ablegare. 235 offenderit. offenderint. 238. trepedantur. trepidantes. 239. quemdam. quædam. Ibidem. grauissimus. grauissimis. 252. Magistro. ministro. 265. græcè. græcæ. 321. posthabuit. postierunt 326 arcane 327. Religiones. Religiosos. Adde ad pag. 34. ex Salmanticensibus tom. 7. de fide disput. 9 num. 33 inter propositiones *piarum aurium offensiuas* numerari & istam, *si quis asserat, plura in Breuiario contineri apocrypha &c.* & demum ad pag. 270. vbi ea sabellico *dicuntur* 91 lib. 8. versus 6. numerantur. *Fratres* 4000 sic corrige. *Et in his mulieres* 16000, vt Sabellicus loquebatur.

Digitized by Google

Bullæ aut Diplomata in approbationem doctrinæ S. Thomæ, quæ in hoc tom. 2. referuntur aut defenduntur.

B V L L A

IOANNIS VIGESIMI SECVNDI

In Bullario Nouo Romæ impresso inter Constitutiones Ioannis XXII. existens.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Venerabilibus Fratribus Vniuersis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, alijsque Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.



Redemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei Verbum in Virginalis vteri thalamo Sancti Spiritus cooperatione conceptum, caro factum est, & habitauit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, cœlestia reserans, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquij testimonijs futura eadem esse confirmans, tandem se Deo Patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens à mortuis, & per quadraginta dies apparens discipulis, & loquens de regno Dei, ipsis cernentibus est eleuatus in Cœlum, & captiuam ducens captiuitatem *dedit* dona hominibus, quibus patescere Cœlum innotuit, reserata dudum clausa, in *se credentibus*, ianua Paradisi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam ijs, qui honestatis, paupertatis, & obedientiæ votis, se *Deo* (à quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponsione deuouent. Regnum enim Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum proprijs subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

Hæc igitur B. THOMAS DE AQVINO Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conuersatione, FAMA CLARVS, VITA CLARISSIMVS, sedula meditatione reuoluens, & attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius Ordinis Prædicatorum habitum suscepit, in eo, (inuito etiam patre, qui eius fœlicibus actibus inuidebat) constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, vbi in breui adeo, scientia, vita, & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis ad Sacerdotium promoueretur, & ad eiusdem Theologiæ magisterium, Parisius, loco vtique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui, suique Ordinis, ac Parisiensis studij fauore per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conuersatio famam, doctrinam pareret opinionem, opera diuulgationem, eademque, tam breui confecta tempore, admirationem merito exhiberent, vt illud Psalmi, *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra*, in eo verissimè impleretur, quod thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina incœpturus, assumpsit, quodque (vt fertur) reuelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter iuuentutem suam se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeretur in initanti principio hæsitaret. Nam & in primitiuis scientijs, & diuersis Philosophiæ partibus, vt non esset otiosus, sed operaretur terram, nec non in Sacræ Scripturæ pagina, tam super nouum, quam vetus testamentum scripta, plurimaq; alia *Dei* opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium, clara (cum sciens esset;) famosa, (cum cogitarus) NON ABSQVE SPECIALI DEI INFVSIONE PERFECIT. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino scientis signum est posse docere. Profecit vtique vir peritus à terrenorum ambitione remotus: & ad cœlestium assecutionem intentus, perfecto vacans studio, iucunde-

bat Deo, prætermittebat terrena, vt assequeretur æterna, præmittebat diuina, vt roboraretur in schola: cum singulis diebus antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam vnam celebraret, aliam audiret, vel duas integras Missas, si non celebrasset, audiret, in quibus, & alias in oratione (cum in illa foret assiduus) lachrymarum effusione mentis suæ dulcedinem, deuotionemque Deo, cui nihil est absconditum, reuelabat. Cumque castitatis nitore canderet, parsimonia deuota custodiebat humilitatem, hanc eandem sobrietate medica nutriebat, adeo vt multi eum in carne, virginitate mansisse incorruptum æstimarent. Quod eiusdem Sancti confessor Ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publicè (vt ad nos testimonio fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiusdem asseruit dicens: ego confessionem generalem istius Sancti Viri audiui, de quo testificor, quia ita inueni eum purum, sicut puerum quinque annorum, qui numquam suæ carnis sensit corruptelam. Qui præterea Vir Dei cibis religiosorum, vestimentisque communibus contentus conuersatione mitis, benignitate suauis, pietate misericors, humilitate subiectus, cæteraque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat, non elatus, non præeminens, nec etiam disputans (quod & interdum disputanti solet esse commercium) iactator effectus, vt ampullosis (etiamsi sibi eadem iniicerentur ab aliis) in illo palęstricæ syllogizationis exercitio vteretur. Totus igitur Dei famulus diuinis operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat, aut prædicationi, qua notus erat, aut orationi, qua deuotus, aut Scripturæ Sacræ, qua profundus, sedulus vacabat, adeò, vt præter naturalis necessitatis, aut quietis horas, nullum sibi, aut vix temporis spatium relinqueret otiosum.

Propinquante autem die, qua de hoc sæculo migraturus esset ad Dominum, quaque deuicto, triumphatoque mundo, in perpetuas æternitates accipiendus in patria. (*nam bonorum laborum gloriosus est fructus*) cum à fælicis recordationis Gregorio Papa decimo prædecessore nostro ad Lugdunense Concilium diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, vbi tunc temporis more solito famosè legebat vt Doctor, & per maritimam transiens oram, cum ad Monasterium Fossæ nouæ Ordinis Cistercensium Terracinensis diœcesis parumper digressurus per dies aliquot, antea ad ipsum, vt illuc deferretur affectuosè depostulans, peruenisset, intrans Monasterium, plenus Dei spiritu hæc verba protulisse refertur: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Quod verum esse euentus edocuit, & sacri corporis sui illic facta tumulatio manifestat: cœpit enim illic in infirmitate grauari, eadem viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurium, non impatienter tolerans, sed æquanimiter totus, vt erat humilis, patientia supportans, qua sibimet leniret infirmitate, Deo obedientia placeret, ministris de se (quod non intendebat) aggeneraret reuerentiam; imitandæ quoque patientiæ præberet exempla; adeo quod eiusdem Monasterij Fossæ nouæ fratres inibi Deo deuotius famulantes, hæc in Sancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obsequijs mancipati, quem vtique tanta refertum patientia fore cernebant, singuli ligna de Sylua, singuli quæque illi opportuna, voluntarie proprijs humeris deferebant, non æstimantes fore conueniens, vt brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis præstarent obsequia, quia tantarum virtutum prærogatiua pollebat:

Cumque in eadem infirmitate (de qua obiit) Sanctissimi Dei, & Domini nostri Iesu Christi corpus in cibum sumendum sibi, vt viaticum, deferretur, totus profusus in lachrymis, & dulci amore eiusdem anima assueta dulcedine Dei liquefacta, inter cœtera multa decora, quæ protulit, hæc, vel similia fidei, & deuotionis verba toto illius Monasterij conuentu, multisque dictorum Prædicatorum, & Minorum ordinum assistentibus fratribus, eructasse refertur: Ego de isto Sanctissimo corpore Domini nostri Iesu Christi, & alijs Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Iesu Christi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius correctioni cuncta subiicio, cuncta suppono.

Recepto deinde ab ipso eodem viuifico Sacramento, cunctisque alijs Sacramentisque Ecclesiæ debita veneratione cum lachrymarum effusione susceptis, tertio die obdormiuit in Domino, cui credidit, quem amauit, & tota mentis affectione dilexit, fidelis seruus, & prudens, non pertinax, non proprio sensui, aut prudentiæ innitens, & nulla de se scientiæ suæ opinione superbus: nam qui scrutatur est maiestatis, opprimetur à gloria. Vnde sapienter idem doctor, atque humiliter (vt præfati sumus) omnem suam verbo, vel scripto Doctrinam ad eiusdem Ecclesiæ fidei normam fideli deuotione reduxit, quam Petri ore diffusam stabilem nouerat, & nullis concussionum flatibus agitandam, cum post veram Deitatis Christi recognitionem,

tionem, quā respondit: *Tu es Christus filius Dei viui*, ab ipso audire meruit: *Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & alibi: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, dumque pro Petro rogat, pro eius Ecclesia intercedit.

Verum, quia dignum erat, & consonum, vt quem Deus viuentem in hoc sæculo tantis suis donis, gratijsque perfecerat, assumptum in Cœlis, Sanctificatum fore hominibus declararet; multis eundem Virum Dei, post Ipsius de hac vita transitum (licet, & antea nonnulla fecisse memoretur) magnisque fecit clarere miraculis, multis clarisque signis gloriosius coruscare, vt illud psalmi meritò, de ipso dicamus: *Scitote quia mirificauit Dominus sanctum suum*, sicque vita eius attestaretur miraculis, vt illius miracula vitæ testimonium perhiberent, de quibus pauca de multis, in Dei laudem, & Sancti huius commendationem, & ædificationem fidelium, idoneis approbata testibus, præsentibus subnectemus.

Post alia subiuncta miracula sic pergit.

Alius dum non deuotè de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto in se duplicem est expertus; infirmitatis, dum contemnit; sanitatis, dum à contemptus culpa discessit; nam cum sibi deuotionis causa à quodam Capellano plures venerandæ reliquiæ monstrarentur, ipse quoque ostensor pretiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum Fratris Thomæ de Aquino fateretur, illicò hunc derisoriè de iis triumphantem, cum eas videre non curaret dicens: Sanctus non est, sed quidam Ordinis Prædicatorum Frater, tremor eum apprehendit, & caput eius ad modum magnæ cistæ grossum, & valde ponderosum sibi esse videbatur. Sed infirmitate correptus, & pœnitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam à Sacerdote petitam obtinuit, reuerenter manum eiusdem Sancti deosculans, confestim à tremore, & inflatione capitis liberatus euasit, lensitque progredientem, vt retulit, maximum ex dicta manu suauitatis odorem; qui odor cum ipsius curati capitio, per longæ extractu manus eiusdem per magnum tempus inhæreret, multis eundem postmodum percipientibus, scilcitantibusque, quid esset, hoc signo narrare quod acciderat (etsi nolens) miraculum cogebatur.

Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quæ de hoc Viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis: nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est. Quo animam enim cœlum possidere iam credimus, intercessorem ipsum expectamus; ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam confidimus esse locatum. Vnde fidem tuam in nobis bone Iesu nutris, spem erigis, dilectionis charitatem accendis. Lætetur itaque Mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania iucundetur, Prædicatorum Sacer ordo iam iubilet, Religiosorum deuotio concrepet, Doctorum turba complaudat. Animentur ad studia iuuenes, prouecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, prouecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, & sapientia humiliati exaltabit caput illius. *In medio Ecclesiæ aperuit os eius*, & *impleuit eum Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus, stolam gloriæ induit eum*: nam veritas (quæ est Christus) ipsa veris, non fictis doctoribus pollicetur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Quamuis ipse verus iustitiæ sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irraditione, cum illuminentur ab ipso, clarescat: Habitat enim lucem innaccessibilem, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius: idcircò tenebris non obscuratur, vt deficiat, aut nebulis offuscatur, vt suæ claritatis radios non diffundat.

Cæterum, quia rationis ordo depostulat, vt triumphantem in cœlis Ecclesiam, deuota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua percolat, quem in cœlestibus agminibus positum Deum glorificate cognoscitur.

Nos de Sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate, Confessoris eiusdem non semel tantum, sed primò & secundò; non festinè, sed maturè inquiri fecimus: & per nos etiam, & Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales inquisitionem huiusmodi, exacta discussione examinauimus diligenter, vt tanto firmius, quanto maturius; tanto certius, quanto diligentius inquisitum, & examinatum existeret, in sic arduo, difficilique negotio, procedere valeremus. Difficile namque æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore; quæ autem in Cœlis sunt quis inuestigabit? Cumque per huiusmodi nostram, & eorumdem Fratrum nostrorum examinationem solicitam, & solicitudinem examinatam, vitam eius sanctam, & miracula vera eius meritis facta probata esse constiterit, & supplicantibus nobis id ipsum humiliter, & deuotè multis tunc Prælatis apud sedem Apostolicam existentibus; de dictorum Fratrum nostrorum consilio, & assensu, authoritate Dei omnipo-

nipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, cum Sanctorum Confessorum cathalogo duximus adscribendum.

Ideoque Vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis Martij festum Confessoris eiusdem deuotè, ac solemniter celebretis, & faciatis à vestris subditis veneratione debita celebrari, vt pia eius intercessione, & hic à noxijs protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Vt autem ad venerabile eius sepulchrum ardentius, & affluentius, Christiani populi confluat multitudo, ac celebris eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui cum reuerentia illic in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, vnum annum, & quadraginta dies, accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra septem dies festum ipsum immediatè sequentes, centum dies de iniunctâ sibi pœnitentia relaxamus, Datum Auinioni 15. Calendas Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo.

Clemens Papa VI. erga Sanctum hunc Doctorem Angelicum singulari deuotione affectus sacras Indulgentias fidelibus, Ecclesias nostras in ipsius festo, nec non & octo sequentibus diebus visitantibus, concessit per Apostolicam Bullam datam apud Auenionem. 8. Id. Febr. an. 1344. Pontificatus 2. quæ talis est tenoris.

B V L L A

CLEMENTIS VI.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei;

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem; & Apostolicam Benedictionem.

IN Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi solis radius, habitantibus in hac lacrymarum valle lux eruditionis relucet, dum ipsius Ordinis professorum fructuosa studia mentes fidem orthodoxam profitentium fragiles lumine veritatis illustrant, & spinas punctionis lethiferę in horto succrescentes Dominico nouacula labiorum succidunt, in quibus æternæ sapientiæ gratia est diffusa. Attendentes igitur quod Ordo prædictus, in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germine ineffabilis vtilitatis succrescēs, illum perlucidum, ac fructuosum palmitem Beatum videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac Doctorem egregium, ex cuius sapientiæ, ac doctrinæ scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicem spiritualis vbertatis fructum recolligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter, produxit, & quod idem Ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multiplicet, multifariam non laxatur labore: & propterea dignum, quinimo debitum, reputantes vt Ordo prædictus in eadem Ecclesia longè, latequè diffusus ob honorem, & reuerentiam prædicti Doctoris almifici, ac præfati Ordinis præclara merita, per Sedem Apostolicam spiritualibus foueatur præsidijs, & a cunctis vbique, qui christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honoretur: Vniuersitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad loca Fratrum dicti Ordinis imploraturi à Domino in locorum ipsorum Ecclesijs vestrorum veniam peccatorum in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, vt eadem loca eo libentius, & deuotius à fidelibus frequententur, quo per hoc fideles Christi potiori dono cœlestis gratiæ senserint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui dictas Ecclesias ipsorum locorum vbicunque consistentium in festo eiusdem B. Thomæ, & per octo dies festum ipsum immediatè sequentes annis singulis visitauerint, singulis videlicet eius festi, atque alijs prædictis diebus quibuscumque visitauerint, vt præfertur, vnum annum & quadraginta dies, de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer in domino relaxamus; & nihilominus illas easdem Indulgentias elargimur, qui locorum prædictorum Ecclesias in festiuitatibus B. Dominici Confessoris, & B. Petri Martyris, & per octauas festiuitatum ipsorum visitantibus, verè pœnitentibus, & confessis, per prædecessores nostros Romanos Pontifices hactenus sunt concessæ. Dat. Auenioni 8. Id. Februarij Pontificat. nostri an. 2.

Originalia harum Apostolicarum litterarum sunt in Archiuio Conuentus S. Mariæ super Mineruam, earundemque duplicatum in Conuentu S. Blasij de Tibure.

Digitized by Google

BVLLA PRIOR VRBANI V.

In Campaniam directa.

VRbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Copiosus in misericordia Dominus, etiam in cunctis operibus suis gloriosus, insufficientiæ nostræ vniuersalis Ecclesiæ Sponsæ suæ Inclytæ regimen pia dignatione committens, etiam collo debilitatis nostræ iugum imponens Apostolicæ seruitutis ad hoc solium excelsum nos conscendere voluit vt libenter, & solerter exequamur, quæ ad Diuini Nominis gloriam, & honorem tendere dignoscantur, etiam tanquam de supremi vertice montis nostrum ad infima reflectentes intuitum, quid singularum personarum Ecclesiasticarum commodis, earumque statui conueniat prospiciamus attentius, & qualiter inter ipsas, etiam quorumlibet litigiorum vepribus radicitus amputatis dilectio sincera permaneat, ac vigeat sodalitas charitatis, solertius attendamus, ad hoc enim vocati sumus à Domino, ad hoc nostros assiduè diffundimus cogitatus, ad hoc nostri pectoris studia desideranter exponimus, & vt Sanctorum reliquiæ honorabiliter collocentur, etiam huiusmodi personarum Ecclesiasticarum status seruetur pacificus, quietis vbertate lætetur, & dirigatur ad existentiam salutarem solicitudines libenter impendimus, etiam labores. Dudum siquidem contra omnes, & singulos, qui corpus S. Thomæ de Aquino, quod olim in Monasterio Fossæ nouæ Cisterciensis Ordinis Terracinensis Diœcesis quiescebat, de ipso Monasterio receperant, eorumque receptores, fautores, & defensores ad dilectorum Filiorum Abbatis, & Conuentus dicti Monasterij instantiam varios processus, diuersas excommunicationes, suspensiones, & interdicti sententias, & alias pœnas continentes fecimus, & etiam fieri concessimus. Cum autem sicut fide dignorum relatione percepimus ex processibus ipsis grauia scandala, & magna pericula sequi nisi celeri remedio succurramus præsumantur, similiter in futurum Nos processus ipsos & quidquid est ex eis, vel ob eos, & concessionem prædictam penitus reuocamus, & eos haberi volumus penitus pro infectis, & insuper Christi fidelium deuotionem adaugeri, & ipsorum Fidelium animarum profectum, quæ ex subscriptis indubiè prouenire speramus, promouere salubriter intendentes, ac decens reputantes, & congruum vt dictum Corpus illius Gloriosi Sancti, qui dum vixit Ordinis F.F. Prædicatorum Professor existens tanquam Doctor egregius per sua perlucida, ac salutifera documenta vniuersalem illustrauit Ecclesiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, cum eisdem Fratribus collocetur, ex certa nostra scientia ad laudem Dei, exaltationem Ecclesiæ, Fideliumque salutem tenore præsentium statuimus, & etiam ordinamus, quod corpus prædictum ad domum dictorum Prædicatorum Tolosam transferatur, & ibidem collocetur, & honorabiliter perpetuo veneretur, Volumus autem quod si Magistro, ac Capitulo Generali dicti Ordinis proximè celebrando placuerit eiusdem Corporis dextrum brachium Priori, & Fratribus Domus dicti Ordinis Parisiensis ad decus, & decorem totius studij Parisiensis, in quo idem Sanctus sua fœcunda facundia cælestis irrigui gratia influente scripturarum ænigmata reserauit, soluit nodos, obscura dilucidauit, dubiaque declarauit, ad deuotionem Fidelium adaugendam transmittatur, & in ipsa Domo honorificè perpetuis temporibus veneretur. Nulli ergo hominum omninò liceat hanc paginam nostræ reuocationis, constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & B.B. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Montem Flasconem Balneoregiensis Diœcesis X. Kal. Iulij Pontificatus nostri anno VI.

Hæc Bulla habetur etiam, cum subsequente, apud Bolandum Societatis Iesu, ad diem 7. Martij.

BVLLA POSTERIOR
VRBANI V. AD TOLOSANOS.

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei.

VEnerabili Fratri Archiepiscopo Tolosano, & dilectis filiis Cancellario Ecclesiæ Tolosanæ, Vniuersisque Magistris, & Rectoribus, cæterisque Clericis, & Laicis in Ciuitate, & Prouincia Tolosana commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Lau-

Laudabilis Deus in Sanctis suis, in sui maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo Prouidentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura iudicii, cœlestia pariter, & terrena disponit. Etsi cunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus, & Cœlestis efficiat Beatitudinis possessores, illos tamen, vt dignis digna rependat, potioribus attollit insignijs dignitatum, & præmiorum vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat intensior excellentia meritorum. Sic & alma Mater Ecclesia eius Sacra Vestigia insequens, & exemplo ducta laudabili, licet vniuersos in Regnis Cœlestibus constitutos studijs honorare solicitè non desistat, egregios tamen Doctores, per quorum prælucida, & salutaria documenta eadem Ecclesia illustratur, virtutibusque, & moribus informatur, libenter, & solerter insequitur, quæ sunt Dei, præmissa debita meditatione perlustrans ad Diuini nominis honorem, gloriam, & exaltationem Catholicæ fidei, salutemque fidelium, ritè censuit, mirèque prouidit eosdem in vniuersali Ecclesia honorificentiæ potioris impendijs attollendos. Sanè cum Sacrum, & Venerabile Corpus Beati Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum sit de mandato nostro ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum Tolosanam de proximo transferendum. Nos attendentes quanta à Deo scientiæ doctrina Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac Vniuersalem Ecclesiam illustrauit, ac B. Augustini vestigia insequens, Ecclesiam eandem doctrinis, & scientiis quamplurimis adornauit; Volentesque propterea idem Corpus speciali honorificentia attolli, Vniuersitatem vestram requirimus, & hortamur in Domino Iesu Christo, Vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus dictum Corpus, cum ad partes easdem transferetur, benignè, & honorificè suscipientes, eumque deuotè, ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab alijs quantum in vobis est cum debita honorificentia, ac deuotione suscipi, ac tractari. Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam benedictam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flasconem Kal. Septemb. Pontificatus nostri an. 6.

Cæterùm pro veritate, & fidelitate huius Bullæ ex originali deprompta sit sequens testimonium. *Ego infrascriptus fidem facio & attestor qualiter præsens sumptum fuit extractum ex Archiuo secreto Vaticano existen. in libro Bullarum Vrbani V. an. 6. fol. 20. à tergo, & collationatum concordat. Ideo in fidem subscripsi, & meo Sigillo signaui. Romæ hac die 20. mensis Decemb. 1667.*

F. Rauizza Ep. Sydonien. Archiuij Vaticani Præfectus.

Loco † Sigilli.

B V L L A

P I I V.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

MIrabilis Deus in Sanctis suis, qui se daturum illos in laudem, & gloriam, & honorem promisit, vt quos sicut Sol in conspectu suo fulgentes ob merita sanctitatis coronat de Cœlo, admirabiliter etiam honoraret in sæculo, & in eo, quod illis tribui iubet laudis, & venerationis officio, debitum quoque maiestati suæ honorem, & gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam, sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquias, & imagines ad catholicæ fidei confirmationem, & ad confusionem hæreticæ prauitatis, vt fælicius etiam quam in præsenti vita doceret viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, sæpissimè dignatus est decorare, & illustrare miraculis.

Ex quo Sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem corde, opere, & ore roborarunt, Angelici Doctoris S. Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum in Cœlum assumptio multis ante annis orbi terrarum, & diuinis, & proprijs est comprobata testimonijs. Nam & miraculorum signis, quibus serui sui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, & certissima Christianæ regula doctrinæ, qua S. Doctor *Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit*, adductus fælicis recordationis Ioannes vigesimus secundus prædecessor noster illo in Sanctorum numerum relato,

so, eius diem festum nonis Martij, quo die nunc etiam colitur, anniuersario honore celebrari iussit.

Sed quoniam omnipotentis Dei prouidentia factum est, ut *Angelici Doctoris vi, & veritate doctrina, ex eo tempore, quo cælestibus ciuibus adscriptus fuit, multa, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusa & conuicta dissiparentur, quod & antea sæpe, & liquido nuper in Sacris Tridentini Concilij decretis apparuit: eiusdem memoriam, cuius meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur*, maiore etiam quam antea grati & pij animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum, præter beneficia ex illius salutari disciplina in diem magis profecta In Sacrosanctæ Ecclesiæ filios, ad quorum pastoralem, paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit euocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem Ordinis Prædicatorum communio, & societas, vnde, licet imparibus meritis, nos etiam tamquam ex fonte profluximus.

Itaque primum vt in Ciuitate, & Regno Neapolitano, quod in eam Prouinciam, quæ ad salutarem omnium gentium institutionem ex nobilissima familia Aquinate clarissimum hoc dedit Eclesiæ Dei lumen, tantum inde laudis decorisque diuina bonitas redundare voluerit; de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, atque vnanimi assensu, ipsa die Nonarum Martij, qua præstantissimus Doctor migrauit in Cœlum, posthac semper vniuersi vtriusque sexus ab omnibus vetitis, ac seruilibus operibus, laboribusque abstinentes, festum Diui Thomæ solemniter sub duplici maioris officio, sicut cœteras eius generis solemnes festiuitates, quæ de ipsius Ecclesiæ præcepto seruantur, in alijs autem orbis terræ partibus, quemadmodum Sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum festiuitates piæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui, etiam prædecessoris nostri, præcepto venerantur, sic eundem festum diem Sancti Thomæ in perpetuum posthac omnes item vtriusque sexus Christi fideles celebrent, & venerentur, Apostolica authoritate statuimus, ac sancimus.

Vt verò etiam memoriæ S. Doctoris maiori studio ac pietate cultus, & debita veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui in ipso S. Thomæ festiuitatis die Sacellum, vel Altare in Ecclesia S. Dominici Neapolitani situm, in quo *Scriptoris Angelici doctrina Saluatoris Crucifixi ore* (sicuti pia testatur historia) *mirabiliter probata fuit*, a primis eius diei vesperis, vsque ad occasum solis deuote visitauerint, septem annos, & totidem quadragenas.

In cœteris autem orbis terræ partibus: ijs, qui eundem festum diem vt præfertur solemniter celebrauerint, & ad Ecclesiam, quæ apud eos fuerit, vel sacellum, aut altare sub eiusdem S. Thomæ inuocatione piè, ac deuotè accesserint; quoties id fecerint, toties centum dies de iniuncta ipsis pœnitentia, per præsentes litteras in perpetuum valituras, quas sub alijs cuiusque generis, indulgentiarum concessionibus, & illarum reuocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in domino relaxamus.

Et quia difficile esset has ipsas litteras ad singula orbis terrarum loca peruenire, volumus, & authoritate Apostolica decernimus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, vbique locorum & gentium, in iudicio & extra, eadem prorsus fides adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, voluntatis, relaxationis, statuti, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis quingentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiēdas iustificationes tuas. S. Petrus S. Paulus Pius P. P. V.

Ego Fr. Card. Pisanus Ep. Ostien.
Ego Io. Card. Moronus Ep. Portuen.
Ego C. Card. Madrutius Trid. Ep. Prænest.
Ego A. Card. Farnesius Ep. Tusculan. Vic.
Ego Io. Mi. Card. Saracenus Ep. Sabinen.
. . . .
Ego Io: Card. Politianus.
Ego Io: Bapt. Cicada Card. S. Clem.
Ego B. Card. Granen.
Ego Scipio Card. Pisarum.

Ego Io. Card. Capiluccus.
Ego Clemens Card. Aracœli.
Ego Io. Card. Sabellus.
Ego. Io: Antonius Card. S. Georgij
Ego Aloysius Card. Cornelius
Ego Bernardinus Card. Salutatus
Ego R. S. Card. à Bordesia
Ego Lud. Card. Sermoneta
Ego Antonius Card. Granuellanus
Ego Fr. Card. Paceco.

Ego M. Ant. Card. Amulius.
Ego Hier. Card. Corrigien.
Ego Io. Franc. Card. de Gambarâ.
Ego Hip. Card. Ferrarien.
Ego Ind. Card. Aragon.
. . . .
Ego Io: Franc. Card. Commendonus
Ego M. Ant. Card. Bobba.
Ego Vgo Boncompagnus Card. S. Sixti
Ego Alex. Card. Sfortia

Ego Alex. Card. Criuellus.
Ego Bern. Card. Lomellinus
Ego Guilielmus Card. Sirletus
Fr. Michael Bonellus Card. Alex.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus
Ego Vitellotius Card. Vitellius Camerarius.
. . . .
. . . .
Ego Fr. Card. Alciatus.

H. Camvn.

FVit autem Bulla supradicta extracta ex originali, vt ex sequenti testimonio patet.

Ego infrascriptus fidem facio, & attestor qualiter præsens sumptum fuit exarnium ex Archinio secreto Vaticano existen. in libro Bullarum Pij Papæ V. an. 2. & à Natiuitate D.N.I. Christi 1566. & 1567. sub. num. 29. fol. 428. cum titulo.

Pro celebratione Festi Sancti Thomæ de Aquino Statutum cum Indulgentia, & collationatum concordat. Ideo in fidem subscripsi, & meo Sigillo signaui. Romæ hac die 20. Decemb. 1627.

F. Ranizza Episcop. Sydonien. Archiuij Vaticani Præfectus.

Loco † sigilli

Et Sixtus V. hoc idem confirmauit in Bulla data in fauorem S. Bonauenturæ Ecclesiæ Doctoris, quæ est talis.

BVLLA
SIXTI V.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei.

TRiumphantis Hierusalem gloriam sempiternam, & Sanctorum cum Christo felicissimè regnantium, numquam marcescentes coronas cum gaudio admirans Sancta Mater Ecclesia adhuc in terris militans, ad eamdem verò iustitiæ coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem prædicare non cessat, &c.

Et infra §. 10. Subdit. Diuino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ, & sapientiæ, & intellectus, quique Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, nouis beneficijs auget, nouis præsidijs instruit, inuenta est à maioribus nostris sapientissimis viris Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonauentura clarissimi huius facultatis professores, & primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus, & vigilijs excoluerunt, atque ornarunt, eamque optimè dispositam, multisque modis præclare explicatam posteris tradiderunt, &c.

Et infra §. 13. sequitur. Sanè ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctæ memoriæ Pij Papæ V. prædecessoris nostri de Christiana Republica optimè meriti, quem vt Parentem adhuc reueremur, & colimus. Is enim religiosa pietate, & singulari deuotione permotus, qua afficiebatur erga S. Thomam de Aquino Ordinis sui decus, & Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum ob eius præstantissima in Catholicam Ecclesiam merita congruis honoribus exornare, præter alia, hoc iussit, atque decreuit, vt illius festus dies quotannis duplicis officij ritu ad instar Sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum perpetuò celebraretur, quod & S. Bonauenturæ Doctori eximio tribui debere æquum profectò existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinæ, meritorum coniunctio, & similitudo intercedat. Hi enim sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & scientiæ luce totam Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei prouidentia eodem tempore tanquam duæ stellæ exorientes ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familijs prodierunt, quæ Sanctæ Ecclesiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximè vtiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide subeunda paratæ semper existunt, ex quibus, tanquam ex fertili, & benè exculto solo, quotidie per Dei gratiam fœcundæ, & fructuosæ plantæ procreantur, hoc est viri doctrina,

Digitized by Google

ctrina, & sanctitate præstantes, qui Petri naviculæ tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici eius clavum non sine magna solicitudine tenenti, fortem, & fidelem operam nauant. Hi duo Sancti cum essent coęui, iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul Magistri, pari ratione à Gregorio X. Summo Pont. cum ambo ad Concilium euocarentur, honorati, & in huius vitæ peregrinatione fraterna charitate spiritali familiaritate sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt, & denique pari gressu ad cœlestem patriam commigrantes, pariter felices, & gloriosi, illa sempiterna beatitudine perfruuntur, vbi eodem charitatis affectu, vt piè credimus, pro nobis, in hac lachrymarum valle laborantibus orant, diuinamque opem implorant, vt meritò idem Sixtus IV. hos duos Sanctos persimiles, & geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit Sanctum Bonauenturam consimili venerationis, & honoris prærogatiua, atque S. Thomas, decorandum esse.

Et S. 16. subdit. Et nihilominus vt sapientissimi huius Doctoris gloriosa recordatio, si non pro ipsius dignitate, at saltem pro humana tenuitate ob ingentia illius merita ardentiori studio recolatur, fel. record. prædecessorum nostrorum Bonifatij VIII. qui de sanctis quatuor Doctoribus, & Pii Papæ V. de prædicto Sancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti, præcipimus vt eiusdem S. Bonauenturæ dies festus in omnibus Christiani orbis partibus sub duplici officio à cunctis personis celebrari, &c. Dat. Romæ apud Basilicam SS. Duodecim Apostolorum anno Incarnationis Dominicæ 1588. pridie Id. Martii Pontif. nostri an. 3.

B R E V E

CLEMENTIS VIII.

A tergo.

Dilectis Filiis Nobilibus viris Deputatis à Ciuitate Neapolit.

Intus verò

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. In quo nos pastoralis officii nostri cura excitati elaboramus tantoperè, vt hominum cogitationes omnes ad cultum diuinum, atque ad Sanctorum venerationem intendantur, in id vos sponte ferri cum videamus, inenarrabili certè lætitia in Domino exultamus. Gratia Dei facitis id, quod facitis, & gratia Dei in vobis vacua non est, cum donis cœlestibus cumulati, gratos vos exhibetis, memoresque beneficiorum, aucta in Deum pietate, atque in Sanctos, eius reuerentia. Quarum quidem cogitationum, vt authorem verum Deum maximè oportet agnoscere, ita etiam affirmandum eas ipsas pijs precibus eorum, in quorum tutela Ciuitas illa est adscita, diuinæ Maiestati acceptas esse magis. Proinde piè, prudenterque cogitatis de nouo Ciuitatis patrono adsciscendo, eiue vestro, diuinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitate, miraculis claro, Thoma Aquinate, cuius doctrinæ tantùm fuit tributum, vt Christianæ eruditionis suæ diuinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me Thoma scripsisti; tali vos, tantoque deprecatore, quia iure arbitramini diuinos thesauros facilius vobis posse patere, suppliciterque ac demisse rogatis, vt ad reliquos patronos istius Ciuitatis, is quoque adiungatur. Nos auctoritate nostra Apostolica pium, sanctumque istud vestrum consilium probamus, vobisque, vt id liceat, concedimus, quod si quid, & preces nostræ valent, pro vobis etiam humillime supplicamus, vobis idem vt presto sit vestrasque orationes pio è corde profectas porrigat diuinæ Maiestati, curetque vt vobis sint eædem salutares. Vnum id monemus Ciuitatem istam, tamquam nouo sponso è cœlo venienti, occurrere oportere circumdatam monilibus, sicut sponsam ornatam viro suo, vt ille vestimentorum, hoc est bonorum operum odore suauissimo captus, charitatis vinculo sponsæ adhæreat arctiore. Batum id habeat, qui bonis omnibus propitius est Deus, & quam nos ad augendam pietatem vestram vobis nunc benedictionem nostram impartimur, sua idem sanctissima gratia prosequatur cumulatissimè. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Nouemb. 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Martius Malacrida.

Institere iterum Deputati apud Clementem Pont. vt officium de S. Thoma, tanquam de Ciuitatis eiusdem Patrono ab Ecclesiasticis cunctis, etiam Regularibus, publicè, ac priuatim recitaretur perpetuis futuris temporibus, quibus benignè annuit Pontifex, dato Apostolico Breui, doctrinam eiusdem S. Doctoris egregiè commendante, quod tale est.

BREVE
CLEMENTIS VIII.

A tergo

Dilectis filiis Nobilibus Viris Ciuitatis Neapolit. Deputatis.

Intus verò.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filii nobiles viri, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut Angeli in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ineffabili Dei prouidentia, non modò singulorum hominum curam gerunt, verum etiam ipsis Vrbibus, & Prouinciis præsident: ita Sancti cum Christo regnantes, qui vitam meruerunt Angelorum, non solum priuatos quosque homines suis orationibus adiuuant, sed publicas Ciuitates, & Regna continua protectione defendunt. Sunt enim communes generis humani custodes, & Legati apud Deum potentissimi, Sunt cunei inexpugnabiles, & nostræ salutis præsules, qui secretorum conscii diuinorum familiarius clementiam Dei pro nostris exorant laboribus, & nequissimi Dæmonis insidias, ac conatus ab omnibus diuina virtute depellunt. Verum quò plures numero, ac meritis præstantiores sunt, qui pro salute hominum in cœlestibus regnis apud Deum intercedunt, eo homines ipsi desiderata bona facilius impetrant, & impetratis diutius perfruuntur. Cum igitur in isto nobili regno plurimi olim sanctitate, miraculis, & doctrina insignes viri claruerint, qui vniuersam Ecclesiam Dei suarum virtutum splendore illustrarunt, inter hos autem Sancti illi Asprenus, Ianuarius, Agrippinus, Seuerus, Athanasius, aliique com plures, tum Episcopi, tum Abbates, præcipuè floruerint, quos meritò hæc vestra Ciuitas certos sibi patronos adoptauit. Cumque superiorum temporum memoria Sanctus Thomas Ordinis Prædicatorum Doctor Angelicus ex antiqua, & nobili Comitum de Aquino familia oriundus, similiter in eodem regno, tùm sanctitatis, ac miraculorum gratia, tùm doctrinæ laude, clarus extiterit, laudabili consilio eadem Ciuitas illum cæteris patronis suis adiungendum statuit. Hic siquidem honor eius virtutibus, cum admirabili doctrina coniunctis, iure optimo debetur, ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate sine vllo prorsus errore conscripsit, in quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit; & quos deinde conscriptos, expressa Christi Domini voce comprobatos audiuit. Cum autem illi nunc peculiare eiusdem vestræ Ciuitatis Patroni nomen accedat, sperandum est fore, vt ratione perfectæ charitatis, qua Deo propinquior est, & patrocinij, ad quod eligitur, vobis magis proficiat precibus, quod eiusdem antedicta doctrina, eximiæ virtutes, & summa præsertim, qua semper excelluit, humilitas, hunc ipsum honorem postulasse videatur. Quapropter cum ille tam religiosè, ac demissè semper de se ipso existimauerit, vt inter cætera, oblatum à fel. record. Clemente IV. Romano Pontifice prædecessore nostro Ciuitatis vestræ Archiepiscopatum, insigni cum modestia recusauerit. Meritò Deus hoc tempore vobis in animum immisit, vt eum, qui cum in terris esset, vobis ad summam humilitatem præesse noluit, nunc cum in Cœlis est, propter eiusdem sanctitatem, in numerum vestrorum patronorum adsciscatis. Qua quidem in re nos pietatem, & consilium vestrum plurimum in Domino commendantes, electionem a vobis factam authoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, illique nostræ, & Apostolicæ confirmationis robur adijcimus, & vt imposterum idem S. Thomas inter cæteros Ciuitatis vestræ patronos connumeretur, vtque etiam ab vniuerso Clero sæculari, & regulari vtriusque sexus cuiusuis Ordinis eiusdem Ciuitatis officium de ipso S. Thoma, tamquam de patrono publicè, & priuatim recitari debeat, perpetuò statuimus, ac præcipimus, & mandamus. Sicque ab ipsis, & alijs, ad quos spectat, obseruari de-

bere,

bere, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, & ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Deum bonorum omnium auctorem, & parentem vobis omnibus precamur, vt meritis quoque, ac precibus huius vestri noui Protectoris omnes humani generis hostis insidias à vobis longe repellat, Ciuitatem pace custodiat, & vniuersum Regnum cœlesti benedictione tueatur.

In hunc modum completur Breue hoc, impressum Romæ, & in actis Capituli Generalis ann. 1612. in Vrbe celebrati, appositum cum alijs, cuius mentionem facit Paulus V. in suo Breui, dato an. 1607. infra referendo, in hunc modum. *Fœl. record. Clemens Papa VIII. prædecessor noster dictorum Deputatorum & Electorum pietatem, & consilium plurimum in Domino commendans, electionem ab ipsis factam per suas, in simili forma Breuis litteras, Apostolica auctoritate confirmauit, & vt imposterum idem S. Thomas inter cæteros Ciuitatis præfatæ Sanctos Patronos connumeraretur, atque etiam ab vniuerso Clero sæculari, & Regulari vtriusque sexus, cuiusuis Ordinis eiusdem Ciuitatis officium de ipso S. Thoma tanquam de patrono, publicè, & priuatim recitari deberet perpetuò statuit, & præcepit.* In primo autem Breui ad Deputatos Ciuit. Neap. dato 22. Nouemb. ann. 1603. à nobis supra relato, nullum habetur verbum de Officio S. Thomæ tanquam Patroni ab omnibus Ecclesiasticis recitando.

Quia vero negotium suis litteris apud Pontificem Max. patrocinatus fuerat Beneuentanus Comes Prorex Regni Neapol, tale & eidem dedit responsum Pontifex.

B R E V E

CLEMENTIS VIII.

A tergo

Dilecto filio viro nobili viro Comiti Beneuentanorum in Regno Neapolitano Proregi.

Intus vero:

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem & Apostolicam benedictionem. Quantum prodesse possint, qui præsunt aliis vitæ integritate, & pietate, licet id ex tua nobilitate facile coniicere, quippe omnes animi conatus ad Dei gloriam, atque publicam vtilitatem cum tu dirigas, tacita tui æmulatione populos ad eos imitandos, atque ad eorum normam, vitam, moresque formandos inflammas: Erat quidem antea multò optandum, vt Ciuitas ista pietati in primis dedita, nouum patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomã Aquinatem, cuius diuino eloquio, & cœlesti doctrina, miraculisque illa quidem illustris, meritò apud remotissimas nationes, summa Christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ vtilitate celebratur. Verum id tuæ debebatur virtuti, vt sanctum consilium, etsi acceptum Deo referre oporteat, à quo quidquid boni agimus, ac cogitamus, proficiscitur, ex quo nostra omnis sufficientia emanat, tuum tamen in eo etiam studium laudaretur; quo factum est, vt multorum sopita penè pietas te procurante excitetur, atque in oculis omnium, immo in Dei conspectu appareat altior à terra, atque eximior, & nos solemus, vt decet, semper fauere supplicationibus, sed huic certè ardentiori quadam voluntate annuimus, quod & nos ipsi Angelico huic Doctori, & nostro, & totius Christianæ Ecclesiæ nomine plurimum debemus, & tua in eum extat pietas singularis. Hoc igitur patrono vnà cum alijs vtatur Ciuitas, hunc in rebus ad vsum vitæ, ad salutem animarum necessariis fautorem, atque adiutorem imploret, nostrique saltem & tui, qui id ipsum optas tantopere, publicisque, & priuatis precibus teneat memoriam, colatque beneficij accepti recordatione perpetua. Firmum hoc, quod nos auctoritate Apostolica, & benedictione nostra babemus, firmius faciat Deus sua gratia, & benedictione sanctissima. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 22. Nouembris M. I C.III. Pontificatus nostri anno duodecimo.

His Apostolicis indultis constabilitus est Neapolitanæ Ciuitatis Patronus Angelicus Doctor, cuius dexteri brachij partem, in argentea theca inclusam, atque in sacro Reliquiarum thesauro apud Templum Maximum asseruandam, dono dederunt Patres nostri Regij Conuentus Sancti Dominici de Neapoli eidem fidelissimæ Ciuitati.

Nec tantis fauoribus, & gratijsque Apostolicis contenta Neapolitanorum erga S. Doctorem pietas fuit: nam iterum in Ecclesia S. Dominici conuenientes, festum diem anniuer-

sarium

sarium translationis brachij eiusdem, quæ in 20. Ianuarij inciderat, voluere ex communi voto celebrandum tamquam de præcepto, supplicandumque propterea Pontificem pro approbatione, ac confirmatione Apostolica facti decreti. Annuit Clemens, celebratumque est festum huiusmodi translationis 20. die Ianuarii vsque ad annum 1607. quo institere iterum Neapolitani apud Paulum V. Pontificem Max. vt Solemnitatem hanc in antecedentem diem 19. Ianuarii transferre dignaretur, eo quia die 20. festum S. Sebastiani Mart. duplici officio ab vniuersali Ecclesia celebratur: & insuper libellum supplicem eidem porrexere pro processione solemni illa die habenda; quorum iustis, ac piis supplicationibus satisfacturus Pontifex, tale dedit Apostolicum decretum.

BREVE

PAVLI V.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Splendidissimi Catholicæ fidei Athletæ Beati Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit, honores, & venerationem in dies magis, magisque augeri plurimum in Domino gaudemus; & iis, quæ ad illius honorem deuotè sancita sunt, vt firma, & illibata permaneant, libenter Apostolicæ firmitatis robur adiicimus. Aliàs siquidem postquam dilecti filii Deputati, & Electi Ciuitatis Neapolitanæ, præter Sanctos Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Seuerum, Eusebium, & Anellum dictæ Ciuitatis certos patronos, etiam Sanctum Thomam Ord. Fratrum Prædicatorum Doctorem Angelicum, ex nobili Comitum de Aquino familia oriundum, cuius natalibus prædicta Ciuitas originem dedit, quique in nobili Regno Neapolitano cum sanctitatis, & miraculorum gratia, tum doctrinæ laude clarus extitit, dictis Sanctis Patronis laudabili consilio adiungendum duxissent, fel. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster dictorum Deputatorum, & Electorum pietatem, & consilium plurimùm in Domino commendans, electionem ab ipsis factam per suas in simili forma Breuis literas Apostolica auctoritate confirmauit, & vt in posterum idem S. Thomas inter cœteros Ciuitatis præfatæ Sanctos Patronos connumeraretur, atque etiam ab vniuerso Clero sæculari, & regulari vtriusque sexus cuiusuis Ordinis eiusdem Ciuitatis Officium de ipso S. Thoma, tanquam de patrono, publicè, & priuatim recitari deberet, perpetuò statuit, & præcepit, ac anniuersarium diem translationis brachij dicti B. Thomæ ex Ecclesia S. Dominici ad Ecclesiam Metropolitanam factæ, qui vigesimus Mensis Ianuarii fuit, tanquam festum de præcepto, & duplici Officio in Ciuitate, & diœcesi Neapolitana celebrandum esse ordinauit. Cumque subinde compertum fuisset sub eundem diem 20. Ianuarii, festum diem S. Sebastiani Martyris cadere, qui pariter duplici Officio celebratur, & ea propter eodem die festum translationis huiusmodi modo præmisso celebrari non posse. Nos eorundem Deputatorum, & Electorum supplicationibus nobis tunc porrectis inclinati, per alias nostras similes literas, celebrationem Anniuersarii duplici Officio in Ciuitate, & diœcesi Neapolitana singulis annis faciendam iuxta ritum Breuiarii Romani in diem 19. Ianuarii transtulimus, vtque in Ciuitate, & diœcesi prædictis singulis annis in perpetuum die 16. Ianuarii festum translationis brachii S. Thomæ de Aquino ad præscriptum Breuiarii Romani ritum celebrari posset, concessimus, & indulsimus. Postmodum verò (sicut nomine eorumdem Deputatorum, & Electorum coram nobis nuper propositum fuit) eiusdem Ciuitatis Deputati in Ecclesia Sancti Dominici prædictæ Ciuitatis congregati, nomine totius Ciuitatis, & frequentissimo Nobilium cœtu, ac plurima cum ciuium, tum exterorum multitudine adstante, per publicum desuper confectum instrumentum, dictum B. Thomam de Aquino Doctorem Angelicum, in Patronum, & Protectorem dictæ Ciuitatis acceperunt atque inter cæteros eiusdem Ciuitatis Tutelares Sanctos adscripserunt, eumdem Sanctum subnixè, & enixè obsecrantes, vt assiduas pro dicta Ciuitate ad Deum preces fundat, eamque à peste, fame, & bello, cæterisque calamitatibus vindicet, ac tueatur, pollicentes etiam se medio eodem, instrumento, anniuersarium diem translationis huiusmodi tamquam festum de præcepto se celebraturos, prout in dicto instrumento plenius dicitur contineri.

fieri. Quare ijdem Deputati, & Electi Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt pio eorum B. Doctorem honorandi studio huiusmodi auctoritate Apostolica suffragari dignaremur. Nos literarum prædictarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac ipsos Deputatos, & Electos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, non solum huiusmodi, sed etiam dilecti filii nostri Octauii tituli S. Praxedis S. R. E. Præsb. Cardinalis Aquauiuæ nuncupati Ecclesiæ Neapolitanæ ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis, supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, diem prædictum 19. Ianuarii, tamquam anniuersarium translationis brachii S. Thomæ perpetuis futuris temporibus in dicta Ciuitate Neapolitana diem festum de præcepto fore, & esse, & vti talem ab omnibus, & singulis ipsius Ciuitatis incolis custodiri, & celebrari inuiolabiliter debere eadem authoritate statuimus, ordinamus, præcipimus, ac mandamus. Ac præterea, quoniam, vt eadem propositio subiungebat, publicas etiam processiones eodem die celebrari, seu fieri prædicti Deputati, & Electi desiderant. Nos, vt omnia ritè, & ad animarum ædificationem in Domino peragantur, easdem processiones nunc, & pro tempore existentis dictæ Ecclesiæ Neapolitanæ Præsulis, quando, ac quomodo illi videbitur, peragi volumus, & mandamus, irritum, & inane decernentes quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 17. Decembr. 1607. Pontificatus nostri anno tertio.

Scipio Cobellutius.

Nouissimè Alexander Papa VII. in fauorem doctrinæ Angelici Doctoris tale dedit Apostolicum Breue ad Doctoris Louanienses.

B R E V E

A L E X A N D R I V I I.

Alexander Papa VII. Dilectis filijs Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Litteras vestras die 20. Martii datas accepimus, & in eo sanè quod quinque propositiones illas tam in felicis recordationis Innocentii X. prædecessoris nostri Constitutione, quàm in alia nostra postea damnatas tantopere detestamini, vt neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi prius religiosam obseruantiam prædictarum Constitutionum promittat, & iuret. Obedientiam, & Zelum vestrum vnicè commendamus, atque adeo speramus vos nedum id egregiè, persanctèque impleturos, verum etiam omnibus aliis obedientiæ documentis effecturos, vt omni rerum præteritarum ex hominum animis euulsa, & penitus abolita memoria, pristinum decus existimationi, & laudi antiquæ vestræ restituatur. Ad hanc igitur salutaris obsequii gloriam vere, constanterque promerendam, quamuis vti credimus eximie currentes vos dilecti filii, etiam atque etiam quantum possumus hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus quin præ singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & SS. Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & aduersus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, vt asseritis, ac impensè reuereri velitis, quorum profecto sanctiss. virorum penes catholicos vniuersos ingenia, & omnē laudem supergressa nomina noui præconij commendatione non egent. Porrò bonorum omnium largitorem Deum oramus vt vobis, dilecti filii cum pacis diuina tandem clementia restitutæ prosperitate cœlestis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro sua misericordia velit, ad quod feliciter consequendum Apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 7. Aug. Pontificatus nostri anno 6.

Inter cætera encomia, quibus ab Apostolica Sede S. Doctor Thomas effertur, hoc Alexandri Pontificis singulari animaduersione dignum est, si alterius Ecclesiæ Doctoris dictis conferatur. Nam D. Augustinus Sermone 124. de tempore loquens de negatione Apostolorum Principis dixit. *Petrus labia puella non sustinuit, sed vbi loquuta est, ille turbatur; Proh! vt sermo puellæ, & immobilis columna concussa est.* Si immobilis columna, ac fundamenta-

lis

lis petra, super quam Ecclesia ædificata est à Christo; ad vnius puellæ vocem concussa est; quanta erit laude efferendus D. Thomas, cuius Doctrina, ac dogmata, inter tot, tantaque hostium Ecclesiæ tela, ac conamenta, inconcussa sunt?

Decretum Parisiensis Vniuersitatis in fauorem Doctrinæ D. Thomæ.

VNiuersis præsentes Literas inspecturis Stephanus permissione diuina Parisiensis Episcopus salutem in omnium Saluatore. Magistra rerum experientia certis indiciis euidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte, nouis emergentibus causis, succedentibus temporibus in contrarium debere consultis immutari. Dudum siquidem memoriæ felicis quidam prædecessores nostri Parienses Episcopi quosdam articulos, nè forsitan eos malè intelligentes caderent in errorem, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnauerunt, & interdixerunt expressè. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris Beati Thomæ de Aquino de ordine Fratrum Prædicatorum tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum sententiarum promulgationem venerabiles viri Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Dominæ nostræ, sicut veritatis Zelatores intimius considerantes, nec non doctrinæ, ac famæ beati Thomæ prædicti iniustam denigrationem, veritatis occultationem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliqualem dehonorationem, per venerabilem Magistrum Anibaldum Decanum. Atrabatensem Archidiaconum Sacræ Theologiæ Doctorem, & Dominum Petrum de Sagello Parisiensem Canonicum eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt, nobisque suplicauerunt, quatenus vocatis omnibus sacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio, & deliberatione habita diligenti, & cum aliis etiam, qui de talibus, & in talibus possunt, viam aperiremus, per quam in prædictis articulis in quantum doctrinam Beati Thomæ prædicti, & doctoris egregii, tangere possunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sancti prædicti, & Doctoris venerabilis honorem, & reuerentiam seruaremus. Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium, & magistra fidei, & veritatis, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut vniuersalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, declaratio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum doctorem eximium, & venerabilem, cuius doctrina fulget Ecclesia, vt Sole & Luna, nuper Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decreuit, diligenti discussione, & examinatione habita super vita sancta, & doctrina clara ipsius, ipsumque quo ad vitam puram, & doctrinam salubrem orbi terræ dignum, & commendabilem prædicauit. Cupientes igitur, gloriosum Deum in Sanctis suis apud fidelium deuotionem in terris gloriosius exaltari, ac Sanctissimæ Matris nostræ prædictæ desideranter vestigia sancta imitari, dictumque Confessorem, & Doctorem gloriosum feliciter in Cœlis regnantem apud terrigenas deuotius, & celebrius honorari, præsertim cum fuerit vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, vniuersitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen vident, claritate vitæ, famæ claræ, & scientiæ lucidæ velut stella præfulgida, & matutina refulgens, per venerabiles, ac dilectos Consiliarios nostros fideles Magistrum Hugonem de Bisuntino Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Nouauilla, & D. Oddonem de Zenonis Canonicum Parisiensem Inquisitione sacra super dictis articulis apud Doctores Theologicæ facultatis in eorum Congr. Gen. regentium, & non regentium, secularium, & regularium ad hæc specialiter conuocata, comperto per Dei gratiam dictum Confessorem beatum, ac doctorem egregium nil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod scientiæ fidei, vel moribus aduersetur, de Consilio venerab. virorum, Decani, & Capituli Parisiensis, & venerab. P. D. Gulielmi Dei gratia Viennensis Archiep. S. Theol. Professoris, & aliorum xxiij. Magistrorum in Theologia vna cum Reu. P. supradicto in litteris cum earum sigillis per præfatos Commissarios nobis missos, necnō & xxxix. Bachalareorū in Theologia super hæc per litteras eorum proprijs subscriptionibus & sigillis munitas super consulentium, & rogantium humiliter & deuotè, & aliorum Doctorum solemni, ac maturo consilio super hoc habito, supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam, quantum tangunt, vel tangere asseruntur sanam doctrinam S. Thomæ prædicti & Doctoris eximii, ex certa scientia tenore præsentium totaliter annullamus, in cuius confirmationis testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Dat. apud Bertiliacum An. Dom. 1325. die iouis ante sacros cineres.

Sic habes Approbatio Stephani Ep. & Vniuersitatis Parisiensis, de qua quæst. p. sequenti dicemus.

INDEX

INDEX
QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM
TOMI SECVNDI.

LIBER IN OPERIS ORDINE TERTIVS.

De solutione obiectionum in singulas approbationes doctrinæ S. Thomæ.

LIBER QVARTVS.

De solutione obiectionum in discipulos D. Thomæ.

FINIS.



DE APPROBATIONE DOCTRINÆ S. THOMÆ

TOTIVS OPERIS

Liber in ordine Tertius.



DE SOLVTIONE OBIECTIONVM IN SINGVLAS APPROBATIONES DOCTRINÆ S. THOMÆ.



Vllam existimo Scripturam fortunatam (aiebat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum) *cui nullus omninò contradicat, sed illam existimandum est rationi esse consentaneam, cui nemo iure contradicat*. Nihil proinde roboris surripiendum esse certissimis doctrinæ S. Thomæ approbationibus, ex obiectionibus Petri de Alua, lector quilibet iudicabit, si tum nostras subsequentes excurrerit responsiuas exercitationes, tum auctoris eiusdem proscripti operis ad minùs extimam speciem considerare non recusarit, graphicè è sua Idea exemplatam, suisque coloribus redditam apud Hieronymum lib. 2. in Vigilantium cap. 1. hisce verbis: *huius Scriptoris*, inquit, *tanta barbaries est, & tantis vitijs spurcissimus sermo confusus, vt nec quid loquatur, potuerim vix intelligere, totus en m tumet, totus iacet, attollit se per singula, & quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur, non est contentus nostro, idest humano, more loqui, altius quædam aggreditur. Parturient montes, nascetur ridiculus mus: quod ipse non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Præterea innoluit omnia, & quibusdam inextricabilibus nodis* (hic titulus, scilicet *nodi indissolubiles*, libri nobis aduersi epigraphe est) *vniuersa perturbat, vt illud Plautinarum litterarum ei possit aptari: has quidem præter Sybillam leget nemo, nam diuinandum est, Furiosus Apollinis Vates; legimus & illud Virgilianum: dat sine mente sonum*. Hæc verba Hieronymi: & reipsa Vigilãtius hic noster, seù potiùs *Dormitantius* (vt ibidem à Hieronymo intorto nomine appellabatur) in Theologia Scholastica adeò in suis his nodis indissolubilibus gnauiter versatus est, vt ignoratis, aut saltem abiectis hucusque per alios adhibitis argumentis è scriptura, Patribus, sacrisque rationibus, nouam, & solam ipse, eamque ridiculam comparationem vbique ingerat, ac pro vnico argumento reponat, & repetat, *inter conceptionem Veneris, ac Mentis* Tyrunculis quoque despiciendam, agnoscentibus sanè, tam longè hęc duo ad inuicē remota esse, quam discriminetur, & differat, aliquem per

per triginta, vel plures annos addiscendo doctorem euadere, ab eo, quod est vix natum in vtero (ne dicam dum fieri incipit) sanctitatis apicem attigisse. Adeò rursùs fidus iste Sacræ Scripturæ & Sanctorum Scholiastes est, vt in libri limine vtroque pede labatur, adscribens Psalmo 57. hæc singula verba. *Omnes errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa*, cum tamen vniuersalis ea particula *Omnes* in dicto psalmo sine dubio non reperiatur, & pagina 26. volens hæc verba referre, *Deus in Sanctis suis gloriosus ostenditur*, sic impie peruertit, ac refert, *Deus in Sanctis suis gloriosus offenditur*, & pagina 93 hæc verba attribuit D. Antonino de S. Thoma in vita eiusdem, *quod nec habuerit primum motum inanis gloriæ*, & tamen Antonini hæc verba sunt: *& sic primum motum præuenientem rationem eiusdem rationis superueniente iudicio repressit*. Dialecticus postea, & Grammaticus, tam absolutus omnibus numeris est, vt in vna dumtaxat periodo obuia similiter initio libri, tres simul sylogisticæ formæ terminos (aduersus Dialecticæ Canones) nuncupet maiorem, minorem, & Consequentiam, & verbum *doceo* (contra grammaticæ leges) cum casu dandi, non accusandi, connectat dicens: *Philosophiæ professor docere vult lectoribus iubilatis &c. Lector ille iubilatus scit, quid sit argumentum, & quod debeat constare solis tribus terminis, scilicet maiori, minori, & Consequentia*. Historiæ porrò Ecclesiasticæ, & Cosmographiæ ita peritus existit, vt in altero non minùs proscripto libro, qui inscribebatur ab ipso, *Sol veritatis*, neget tum alicubi vnquam extitisse aliquem *Archiepiscopum Antibarensem*, vel *Antibarensem Archiepiscopatum*, tum alicubi extare locum nuncupatum *Montem Luporum*, cum tamen Archiepiscopalem vrbem italicè *Antiuari* in Dalmatia reipsa existere nunc occupatam à Turcis res compertissima sit, & posterius hoc Oppidum, quod dicitur *Mons Luporum*, tum in Hetruria, tum in Piceno (ni forsan alibi) vulgò notissimum adsit. Adeò robustus argutator est, vt contra Araucum nostrum anteà Salmanticæ professorem, mox Ecclesiæ Prçsulem, aienrem, *De festo natiuitatis Deiparæ in Ecclesia dubitatum non esse*, producat ipse Scholasticos in 3. distin. 3. inscribentes articulos, *Vtrum Beata Virgo sanctificata fuerit in vtero ante natiuitatem*; cum tamen eodem modo & inscripserint ijdem scholastici articulos, *an Deus sit*, *an detur Trinitas in diuinis*, neque tamē exinde sequatur in Ecclesia dubitatum esse de existentia, vel Dei, vel Trinitatis. Emunctæ deinde adeò naris est in Crysi librorum, vt velut è tripode decernendo pronunciet, perperam tum Turrecrematam, Bandellum, & Gryfaldum inter Canonistas nuncupasse D. Raymundum, cum ille fuerit diuus, tum eundem Bandellum in auctorum Syngraphe scripsisse *B. Clementem VI.* cum Clemens Beatorum albo adscriptus non reperiatur; & tamen, ne dum apposita littera D. ad Raymundi personam indifferens sit ad *diuum*, ac *dominum*, verum etiam nil sine dubio prohibeat, Diuum virum in iure Canonico fuisse peritum, & quoad Clementem VI. iam soleant omnes Pontifices vltrò *Beatissimi* titulo decorari. Tàm liberalis, vel prodigus in S. Thomam Encomiastes est (cuius doctrina se imbutum in sæculo Pagina 45. gloriabatur) vt asserat doctrinam D. Thomæ ducentum & viginti errorum damnatam esse in Anglia, & Gallia ab Episcopo Parisiensi, & Oxoniensi, ad annum 1226 (quo priores illæ censuræ emissæ fuerunt) cum tamen eo anno vix suæ ætatis annum secundum D. Thomas attigisset, vbi de posteriori deinde Parisiensi Censura, nec verè tangente vel in vna assertione D. Thomæ doctrinam, mox suo loco

dicturi

dicturi sumus. Tandem adeò elegans in inscribendis suis Libris videri voluit, vt, cum libri Epigraphe à Cassiodoro in præfatione dicantur, *Causarum præco, & totius Orationis breuissima vox*, ipse alteri à se edito libro (Romæque transfixo cum alijs eiusdem) obscuram hanc inscriptionem apponere non dubitarit, *Certum quid:* vt sibi scilicet possent reponi verba Hieronymi eodem libro in Vigilantium: *Quid sit illud, nescio quid, scire desidero, expone manifestiùs, ut tota libertate blasphemes*. Hic igitur idem ipse est, cuius obiectiones in singulas approbationes doctrinæ S. Thomæ, *in nodis*, vt vocat, *indissolubilibus*, implicatas, nunc ipsi per sequentes quæstiones in hoc 3. libro distinctas aggredimur dissoluendas, prætermissuri deinde vel nomen instituti eiusdem, quod ignorare volumus vel debemus, & si scriptoris nomen non sileamus, de quo proinde alicui forsan redarguenti nos ipsos respondere valebimus illis D. Bernardi verbis epis. 68. *Vos ad conuincendum nos de simulata ignorantia inuictissimum argumentum inducitis, non posse videlicet ignotos esse nobis, quorum nomen in nostris posuimus litteris: quasi mox, vt rerum vocabula scimus, etiam res ipsas nouerimus*; quod quam falsum sit, ibidem prosequitur D. B. ab exemplis quampluribus elegantissime demonstrare.

QVÆSTIO PRIMA.

De approbatione Stephani Parisiensis, & Parisiensis Accademiæ.

QVia vero approbationum Doctrinæ S. Thomæ, aliæ antiquiores fuerunt ante Sacrosanctam Tridentinam Synodum (quæ suo ordine præstabiliendæ sunt) quædam eadem Synodo Tridentina posteriores, ac recentiores, & illæ primæ, aliæ tunc editis diplomatibus, vel litteris eorum, qui doctrinam S. Thomæ approbarunt, innixæ, aliæ in visionibus siue reuelationibus Cælitum, aut cæterorum eiusmodi oretenus pronunciatis repositæ sunt, Ideo prius de approbationibus antiquioribus illisque per diplomata vel authéticas litteras habitis disseremus, 2. de approbationibus antiquis vtique sed per reuelationes Cęlitum solum aut oretenus pronunciata firmatis subdemus. 3. demum de posterioribus Pontificum diplomatibus post Tridentinam Synodum emanatis recto ordine prosequemur, atque absoluemus hunc librũ; Ommissa altera, licet omnium ordine prima ac dignitate suprema, approbatione, scilicet Bulla canonismi D. Thomæ Aquinatis edita per Ioannem XXII. anno 1323, post quam immediate approbatio Parisiensis subsequuta fuit, tum quia præfata Bulla iam legitur per extensum in Bullario Romano inter constitutiones eiusdem Pontificis, tum quia à nemine Catholicorum, immo nec forsan ab aliquo Hæreticorum (quem viderim) in litem legitur reuocata, & tamen, si aliæ quæcumque deessent, hæc vna commendans altissimè editos à S. Thoma codices innumerabiles, tum in *primitiuis scientijs* (scilicet Theologicis) *& in sacram paginam, tum in diuersis philosophiæ partibus* tamquam *opera Dei* (vt Pontifex loquebatur) *non absque speciale Dei infusione perfectos, admirationem merito exhibentes, vt illud psalmi (Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra) in eo verissimè impleretur, quod thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina incepturus, assumpsit*; hæc, inquam, ex hac Bulla amplissima simul approbatio atque certissima (à nemine tacta) si cæteræ deessent omnes,

me quidem consule satis esset, vbi & alia similiter, intacta à quocumque opponente, Bulla Clementis VI. data eodem sæculo ad annum 1353, inter alia de S. Thoma sic habens: *ex cuius* (scilicet S. Thomæ de Aquino) *Doctoris egregij sapientiæ & doctrinæ scriptis & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicem spiritualis vbertatis fructum recolligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter*: his duabus dumtaxat, vt dixi, Bullis omissis, quæ defensione non egent, cæteras omnes hic vellicatas ab isto approbationes, præfixo ordine vendicabimus, & primo de prima, post Bullam Ioannis XXII. approbatione Parisiensi in hac quæstione dicemus, deinde de altera Innocentij, tertio de Bulla Vrbani V. ad Tolosanos, denique de approbationibus, innixis reuelationibus Cælitum, & huiusmodi cæteris eodem ordine differemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An aliquæ S. Thomæ assertiones fuerint verè aliquando damnatæ Parisijs, vt Osores quidam opponunt.

Videtur sic affirmandum esse non paucis, ac inter cæteros id ex professo tractanti ipsi Petro de Alua nodo 2. §. 1. expendenti per integrũ epistolas Stephani Episcopi Parisiensis, non quidem huius nominis primi, vti supponunt aliqui, hanc damnationem referentes ad annum 1227, cum vix San. Thomas tunc viuere potuerit, sed huius nominis *secundi*, referendo damnationem ad annum 1277, post tres annos à morte Sancti Doctoris, vt ipse probat, & habet Gerson tomo 1. in Epistola ad Fratrem Minorem &c. Probat autem primo, quia adhuc reipsa in fine librorum Magistri sent. vbi referuntur per extensum errores damnati Parisijs à prædicto Stephano Parisiensi Episcopo, sub titulo *de Deo*, iste etiam refertur esse damnatus, *quod scilicet Deus non potest multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia*; sed ista est manifestissima assertio S. Thomæ in tractatu de Angelis, quos ponit in multiplicabiles solo numero sub eadem specie, vti opponebat & Scotus quodlibeto 2. q. 2. Ergo iam tunc manifeste Parisijs à prædicto Stephano Parisiensi aliqua assertio S. Thomæ proscripta fuit.

Secundò, quia euidentius adhuc ibidem sub hoc altero titulo subsequenti: *Errores de Angelo, vel intelligentia*, subiungitur hic error alter damnatus, tamquã S. Thomæ conceptis his verbis, nimirum, *quod intelligentia non habente materia Deus non potest plures res eiusdem speciei facere, eo quod materia non est in angelis, contra fratrem Thomam*: hæc ibi. Sed hoc est expresse damnare S. Thomæ doctrinam. Ergo iam aliqua S. Thomæ doctrina Parisijs damnata fuit.

Tertiò, quia indè sequuta hac damnatione vsque ad annum 1277, iterum adhuc ad annum 1387. orta controuersia inter Accademiam Parisiensem, & Ioannem de Mõtesono Ordinis Prædicatorum, eadem Accademia Parisiensis in litteris ad Pontificem Auenioni sedentem in fine eiusdem Magistri sent. impressis, iterato non solum §. ad secundum, repetebat, seù memorabat supradictam S. Thomæ propositionem, velut Parisijs damnatam cum duabus alijs reputatis erroneis, scilicet *Deum non posse producere aliam terram præter istam*, vt aiebat S. Thomas p. p. q. 48. ar. vltimo, vel *vnam dari formam in homine*, vt ex eodem in p. p. q. 78. art. 3. & 6. refert &, damnat Ocham in suo Dialogo, velut sub-

subinferentem errores damnatos in Anglia de negata identitate Corporis Christi viuentis, & mortui &c. verum etiam vlterius in 4. & 5. Conclusione ex proposito eadem Parisiēsis Academia referebat vt erroneum in fide id, quod asserit S. Thomas in 2. contra gentes cap. 59. *dari aliqua entia creata, habentia necessitatem absolutam essendi*. Sed hoc est iterum dogmata San. Thomæ verè fuisse damnata Parisijs; ergo verè res ita se habet, neque id potest amplius sub dubio vocari.

Quartò, id probat Alua ex Testibus, vt ipse loquitur, *omni exceptione maioribus*, siquidem præter Ægidium S. Thomæ auditorem in suo defensorio doctrinę eiusdem hinc conquerentem tunc temporis *quosdam Thomæ doctrinam, immo veritatem, quam docuit, deprauare conatos esse*, etiam Godefridus, qui mox inde vixit anno 1300, in suo quodlibeto 12. q. 5. fatetur articulos illos proscriptos Parisijs, *fuisse in detrimentum doctrinæ Reuerendissimi, & Excellentissimi Doctoris Fratris Thomæ &c.*, & alter pariter antiquissimus Scriptor Anonymus, cuius opus, inquit Alua, adhuc manuscriptum legitur, antiquis characteribus exaratum, in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Pampelonensis Canonicorum Regularium, inter extera folio 158. vbi inquirebat, *vtrum licitè possit doceri Parisijs doctrina Patris Thomæ, quantum ad omnes conclusiones eiusdem*, proponit sibi pro parte negatiua hoc argumentum, eo quia, inquit, *multa conclusiones eius sunt sub pœna excommunicationis, & vt erroneæ condemnatæ, videlicet, quod multi Angeli non possint esse in vna specie, & de multis alijs &c.* Sed ex his testibus apertè conuincitur tunc fuisse Parisijs aliqua dogmata S. Thomæ proscripta. Ergo effrontis erit, & nimis audacis id denegare.

Quintò, quia nisi id verum esset, adminus veteres scriptores Thomistæ id admittere recusassent. Sed immo isti id admittere non recusarunt, vt inter cæteros affert Alua primo loco quemdam Patrem Vincentium Dodi Dominicanum in Gallia scribentem, sub Sixto IV. Pontifice in Apologia contra Samuelem de Cassinis Ordinis Minorum, & inde Didacum Aluarez disp. 5. de auxilijs circà approbationem doctrinæ S. Thomæ, & demum Seraphinum Porrectam in prologo de altitudine doctrinæ S. Thomæ, qui singuli admittunt ad quorumdam saltem æmulorum instantiam mortuo Sancto Doctore fuisse Parisijs aliquos eiusdem articulos condemnatos. Ergo iam dubio procul ita euenisse non amplius ex nostris etiam Dominicanis Scriptoribus ambigendum est.

Sextò, quia reuocatio facti supponit factum. Sed plerique modo Thomistæ supponunt, & iactant, postmodum alterum Stephanum Episcopum Parisiensem sub anno 1323 huius nominis tertium, post Canonismum eiusdem S. Thomæ, per alias Epistolas etiam nomine Vniuersitatis Parisiensis evulgatas, reuocasse condemnationem factam quorundam articulorum S. Thomæ, sic incipientibus litteris, *Magistra experientia &c.* vt passim modò iunguntur hæ litteræ cum impressione operum S. Thomæ. Ergo iam factum vt certum præsupponendum est, scilicet anteà ab altero Stephano Parisiensi Episcopo secundo huius nominis emanasse prædictam condemnationem quarundam San. Thomæ assertionum, vt dicebatur &c.

In oppositum tamen est, quod aliud est Parisijs ab aliquibus paucis cerebrosis, aut turbulentis, fuisse tentatam damnationem etiam aliquorum articulorum

lorum San. Thomæ, seù etiam in damnatione articulorum aliorum auctorum, fuisse posteà ex industria ab eisdem sparsum rumorem in vulgus, tactum fuisse simul aliquem articulum S. Thomæ, aliud verò longè diuersum est, re vera aliquem articulum S. Thomæ ibidem euasisse damnatum, vel tactum. Et pertransacto nunc primo, sine dubio secundum falsum esse testatur, tum Dominus Iacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum Archiepiscopus posteà Neapolitanus (apud Bolandum die 7. Martij) in processu Canonizationis eiusdem San. Thomæ cap. 9. sic dicens: *Plura scripta magnorum doctorum, post mortem eorum, inueniuntur impugnata, & lacerata: sed scripta ipsius fratris Thomæ, licet post eius mortem à multis, & magnis impugnata fuerint, & reprehensionis morsibus attentata; tamen nunquam decreuit eius auctoritas, sed semper inualuit, & fuit diffusa vbique terrarum, cum cultu, & reuerentia:* tum B. Albertus Magnus relatus in eodem capite 9. processus Canonizationis his verbis: *insonuit rumor, quod scripta fratris Thomæ impugnarentur; vnde dictus frater Albertus dixit, se illuc velle accedere pro defensione illorum scriptorum &c, & iuit Parisios, & facta conuocatione studij generalis Parisiensis, ascendit Cathedram &c, ipsius fratris Thomæ laudes gloriosas, & excelsas dicens, quod ipse paratus erat in examine peritorum defendere scripta dicti fratris Thomæ, tanquam veritate fulgentia, & sanctitate, et post multa dicta, et collecta in honorem Dei, et approbationem eorundem Scriptorum; idem Frater Albertus redijt Coloniam &c.* Si autem sub Anathematis pœna Parisiense decretum, iam editum, verè damnauisset aliquos articulos S. Thomæ, quis putet statim eodem tempore in defensionem eorundem omnium S. Thomæ Scriptorum passuram integram Vniuersitatem, se coram, similia ab Alberto Magno constantissime ex opposito pronunciari? non igitur putandum est verè in prædicto decreto aliquos S. Thomæ articulos damnatos esse, & si aduersus rumor ab æmulis spargeretur.

Respondeo iam firmam esse in hac re negatiuam sententiam, vt quicunque dignetur breuiter hæc nostra subsequentia fundamenta percurrere, non illibenter eidem assensum præbiturus sit. Quis enim nescit Ioannem de Neapoli non longè ab eo tempore floruisse, vtpotè laureatum Parisijs anno 1315, & passim in suis operibus Doctorem Angelicum referentem, velut sui præceptorem, sub nomine *fratris Thomæ &c.* vt annotatur id ipsum in vita eiusdem Ioannis de Neapoli, cum eius opere vulgata Neapoli? at hic ipse Ioannes de Neapoli, ne dum in impresso volumine, verum etiam in manuscriptis quodlibetis, articulum integrum inserebat (vt inter cæteros obseruauit noster Magister Grauina de sacro deposito cap. 24. §. 1.) in quo, dum ab alijs illius temporis calumnijs vindicat S. Thomam, ostendit etiam verè in dicta damnatione Parisijs damnatos haudquaquam euasisse sensus doctrinæ Angelici Præceptoris; Ergo nec verè Parisijs vnquam euasisse damnatam S. Thomæ doctrinam sustinendum est. Quis vltrò ignorat Heruæum Britonem eadem postrema tempora S. Thomæ attigisse, cum in Generalem Ordinis Prædicatorum ad annum 1316. ex Chronico electus esse legatur, & rursùs in processu Canonizationis eiusdem San. Thomæ c. 5. afferatur, vt testis? at verò & Herueus hic ipse in 2. dist. 3. q. 2. ad 3. eodem modo tuetur, nequaquam in sensu S. Thomæ articulos aliquos Parisijs euasisse damnatos. Ergo & ex hoc teste antiquissimo simul id ipsum, quod nos intendimus, inferri potest, ac debet. Quem fugit postmodum Chronologicè succedentes nostros in eadem re conuenisse

Scripto-

Scriptores, vti Capreolum in 2. dist. 2. q. 1. ad 1. Gregorij, & iterum dist. 3. q. 1. Ferrariensem libro 2. contrà Gentiles cap. 93. Caietanum ad cap. 5. de ente & essentia q. 9. ad postremum Antonij Trombetæ, & alios singulos passim subsequentes Thomistas, ex instituto monstrãtes longe diuersum esse Angelici Præceptoris sensum ab eo, in quo Parisienses articuli proscripti fuere. Non igitur vnquam admittendum est in suo vero sensu aliqua dogmata San. Thomæ fuisse Parisiensi censuræ subiecta.

Secundò, ne fortè quis pauidus, vel incredulus renuat his Dominicanis, etsi antiquissimis Scriptoribus, credere, seù adhærere, producam in testes externos alios, nec contemnendos, adhuc illius eiusdem ætatis Scriptores de recenti tunc eiusdem facti memoria scribentes. Sic enim *antiquus scriptor*, vt hisce eisdem verbis ipsemet Petrus de Alua in proposito nobis aduersus attestatur, loco vbi supra relato, *antiquus*, inquam, *scriptor, cuius quodlibeta manuscripta extant in Bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicorum Regularium Pampelonensi in 4. habentia folia* 178, *& habentia Characteres ita antiquos, vt alicubi legi non possint*, concludebat, *nullum articulum Parisijs pro errore condemnatum esse contra doctrinam fratris Thomæ &c, quod patet discurrendo per illos articulos condemnatos, qui videntur esse contra doctrinam eius, ostendendo, quod secundum veritatem non sunt*, vt ibi, vel teste Aluâ, *discurrit per nouem Articulos*. Hæc ille, vt idem Alua eiusdem verba transcribit. Sed iste profectò non erat Dominicanus, vti nec nobis aduersus Alua audet comminisci. Ergo iam ex antiquis testibus etiam non Dominicanis habemus S. Thomæ doctrinam in dicta damnatione Parisijs non fuisse damnatam. Confirmo, quia Godefridus de Fontibus antiquissimus Scriptor & ipse sub anno 1300. & impugnator in non paucis doctrinæ San. *Thomæ* fuit, vt eius opera, vel argumenta relata à Capreolo transcurrenti patebit. Sed hic ipse in quodlibeto 12. q. 5. pertractans Historiam istam de damnatione prædicta Parisijs, ingenuè fatetur pro nobis hanc veritatem, atque in hæc verba descendit: *frater Thomas ex prædictis articulis minus iustè aliqualiter diffamatur*. Ergo pro nobis adsunt iam testes omni exceptione maiores.

Tertiò principaliter firmo intentum nostrum, & exarmo præcipua auctoritate aduersarios. Ad probandum enim S. Thomæ doctrinam fuisse reuera in *dictis* articulis condemnatam, non sufficit aliquos tunc temporis æmulos San. Thomæ, vel inuidos, ne dicam sciolos, perperam in hoc sensu S. Thomæ intelligere eos articulos voluisse, vel intelligere simulasse, vt inuidiam sapientissimo viro procrearent, falsosque in vulgus rumores effunderent. Sed hoc solum ad summum ex relatis ab Alua conuincitur, non verò, quod re ipsa in dictis articulis sensus doctrinæ S. Thomæ fuerit perculsus, aut tactus. Ergo id verè dicere iterum non licebit. Accipe nunc pro minori, quam ipsi subsumpsimus, clarissima testimonia Priscorum. Sic enim mox ante relatus Godefridus eodem loco subdebat: *ideò in hoc, quod tales articuli tamquam erronei reprobantur, dicta doctrina fratris Thomæ vt suspecta à simplicibus habetur* (id quæso perpendas) *propter quod plures possent habere occasionem retrahendi se à studio in tali doctrina, in quo non solum ipsa doctrina læditur, sed ipsi studentes verè maximum damnum sustinent*. Sic Ægidius in suo Defensorio ab initio hoc innuens sub eodem tempore ita scribebat: *Quidam fratris Thomæ doctrinam, immo veritatem, quam docuit,*

Digitized by Google

docuit, deprauare nituntur, quædam ipsius sermonibus veritate plenis, & spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes. Sic & Henricus de Gandauo, qui in quodlibeto 2. q. 9. *eorum magistrorum in Theologia tunc congregatorum super his articulis se vnum fuisse*, testatur, hic ipse, vt obseruat Capreolus vbi suprà, ideircò *fatetur se non intelligere illos articulos*, vti præter Ægidium mox ante relatum, & habet, & loquitur idem Capreolus, *Multi alij dicunt, quod illi articuli fuerunt facti, non conuocatis omnibus doctoribus Parisiensibus sed ad requestum quorundam Capitaneorum*, vt eadem omnino cum Capreolo verba habet etiam Vincentius Dodi Gallus scribens sub Sixto IV. in sua Apologia contra Samuelem de Cassinis pagina 12 vel Alua ipso fatente. Immo hic idem Vincentius Dodi scribens ad annum 1470. (vt iterum idem Alua fatetur pagina 85.) hac ratione dicebat: *Ad illud, quod doctrina S. Thomæ fuerit improbata assertiuè in sex articulis ab vniuersitate Parisiensi &c, satis responsum est supra, & ostensum hoc esse mendacium.* Sic Dodi. Porro quinam isti diffamationis emissæ in S. Thomam extiterint auctores, præterea, quæ consuli possunt in Ferdinando Castillo libro 3. c. 31. breuiter attingit etiam noster Grauina de Sacro deposito c. 24. S. p. recensens Gulielmum à Sancto Amore, & complices erroris eiusdem impugnatos à S. Thoma, & D. Bonauentura, conatos esse adhuc viuentes etiam Thomam, & Bonauenturam ab Vniuersitate Parisiensi exturbare, nisi in suppetias auctoritas Alexandri IV. accessisset. Sed ad quid vltrò immoramur in perquirendis testibus ad hoc? cum vel ipsa Parisiensis Vniuersitas non semel, sed bis ex hoc solo rumore industria quorumdam evulgato id prouenisse testetur. Anno siquidem 1324. in Epistola incipiente, *Magistra experientia*, repetenda in sequenti, sic habet: *quorum articulorum nonnulli doctrinam eximij doctoris Beati Thomæ tangere ab aliquibus asseruntur*; & anno iterum 1385 in epistolis ipsis Auenionem ad Pontificem missis aduersus Montesonum Dominicanum Conclusione 5. sic scribit: *prædicta Sancti Thomæ doctrina secundum quosdam est in fide erronea seu in aliqua sui parte de huiusmodi errore suspecta. Sed non assertiuè, sed solum recitatiuè loquimur. Dicunt enim aliqui &c.* En ex diffamatione sola, vt apparet, procurata à quibusdam in S. Thomam, hæc integra calumnia procreata, conflataque fuit.

Quartò, id principaliter ab obiectis sic vindicatur. In tantum enim aduersi supponunt verè Parisijs hanc articulorum damnationem in sensu intento à S. Thoma contigisse, in quantum de facto adhuc in fine librorum Magistri Sententiarum articulus damnatus de immultiplicabilitate numerica Angelorum ex defectu materiæ deprompta, concludebatur his verbis: *Contra Fratrem Thomam.* Sed hæc ratio nulla est, vt mox ostendo. Ergo hoc non obstante id asseuerare non possumus, nec debemus. Ostendo minorem ex ipsomet Alua confitente impressiones prædictæ damnationis successiuè evulgatas *incongruã habere dispositionem, scatereque vitijs, & corruptionibus*, vt ipse loquitur, & quoad hoc ibidem euidenter ostendit, tum quia in aliquibus impressionibus, *extant litteræ condemnatoriæ sine erroribus, in aliquibus errores sine litteris, in aliquibus cum istis erroribus damnatis Parisijs, errores etiam damnati alibi in vniuersitatibus angliæ, adeò vt nullo modo colligi possit, quales errores damnauerit Stephanus, vel a quo Episcopo & quando errores isti seorsim positi damnati fuerint: tum quia in aliquibus signantur tantummodo centum nonaginta errores, in alijs ducenti tres, in alijs ducenti decem, &*

nouem,

nouem, & tandem in alijs ducenti viginti duo &c, quia tempore impressionis (conclu-dit) *vnusquisque sui dictaminis arbitrio vtebatur ad subtrahendum, vel addendum* quid clarius? hæc Alua adiungens & annum damnationis legi 1224; cum legi debeat 1277, eò quia nec tūc Stephanus Episcopus erat, sed Bartholomæus Carnorensis, nec tunc interuenire Henricus poterat, vt magister, sicut se inter fuisse testatus est suprà scribens ad annum 1290; vti etiam supponitur auctor damnationis Stephanus Episcopus huius nominis primus cognominatus de Scenlis Syluanectensis, cum verè fuerit Stephanus Episcopus huius nominis secundus dictus de Templier Aurelianensis, cum ille sederit ab anno 1123 ad annum 1140, hic verò appositè ab anno 1268. ad annum 1285, & ideò huic iuniori veriùs attribuit hanc damnationem, non solum Gerson tom. 1. in epistola ad fratrem Minorem dicens: *hunc damnauisse illos 219. articulos famosiores anno 1276 scillicet per duos annos post felices obitus SS. Thomæ, & Bonauenturæ*, verum & Auctor Galliæ Christianæ tomo 1. folio 449. cum alijs. Ex hac igitur tam varia, & tam gratuita ad libitum impressione prædictæ damnationis, iam constat, nil obstare, quin ex priuato alicuius arbitrio & illa particula adiuncta sit, *Contrà fratrem Thomam*, cum vt Alua fatetur, *vnusquisque sui arbitrij dictamine ad subtrahendum, vel addendum in impressione vteretur*. Confirmo, nam præter istam particulam alij etiam in quibusdam impressionibus non erubuerunt, vel formidarunt hunc adiungere titulum damnationi: *Liber continens articulos reprobatos à facultate Parisiensi contra doctrinam Sancti Thomæ*, vt notat noster Grauina in suo Cherubin Paradisi lib. 4. cap. 1, ideoque, vt subiungit eodem loco Grauina, *iussu sancti tribunalis Inquisitionis iustis de causis fuere clausulæ similes interdictæ, & proscriptæ*, vti & Montagnolus ad hoc in 1. p. q. 50. ar. 4. *maximè*, *inquit, animaduertendum est, quod in indice reformationis librorum prohibiti sunt Articuli Parisienses contrà Sanctum Thomam inscripti*, seù, vt repetit Baronius noster lib. 4. Apologetico sect. 2. prohibitus legitur: *in indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini littera L. liber continens articulos reprobatos à facultate Parisiensi contra doctrinam D. Thomæ*. Ergo iam ex prædicta vitiata impressione, ideoque iustè proscripta, non licet amplius arguere, vel inferre aliquam doctrinam S. Thomæ Parisijs fuisse prohibitam, ex eo quod etiam ibi illa particula *contra Fratrem Thomam* subiuncta alicubi perlegatur.

Quintò demum probatur, nam verisimile non est doctores Parisiēses statim post duos annos à morte D. Thomæ intendisse damnare sensum illius doctrinæ, quam immò mox ante, & eodem fermè tempore Vniuersitas simul, & Parisienses Doctores immensis laudibus cumulabant. Sed ita prosequebātur Angelici Præceptoris doctrinam, tum S. Thoma viuente, tum statim postmodū eodem fermè tempore, quò accidit ista damnatio; ergo verisimile non est in hac eadem damnatione dictorum articulorum sensum doctrinæ S. Thomæ proscribere voluisse. Minorem ostendo, tùm quia viuente adhuc, & legente Parisijs S. Thoma, vt scribit D. Antoninus 3. p. Chronicæ tit. 23. cap. 7. *Omnium ibidem concurrebant sententia, quidquid frater Thomas doctor determinaret, & definitiuè proferret, hoc communis schola inconcusse teneret, experti namque erant in alijs de eodem, quam ipse subtilius in omni genere veritatem attingeret, & eam clariùs edoceret*; tum quia eodem Anno sequutæ damnationis post duos annos ab obitu S. Thomæ scribens Godefridus Parisiensis pariter Doctor, quodlibeto 12. q. 5. (vt me-

morat & Capreolus vbi suprà, & Alua ipse recenset, *Fratris Thomæ doctrina*, inquiebat, *inter cæteras videtur vtilior, & laudabilior reputanda, vt de doctore, qui eam scripsit, dici possit, Vos estis sal terræ &c*, tum quia & Petrus Rogerius, qui postea fuit Cardinalis, & Clemens VI. Doctor Parisiensis & ipse, eodem ferè tempore in quodam sermone de laudibus eiusdem Angelici Præceptoris incipiente, *ecce plusquam Salamon hic*, habito coram Cardinalibus, vt idem Alua fatetur pagina 347. aiebat; *audacter dico quod iste præcessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum, immò & post eum in Vniuersitate Parisiensi &c, est enim huius doctoris doctrina vera sine contagio falsitatis &c. Ipsam certè sequens, non deuias, ipsam cogitans, non erras &c*; præter Vrbanum V. in priori Bulla ad Tolosanos (reseruata cum alia posteriori eiusdem Pontificis Tolosæ, vt fatetur ipse Alua nodo 3. pagina 270.) in ordine ad Parisienses anno 1377. subiungentem; *ad decus, & decorem totius studij Parisiensis, in quo idem gloriosus sanctus sua facundi facundia cælestis irrigui gratia influente scripturarum ænigmata reserauit, soluit nodos, obscura dilucidauit, dubiaque declarauit*, vti non minora his habet & Stephanus Episcopus secundus Parisiensis in Epistola reuocatoria anno 1324. de qua in sequenti.

Ad primum igitur respondebant eodem tempore, post damnationem adhuc non retractatam, Heruęus & Ioannes de Neapoli (quos postea alij nostri sequuti sunt vbi supra) negando minorem, quia ille articulus reprobatus expetebat ad multiplicationem numericam speciei ipsam materiam vt partem intrinsecam totius, vt in homine, & non solum vt connotatum extrinsecum, vt in anima hominis, & idcirco ille articulus vt error Auerrois recte damnatus est, vt constat ex errore 117 damnato ibidem, *quod intellectus vnus est, quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentia materiæ*; & hac de causa etiam in prologo seu præfatione eiusdem damnationis dicebatur de defensoribus eorundem errorum, *quod errores prædictos gentilium scripturis muniebant*. Non sic autem S. Thomas, qui integrum immo opusculum 16. aduersus Auerroistas inscripserat, & evulgarat.

Ad secundum distinguo maiorem, ita vt illa particula, *contra Fratrem Thomam*; addita sit ad libitum ab aliquo in impressione iam vitiata, vt probatum est, Concedo, ita vt vere in damnationis epistola vel decreto, illa particula adesset, nego, tum quia in eadem præfatione litterarum manifestè exprimitur damnationem editam fuisse, *ob non nullos Parisijs Studentes* (nota, non inquit professores siue Doctores) *in artibus propriæ facultatis limites trăscendentes, & qui quosdam manifestos & execrabiles errores, immò potius vanitates & insanias &c. quasi dubitabiles in scholis tractare & disputare præsumunt*, vbi S. Thomas neque nomine *Studentium* poterat comprehendi, neque tunc sanè disputare poterat, cum esset relatus ad superos; tum quia, si in damnatione hæc manifesta particula adfuisset, certum fuisset doctrinam S. Thomæ euasisse damnatam, cum tamen, præter adducta, etiam ipse Alua fateatur pag. 185. tunc id certum non fuisse, sed solum post prædictos errores damnatos, *exiuisse sermonem inter Doctores Parisienses, & creuisse rumorem inter Scholasticos parum affectos &c.* quod scilicet illa damnatio tangeret S. Thomæ doctrinam.

Ad tertium distinguo maiorem, ita vt ea verba proferat Vniuersitas Parisiensis ibidem assertiuè, nego, *recitatiue*, vt ipsa se loqui profitetur, in sententia quorum-

quorundam, Concedo, vt eadem verba consulenti seu repetenti patebit; immo & ipse Ocham (receitatus ibidem) & si in S. Thomam & Thomistas inueheretur, adhuc & ipse lib. 2. contra Papam Ioannem XXII. in parte 1. cap. 27. solummodo aiebat, *multos putauisse opiniones S. Thomæ fuisse damnatas Parisijs &c.* non vero id vel ipse asserebat. Vnde singulæ adhuc S. Thomæ propositiones in obiectione relatæ communiter defenduntur, non solum à Thomistis, sed etiam à quamplurimis alijs; & præsertim vltima, de necessitate in essendo ipsius creaturæ immaterialis, optimè explicatur à Caietano p. p. q. 51. de necessitate scilicet non Logica sed Physica ex suppositione influxus agẽtis, vt explicauerat etiam idem S. Thomas p. p. q. 105. ar. 3. & hinc postea Caietanus p. p. q. 9. ar. 2. in fine, hac supposita explicatione, concludi: *dicere autem quod hoc repugnat fidei, summa ignorantia est, qualis moderno tempore regnare videtur apud quosdam Parisienses* (apud quos scilicet falsi huiusmodi rumores iterum spargebantur) *qui præfatam S. Thomæ doctrinam vt suspectam habent; sed hos cum sua ignorantia relinquamus.* Hæc Caietanus.

Ad quartum, distinguo maiorem, ita vt illi testes ab Alua congesti attestẽtur aliquos procurasse hanc diffamationem S. Thomæ evulgando eius doctrinam fuisse damnatam (licet reuera non esset) & inde alios simplices in hanc suspicionem inducendo, Concedo, ita vt supponant vel dicant verè fuisse damnatam, Nego, vt iam vidimus eorundem verba & cæterorum. Nec mirum sanè hanc S. Thomæ diffamationem falso aliquos tunc procurasse, cum denuo ipsemet Alua longè absurdiorem in S. Thomam diffamationem effundere procurarit, nempè in sua prima editione, folio 239, & in secunda (qua ipse vtor) folio 238, sic dicens. *Doctrina S. Thomæ fuit prius interdicta ab Episcopo Parisiensi, & sub excommunicationis pœna, quo ad ducentos viginti duos articulos, vt erronea in fide condemnata & prohibita, de quo nulla potest esse dubitatio &c.* & inter istos inquit, folio 165. primus error est, *quod Deus non est trinus & vnus*, Secundus, *quod Deus non potest generare sibi similem*, & huiusmodi. Bone Deus! quid expectamus ab Alua amplius affigendum Angelico Præceptoris? Si, quia, vt vidimus mox, de aliquo vix articulo inter Scholasticos tunc solito disputari, & vsque modo pro S. Thoma deffenso, à Parisiensibus eo tempore dubitabatur, nunc singulos eos 222. aliorum errantium articulos, ac inter eos etiam blasphæmos, hæreticos, immo à plerisque etiam hæreticis condemnatos, vni Angelico Præceptori attribuere Alua tam falsò, tam temere non veretur, non erubescit?

Ad quintum, præter nostros antiquos adductos, distinguo maiorem, ita vt nostri posteriores Thomistæ pertranseant & ipsi, *fuisse damnatam* absolutè, & veraciter in sensu Vniuersitatis, Nego, saltem iuxta sensum priuatorum quorundam vel dubitantium aliorum mox ante adductum, Concedo. Vnde Aluarez, quem adducebat Alua, notanter sic habet: *in Vniuersitate Parisiensi, vt quidam referunt, aduersus S. Doctorem quam plurimi Theologi Parisienses statim post eius obitum insurrexerunt &c.* non dixit absolutè aliquam doctrinam S. Thomæ ab Vniuersitate Parisiensi vnquam fuisse damnatam. Similiter & clarius Doctor Parisiensis Vincentius Dodi in opusculo edito circa annum 1475 (vt agnoscit & Alua nodo quinto pag. 422) aiebat: *articuli secundum aliquos (non secundum Vniuersitatem ipsam, vt facto comprobauit) videbantur tangere doctrinam S. Th.*

Ad sextum deniq; distinguo minorem, *reuocata est condemnatio doctrinæ S. Tho.* vt verè & absolutè sequuta, nego, quatenus aliqui in hoc sensu eam extendere conabantur, & evulgabant decipiendo alios, Concedo; vnde in eadem epistola reuocatoria apposite, vt iam præmisimus, Vniuersitas ipsa dicebat; *quorum articulorum nonnulli doctrinam eximij Doctoris B. Thomæ tangere ab aliquibus asseruntur*, & infra se eosdem reuocare subdebat, *quantum tangunt, vel tangere asseruntur B. Thomæ doctrinam*: & ante eandem editam reuocationem, Godefridus ipse vbi supra ostendebat hoc fine fore necessariam reuocationem, quia, inquiebat, *omnes isti articuli sunt occasio scandali inter audientes tam Doctores, quam Auditores, quia cum frequẽter oporteat exponere aliquos de prædictis articulis non quidem contra veritatem nec contra intentionem, quam habere debuerunt illi, qui prædictos articulos ediderunt, seu damnauerunt, sed tantum contra id, quod videtur prætendere superficies litteræ, aliqui minus periti & simplices reputant sic exponentes excommunicatos, & hi simplices bonos, & graues viros tanquam notatos de excommunicatione & errore Cancellario, vel Episcopo deferunt, & plura inconuenientia & Shysmata ex hoc inter Studentes oriuntur.* Et infra in speciali descendens ad doctrinam Diui Thomæ Aquinatis, inquit, *& ideo in hoc quod tales articuli tanquam erronei reprobantur, dicta doctrina vtilis & solemnis scilicet Reuerendissimi & Excellentissimi Doctoris Fratris Thomæ, vt suspecta à simplicibus habetur.* hæc Godefridus; & ex his patet, quod pro assertione statuimus. Nunc de Epistola reuocatoria prædicta, & consequenter de approbatione Vniuersitatis Parisiensis pro doctrina San. Thomæ in articulo sequenti dicendum est.

ARTICVLVS II.

An verè Stephanus Parisiensis Episcopus, huius nominis tertius, retractarit damnationem editam prius ab altero Stephano huius nominis secundo, quatenus tangere asserebatur doctrinam S. Thomæ, immo eandem doctrinam cum Vniuersitate Parisiensi approbarit.

Videtur negandum Aluæ nodo 2. pagina 215. Primo quia ab anno 1324. (quo expedita supponitur hæc retractationis Epistola) nunquam fuit visa, vel audita prædicta littera in Vniuersitate Parisiensi, nisi vsque ad annum 1387, quando Ioannes de Montesono eam in sui defensionem, & doctrinæ S. Thomæ, exhibuit, seù præsentauit Vniuersitati. Sed non est verisimile per tantum intercurrentis temporis spatium has litteras in Parisiensi Vniuersitate latuisse, si verè extitissent. Igitur euidens signum est eas potius veras non fuisse, sed solum à Montesono fuisse confictas.

Secundò, vt præmiserat etiam pag. 195, quia verisimiliùs fuisset in Vniuersitate Parisiensi latere potuisse litteras condemnatorias longè anteriores, scilicet editas anno 1277, quam has litteras longè posteriores editas anno 1324. Sed ex opposito illarum certa notitia reperitur adhuc ætate nostra, & tempore rursus exortæ Controuersiæ cum Montesono reperiebatur in quamplurimis libris manuscriptis & impressis; istarum verò nulla tunc reperiebatur, neq; nunc reperitur memoria in Archiuijs Vniuersitatis, aut in Scriptoribus illius temporis, præterquam extracta copia deinde ex quodam simplici transumpto per 63 annos retento apud Patres Prædicatores, & à Montesono

tunc

tunc temporis controuersiæ præsentato. Ergo signum euidens est à Montesono Dominicano has litteras iterum fuisse confictas.

Tertiò, eatenus saltem transumpto illi exhibito tunc à Montesono fidendum videretur, quatenus saltem transumptum hoc, tanquam authenticum, extitisset manu alicuius publici notarij subscriptum. Sed immo in Archiuo Vniuersitatis Parisiensis, vbi prætacta controuersia Montesoni cum Parisiensibus enarratur, simul hæc verba leguntur, *Magister de Montesono tenens in suis manibus quasdam litteras signo publici notarij non insignitas &c*; scilicet istas Stephani, vt ibi subiungitur, de quibus nunc verba facimus, vt inquit Alua pag. 195. se transcripsisse hæc eadem verba cum alijs infrà referendis ex eodem Archiuo die 26. Augusti hora quinta post meridiem apud Dominum Philippum Beuvot. Ergo nec illi transumpto exhibito à Montesono fidendum venit.

Quartò, quia hinc eodem tempore, quo Montesonus has litteras præsentauit antea incognitas Vniuersitati, duo Doctores Parisienses tunc temporis scribentes aduersus Theses expositas à Montesono, scilicet Ioannes Vitalis, & Ioannes Alanus, ille quidem cap. 6. hic verò Collat. 12. in hoc dicto conuenerunt, *quod non esset verisimile Patres Dominicanos habere veram litteram Domini Stephani Episcopi Parisiensis, quia iste condemnauit plures articulos eius ad sensum Sancti Thomæ &c. Ideò nonnulli dicunt, quod littera eius, quam ostenderat, vel subreptitia est, vel à veritate aliena*, vt verbatim transcribit Alua pag. 216. Ergo *cum contrà hoc dictum istorum ab eo tempore, usque nunc, nullum productum sit testimonium, nec extet adhuc in Vniuersitatis Archiuo, vel in Parisiensibus Bibliothecis, possumus etiam reputare ipsas litteras subreptitias fuisse*, vt Alua concludit.

Quintò, quia *Ioannes Thomas pariter Dominicanus frater Vterinus eiusdem Montesoni in sua reuocatione solemni facta in Conuentu Fratrum Minorum, declarauit talium litterarum notitiam nullam fuisse apud Patres sui Ordinis*, vt se infrà daturum eiusdem verba promittit Alua nimirum pag. 275, vbi prædictos eosdem mox ante adductos duos Doctores Parisienses in testes adducit. Sed hoc verisimile non fuisset, si vere istæ litteræ præextitissent. Ergo verè non præextiterunt.

Sextò, si veræ fuissent hæ litteræ reuocatoriæ, vti veræ fuerant condemnatoriæ, sicut istæ condemnatoriæ communiter impressæ circumferuntur in fine Magistri sententiarum, & in alijs libris, ita impressæ fuissent simul & illæ ad releuandos scrupulos, qui ex interpretatione damnationis suboriebantur, vt supra adductum est. Sed non fuerunt alicubi simul impressæ, nec impressæ leguntur; Ergo signum est veras non extitisse.

Septimò, quia omnes Scriptores loquentes de Episcopis Parisiensibus *peruenientes quidem ad Stephanum secundum dictum de Templier; narrant ab eò editam condemnationem, agentes verò de Stehpano tertio dicto de Boreto, nullus inuenitur, qui reuocationis istius mentionem agat*. Ergo idem quod prius.

Octauò, ex inuerisimilitudine harum litterarum, tum vt reuocantium damnationem, tum vt nimis laudantium S. Thomam, earum falsitas comprobatur: ex vna enim parte inuerisimile est Vniuersitatem reuocare voluisse condemnationem factam à suo Episcopo antecessore, & in se doctissimo, & de cæterorum doctorum consensu: ex alia parte in his litteris dicitur, *quod per Consiliarios super deliberatione theologicæ facultatis fuit compertum, & relatum, dictum*

Con-

Confessorem Thomam, nihil vnquam sensisse, docuisse, seù scripsisse, quod sanctæ fidei, vel bonis moribus aduersaretur. At verò, vt repetebat auctor Apologiæ Parisiensis in litteris missis Auenionem ad Pontificem contrà Montesonum, *pro tunc non potuit constare dictæ facultati Theologicæ de omnibus, quæ S. Thomas sensit, aut verbo docuit; sed solum de his, quæ scripsit, & scripto reliquit, nec adhuc de omnibus, quæ scripsit, in vna ea Congregatione constare potuit, de qua sola fit mentio in prædicta littera.* Igitur, vt concludebatur ibidem, *ista loquutio est multum irrationabilis, & excessiuè fauorabilis.* Inuerisimiles igitur vndequaque hæ litteræ sunt.

Nonò, tandem opponit Alua aliqua adulterata à nostris fuisse in ijsdem litteris Parisiensibus, tum quia in eis, quæ Parisijs extant, aderat ista particula (*articulos ipsos non propter hoc approbando, nec etiam reprobando, sed eosdem discussionis scholasticæ libere relinquendo*), quæ tamen particula ab vno tantum Giraldo Reinero recitatur, à reliquis omnibus nostris subticetur, *recognoscentibus inde*, inquit Alua, *totaliter ruere approbationem doctrinæ S. Thomæ, quam Dominicani fabricare intendebant*, tum quia vbi in illis S. Thomas dicebatur *flos doctorum*, à nostris dictus refertur *Fons doctorum*, quia, inquit Alua pagina 203, *Flos est solum pulcher visu vni tantum vtilis, quo ad vaporis exhalationem, qui vno eodemque die rutilat, & arescit &c*; Et infra pagina 206; *Et sic depingunt modo Angelicum doctorem supra Fontem mittentem riuulos aquæ, ex qua, id est doctrina, bibunt omnes doctores Ecclesiæ &c*; tum quia, vt obijcit nodo 5. §. 1. Anonymus quidam auctor libelli de Conceptione editi in Lombardia 1475 præter dictam Epistolam Stephani Parisiensis, addidit, & finxit aliam nomine Vniuersitatis Parisiensis breuiorem, vt Alua exscribit, in cuius fine de S. Thoma concludebatur; *cum sigillis nostris huic approbationi appensis inter summos Ecclesiæ doctores locum feliciter habere approbamus*, vti & eodem modo eandem epistolam referebat Raphael de Pornasio in Tractatu de Prerogatiua Christi apud eundem Aluam nodo 2. pag. 210, quæ verba in alia epistola Stephani, vt vulgo legitur etiam apud nostros, non reperiuntur. Cum igitur falsitas inde detecta sit, & falsas esse easdem Stephani Epistolas non immerito putari potest.

In oppositum tamen est, quod ipsemet Petrus de Alua, etsi infensissimus, vt hucusque apparet, tamen sui immemor alibi, & veritate conuictus in hoc eodem libro suo funiculo, tertio, pag 57. post recitatam censuram Parisiensem, anni 1277. mox inde subiungit, *cum Angelicus Doctor fuisset in Sanctorum numerum relatus, anno sequenti, scilicet 1324. interdictum illud primum prædictorum articulorum fuit annullatum.* Sed hoc est apertè fateri epistolas reuocatorias Parisienses, vti nos volumus, immo magis, quam ipsi velimus, nimirum Alua concedit absolutè *annullatum fuisse illud interdictum*, nobis autem sufficit reuocatum fuisse præcise *quatenus eorum articulorum nonnulli doctrinam eximij Doctoris Beati Thomæ tangere ab aliquibus asserebantur*, vti in eadem reuocatione dicitur. Ergo iam constat de reuocatione prædicta ex confessione etiam immemoris aduersarij non posse amplius dubitari, adeò vt forsan in præsenti repeteret, quod olim aiebat Augustinus lib. 6. in Iulianum Operis imperfecti cap. 21. *Verum dicis, & nescis, sicut Caiphas Pontifex persecutor Christi scelera cogitabat, & nesciens salubria verba dicebat.*

Respondeo non posse vtique rationabiliter amplius dubitari de reuocatoria Epistola Parisiensi, seù de Parisiensi approbatione doctrinæ Angelici Præceptoris.

ceptoris. Quis enim credat Ioannem Capreolum Tolosatem non multum post ea tempora conscribentem, ad finem scilicet eiusdem sęculi 1300, alioquin ausum fuisse in ipsa media Gallia, nempe Tolosæ, suis Operibus commendare, ac referre hanc Epistolam Parisiensem certam, si verè ea certò edita non fuisset, facilèque conuinci falsarij crimine valuisset? at hanc & ipse recenser & certum annum etiam editionis adiungens in 2. sententiarum distinc. 2. q. 1. ad 1. Gregorij dicens: *Sententia excommunicationis lata contrà tenentes damnatos illos articulos reuocata fuit per Dominum Stephanum Episcopum Parisiensem, quatenus dicti articuli tangunt doctrinam Sancti Thomæ, & hoc anno Domini* 1324. igitur colligere licet, hanc reuocationem editam verè Parisijs fuisse. Quis credat Vincentium Dodi paulò post similiter in eadem Gallia scribētem in sua Apologia aduersus Samuelem de Cassinis (vt vel ipse Alua recenset nodo 1. pag. 85.) post recitatam eandem ipsam litteram Parisiensem, fidenter adeò conclusurum fuisse, *quod eadem adhuc scriptura extarent*, nisi vere Parisijs extitissent? at ita appositè ibidem iste concludit sic dicens, *hæc esse figmenta non attestabitur quisquam, quia scripturæ extant &c.* vti & Giraldus Renerius Doctor Parisiensis ad eadem tempora florens in suo tractatu de Virgine fol. 23, & 47. constantissimè affirmat se easdem prædictas litteras Parisienses pro S. Thomæ doctrina legisse; igitur verè extitisse Parisijs scripturas istas reuocatorias concludendum est, adeò vt vel etiam Alua confessus sit pag. 207 Renerium prædictum præ cæteris ingenuè dictam epistolam reuocatoriam adduxisse, seu transcripsisse, *ita legaliter, vt neque in Apice discrepet à veritate, neque à transumpto ex Authographo Vniuersitatis Parisiensis*, & mox infra subiungit, *iste scribebat contrà Fratrem quidem Franciscanum, sed religiosè, quia non occultauit veritatem.* Quis suspicabitur rursus, ne dum Petrum Pergomensem vigētem ad annum 1470, & Caietanum, post ipsum, q. 9. de ente & essentia, Ferrariensem lib. 2. contra Gentes cap. 93, cæterosque passim Thomistas, verum etiam B. Pium V. (cuius iussu, & approbatione Romæ opera D. Thomæ iterum cusa fuere) in hac eadem relatione conuenisse, nisi certa relatio fuisset? at conuenere de facto, vt consulenti parebit, ne dum loco allegato Thomistarum Proceres, verum etiam qui recognouere acuratissimam illam B. Pij V. editionem, cum qua per extensum eadē Epistola reuocatoria sub B. Pio V. recognita, & approbata, impressaque fuit; igitur irrationabiliter vltrò de eadem dubitari videtur. Quis arbitrabitur demum, ne dum in alia longè adhuc anteriori impressione, simul cum Catena aurea S. Thomæ, nunc legi, verum etiam in nostris antiquissimæ editionis constitutionibus ordinis allegari, nisi vniuersalis Prædicatorum Religio reuocationis eiusdem certa extitisset? at nunc legitur adhuc tum ibi ab initio catenæ aureæ, tum hic dist. 2. c. 14. immo in antiqua Chronica Ordinis affixa constitutionibus additur, *Hanc litterā Domini Stephani Parisijs in festo Sancti Thomæ coram Vniuersitate post sermonem publicatam fuisse cum omnium gaudio, & lætitia ad laudem Saluatoris.* Igitur iterum certa censenda est.

Verum euidentioris adhuc roboris ratiocinatio præstò adest. Nempè ab anno 1324. (quo edita hæc reuocatio supponitur) vsque ad annum 1387. (quo Montesonus cum Parisiensibus disputauit vel causam egit) non tantum temporis pertransiuit, vt recens adhuc memoria illius non remaneret, immo superstites adhuc testes oculares eiusdem superuiuerent, adeò vt si falsa relatio

tio

docuit, deprauare nituntur, quædam ipsius sermonibus veritate plenis, & spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes. Sic & Henricus de Gandauo, qui in quodlibeto 2. q. 9. *eorum magistrorum in Theologia tunc congregatorum super his articulis se vnum fuisse*, testatur, hic ipse, vt obseruat Capreolus vbi suprà, idcircò *fatetur se non intelligere illos articulos*, vti præter Ægidium mox ante relatum, & habet, & loquitur idem Capreolus, *Multi alij dicunt, quod illi articuli fuerunt facti, non conuocatis omnibus doctoribus Parisiensibus sed ad requestum quorundam Capitulorum*, vt eadem omnino cum Capreolo verba habet etiam Vincentius Dodi Gallus scribens sub Sixto IV. in sua Apologia contra Samuelem de Cassinis pagina 12 vel Alua ipso fatente, Immo hic idem Vincentius Dodi scribens ad annum 1470. (vt iterum idem Alua fatetur pagina 85.) hac ratione dicebat: *Ad illud, quod doctrina S. Thomæ fuerit improbata assertiuè in sex articulis ab vniuersitate Parisiensi &c, satis responsum est supra, & ostensum hoc esse mendacium*. Sic Dodi. Porro quinam isti diffamationis emissæ in S. Thomam extiterint auctores, prætereà, quæ consuli possunt in Ferdinando Castillo libro 3. c. 31. breuiter attingit etiam noster Grauina de Sacro deposito c. 24. S. p. recensens Gulielmum à Sancto Amore, & complices erroris eiusdem impugnatos à S. Thoma, & D. Bonauentura, conatos esse adhuc viuentes etiam Thomam, & Bonauenturam ab Vniuersitate Parisiensi exturbare, nisi in suppetias auctoritas Alexandri IV. accessisset. Sed ad quid vltrò immoramur in perquirendis testibus ad hoc? cum vel ipsa Parisiensis Vniuersitas non semel, sed bis ex hoc solo rumore industria quorumdam euulgato id prouenisse testetur. Anno siquidem 1324. in Epistola incipiente, *Magistra experientia*, repetenda in sequenti, sic habet: *quorum articulorum nonnulli doctrinam eximij doctoris Beati Thomæ tangere ab aliquibus asseruntur*; & anno iterum 1385 in epistolis ipsis Auenionem ad Pontificem missis aduersus Montesonum Dominicanum Conclusione 5. sic scribit: *prædicta Sancti Thomæ doctrina secundum quosdam est in fide erronea seu in aliqua sui parte de huiusmodi errore suspecta. Sed non assertiuè, sed solum recitatiuè loquimur. Dicunt enim aliqui &c.* En ex diffamatione sola, vt apparet, procurata à quibusdam in S. Thomam, hæc integra calumnia procreata, conflataque fuit.

Quartò, id principaliter ab obiectis sic vindicatur. In tantum enim aduersi supponunt verè Parisijs hanc articulorum damnationem in sensu intento à S. Thoma contigisse, in quantum de facto adhuc in fine librorum Magistri Sententiarum articulus damnatus de immultiplicabilitate numerica Angelorum ex defectu materiæ deprompta, concludebatur his verbis: *Contra Fratrem Thomam*. Sed hæc ratio nulla est, vt mox ostendo. Ergo hoc non obstante id asseuerare non possumus, nec debemus. Ostendo minorem ex ipsomet Alua confitente impressiones prædictæ damnationis successiuè euulgatas *incongruam habere dispositionem, scateteque vitijs, & corruptionibus*, vt ipse loquitur, & quoad hoc ibidem euidenter ostendit, tum quia in aliquibus impressionibus, *extant litteræ condemnatoriæ sine erroribus, in aliquibus errores sine litteris, in aliquibus cum istis erroribus damnatis Parisijs, errores etiam damnati alibi in vniuersitatibus angliæ, adeò vt nullo modo colligi possit, quales errores damnauerit Stephanus, vel a quo Episcopo, & quando errores isti seorsim positi damnati fuerint: tum quia in aliquibus signantur tantummodo centum nonaginta errores, in alijs ducenti tres, in alijs ducenti decem, &*

ponem,

nouem, & tandem in alijs ducenti viginti duo &c, quia tempore impressionis (conclu-dit) *vnusquisque sui dictaminis arbitrio vtebatur ad subtrahendum, vel addendum* quid clarius? hæc Alua adiungens & annum damnationis legi 1224; cum legi debeat 1277, eò quia nec tūc Stephanus Episcopus erat, sed Bartholomæus Carnotensis, nec tunc interuenire Henricus poterat, vt magister, sicut se interfuisse testatus est suprà scribens ad annum 1290; vti etiam supponitur auctor damnationis Stephanus Episcopus huius nominis primus cognominatus de Scenlis Syluanectensis, cum verè fuerit Stephanus Episcopus huius nominis secundus dictus de Templier Aurelianensis, cum ille sederit ab anno 1123 ad annum 1140, hic verò appositè ab anno 1268. ad annum 1285, & ideò huic iuniori veriùs attribuit hanc damnationem, non solum Gerson tom. 1. in epistola ad fratrem Minorem dicens: *hunc damnauisse illos 219. articulos famosiores anno 1276 scillicet per duos annos post felices obitus SS. Thomæ, & Bonauenturæ*, verum & Auctor Galliæ Christianæ tomo 1. folio 449. cum alijs. Ex hac igitur tam varia, & tam gratuita ad libitum impressione prædictæ damnationis, iam constat, nil obstare, quin ex priuato alicuius arbitrio & illa particula adiuncta sit, *Contrà fratrem Thomam*, cum vt Alua fatetur, *vnusquisque sui arbitrij dictamine ad subtrahendum, vel addendum in impressione vteretur*. Confirmo, nam præter istam particulam alij etiam in quibusdam impressionibus non erubuerunt, vel formidarunt hunc adiungere titulum damnationi: *Liber continens articulos reprobatos à facultate Parisiensi contra doctrinam Sancti Thomæ*, vt notat noster Grauina in suo Cherubin Paradisi lib. 4. cap. 1, ideoque, vt subiungit eodem loco Grauina, *iussu sancti tribunalis Inquisitionis iustis de causis fuere clausulæ similes interdictæ, & proscriptæ*, vti & Montagnolus ad hoc in 1. p. q. 50. ar. 4. *maximè*, inquit, *animaduertendum est, quod in indice reformationis librorum prohibiti sunt Articuli Parisienses contrà Sanctum Thomam inscripti*, seù, vt repetit Baronius noster lib. 4. Apologetico sect. 2. prohibitus legitur: *in indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini littera L. liber continens articulos reprobatos à facultate Parisiensi contra doctrinam D. Thomæ*. Ergo iam ex prædicta viriata impressione, ideoque iustè proscripta, non licet amplius arguere, vel inferre aliquam doctrinam S. Thomæ Parisijs fuisse prohibitam, ex eo quod etiam ibi illa particula *contra Fratrem Thomam* subiuncta alicubi perlegatur.

Quintò demum probatur, nam verisimile non est doctores Parisiēses statim post duos annos à morte D. Thomæ intendisse damnare sensum illius doctrinæ, quam immò mox ante, & eodem fermè tempore Vniuersitas simul, & Parisienses Doctores immensis laudibus cumulabant. Sed ita prosequebātur Angelici Præceptoris doctrinam, tum S. Thoma viuente, tum statim postmodū eodem fermè tempore, quò accidit ista damnatio; ergo verisimile non est in hac eadem damnatione dictorum articulorum sensum doctrinæ S. Thomæ proscribere voluisse. Minorem ostendo, tum quia viuente adhuc, & legente Parisijs S. Thoma, vt scribit D. Antoninus 3. p. Chronicæ tit. 23. cap. 7. *Omnium ibidem concordante sententia, quidquid frater Thomas doctor determinaret, & definitiuè proferret, hæc communis schola inconcussè teneret, experti namque erant in alijs de eodem, quam ipse subtilius in omni genere veritatem attingeret, & eam clariùs edoceret*; tum quia eodem Anno sequutæ damnationis post duos annos ab obitu S. Thomæ scribens Godefridus Parisiensis pariter Doctor, quodlibeto 12. q. 5. (vt me-

morat & Capreolus vbi suprà, & Alua ipse recenset, *Fratris Thomæ doctrina*, inquiebat, *inter cæteras videtur vtilior, & laudabilior reputanda, vt de doctore, qui eam scripsit, dici possit. Vos estis sal terræ &c*, tum quia & Petrus Rogerius, qui postea fuit Cardinalis, & Clemens VI. Doctor Parisiensis & ipse, eodem ferè tempore in quodam sermone de laudibus eiusdem Angelici Præceptoris incipiente, *ecce plusquam Salamon hic*, habito coram Cardinalibus, vt idem Alua fatetur pagina 347. aiebat; *audacter dico quod iste præcessit sapientia omnes, qui, fuerunt ante eum, immò & post eum in Vniuersitate Parisiensi &c, est enim huius doctoris doctrina vera sine contagio falsitatis &c. Ipsam certè sequens, non deuias, ipsam cogitans, non errâs &c*; præter Vrbanum V. in priori Bulla ad Tolosanos (reseruata cum alia posteriori eiusdem Pontificis Tolosæ, vt fatetur ipse Alua nodo 3. pagina 270.) in ordine ad Parisienses anno 1377. subiungentem; *ad decus, & decorem totius studij Parisiensis, in quo idem gloriosus sanctus sua facunda facundia cælestis irrigui gratia influente scripturarum ænigmata reserauit, soluit nodos, obscura dilucidauit, dubiaque declarauit*, vti non minora his habet & Stephanus Episcopus secundus Parisiensis in Epistola reuocatoria anno 1324. de qua in sequenti.

Ad primum igitur respondebant eodem tempore, post damnationem adhuc non retractatam, Herueus & Ioannes de Neapoli (quos postea alij nostri sequuti sunt vbi supra) negando minorem, quia ille articulus reprobatus expetebat ad multiplicationem numericam speciei ipsam materiam vt partem intrinsecam totius, vt in homine, & non solum vt connotatum extrinsecum, vt in anima hominis, & idcirco ille articulus vt error Auerrois recte damnatus est, vt constat ex errore 117 damnato ibidem, *quod intellectus vnus est, quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentia materiæ*; & hac de causa etiam in prologo seu præfatione eiusdem damnationis dicebatur de defensoribus eorundem errorum, *quod errores prædictos gentilium scripturis muniebant*. Non sic autem S. Thomas, qui integrum immo opusculum 16. aduersus Auerroistas inscripserat, & evulgarat.

Ad secundum distinguo maiorem, ita vt illa particula, *contra Fratrem Thomam*; addita sit ad libitum ab aliquo in impressione iam vitiata, vt probatum est, Concedo, ita vt vere in damnationis epistola vel decreto, illa particula adesset, nego, tum quia in eadem præfatione litterarum manifestè exprimitur damnationem editam fuisse, *ob non nullos Parisijs Studentes* (nota, non inquit professores siue Doctores) *in artibus propriæ facultatis limites trãscendentes, & qui quosdam manifestos & execrabiles errores, immò potius vanitates & insanias &c. quasi dubitabiles in scholis tractare & disputare præsumunt*, vbi S. Thomas neque nomine *Studentium* poterat comprehendi, neque tunc sanè disputare poterat, cum esset relatus ad superos; tum quia, si in damnatione hæc manifesta particula adfuisset, certum fuisset doctrinam S. Thomæ euasisse damnatam, cum tamen, præter adducta, etiam ipse Alua fateatur pag. 185. tunc id certum non fuisse, sed solum post prædictos errores damnatos, *exiuisse sermonem inter Doctores Parisienses, & creuisse rumorem inter Scholasticos parum affectos &c.* quod scilicet illa damnatio tangeret S. Thomæ doctrinam.

Ad tertium distinguo maiorem, ita vt ea verba proferat Vniuersitas Parisiensis ibidem assertiuè, nego, *recitatiuè*, vt ipsa se loqui profitetur, in sententia

quorun-

quorundam, Concedo, vt eadem verba consulenti seu repetenti patebit; immo & ipse Ocham (recitatus ibidem) & si in S. Thomam & Thomistas inueheretur, adhuc & ipse lib. 2. contra Papam Ioannem XXII. in parte 1. cap. 27. solummodo aiebat, *multos putauisse opiniones S. Thomæ fuisse damnatas Parisijs &c.* non vero id vel ipse asserebat. Vnde singulæ adhuc S. Thomæ propositiones in obiectione relatæ communiter defenduntur, non solum à Thomistis, sed etiam à quamplurimis alijs; & præsertim vltima, de necessitate in essendo ipsius creaturæ immaterialis, optimè explicatur à Caietano p. p. q. 51. de necessitate scilicet non Logica sed Physica ex suppositione influxus agẽtis, vt explicauerat etiam idem S. Thomas p. p. q. 105. ar. 3. & hinc postea Caietanus p. p. q. 9 ar. 2. in fine, hac supposita explicatione, concludi: *dicere autem quod hoc repugnat fidei, summa ignorantia est, qualis moderno tempore regnare videtur apud quosdam Parisienses* (apud quos scilicet falsi huiusmodi rumores iterum spargebantur) *qui præfatam S. Thomæ doctrinam vt suspectam habent; sed hos cum sua ignorantia relinquamus*. Hæc Caietanus.

Ad quartum, distinguo maiorem, ita vt illi testes ab Alua congesti attestẽtur aliquos procurasse hanc diffamationem S. Thomæ evulgando eius doctrinam fuisse damnatam (licet reuera non esset) & inde alios simplices in hanc suspicionem inducendo, Concedo, ita vt supponant vel dicant verè fuisse damnatam, Nego, vt iam vidimus eorundem verba & cæterorum. Nec mirum sanè hanc S. Thomæ diffamationem falsò aliquos tunc procurasse, cum denuo ipsemet Alua longè absurdiorem in S. Thomam diffamationem effundere procurarit, nempè in sua prima editione, folio 239, & in secunda (qua ipse vtor) folio 238, sic dicens. *Doctrina S. Thomæ fuit prius interdicta ab Episcopo Parisiensi, & sub excommunicationis pœna, quo ad ducentos viginti duos articulos, vt erronea in fide condemnata & prohibita, de quo nulla potest esse dubitatio &c.* & inter istos inquit, folio 165. primus error est, *quod Deus non est trinus & vnus*, Secundus, *quod Deus non potest generare sibi similem*, & huiusmodi. Bone Deus! quid expectamus ab Alua amplius affigendum Angelico Præceptoris? Si, quia, vt vidimus mox, de aliquo vix articulo inter Scholasticos tunc solito disputari, & vsque modo pro S. Thoma deffenso, à Parisiensibus eo tempore dubitabatur, nunc singulos eos 222. aliorum errantium articulos, ac inter eos etiam blasphæmos, hæreticos, immo à plerisque etiam hæreticis condemnatos, vni Angelico Præceptori attribuere Alua tam falsò, tam temere non veretur, non erubescit?

Ad quintum, præter nostros antiquos adductos, distinguo maiorem, ita vt nostri posteriores Thomistæ pertranseant & ipsi, *fuisse damnatam* absolutè, & veraciter in sensu Vniuersitatis, Nego, saltem iuxta sensum priuatorum quorundam vel dubitantium aliorum mox ante adductum, Concedo. Vnde Aluarez, quem adducebat Alua, notanter sic habet: *in Vniuersitate Parisiensi, vt quidam referunt, aduersus S. Doctorem quam plurimi Theologi Parisienses statim post eius obitum insurrexerunt &c.* non dixit absolutè aliquam doctrinam S. Thomæ ab Vniuersitate Parisiensi vnquam fuisse damnatam. Similiter & clarius Doctor Parisiensis Vincentius Dodi in opusculo edito circa annum 1475 (vt agnoscit & Alua nodo quinto pag. 422) aiebat: *articuli secundum aliquos (non secundum Vniuersitatem ipsam, vt facto comprobauit) videbantur tangere doctrinam S. Th.*

Ad sextum deniq; distinguo minorem, *reuocata est condemnatio doctrinæ S. Thomæ* vt verè & absolutè sequuta, nego, quatenus aliqui in hoc sensu eam extendere conabantur, & evulgabant decipiendo alios, Concedo; vnde in eadem epistola reuocatoria apposite, vt iam præmisimus, Vniuersitas ipsa dicebat; *quorum articulorum nonnulli doctrinam eximij Doctoris B. Thomæ tangere ab aliquibus asseruntur*, & infra se eosdem reuocare subdebat, *quantum tangunt, vel tangere asseruntur B. Thomæ doctrinam*: & ante eandem editam reuocationem, Godefridus ipse vbi supra ostendebat hoc fine fore necessariam reuocationem, quia, inquiebat, *omnes isti articuli sunt occasio scandali inter audientes tam Doctores, quam Auditores, quia cum frequenter oporteat exponere aliquos de prædictis articulis non quidem contra veritatem nec contra intentionem, quam habere debuerunt illi, qui prædictos articulos ediderunt, seu damnauerunt, sed tantum contra id, quod videtur prætendere superficies litteræ, aliqui minus periti & simplices reputant sic exponentes excommunicatos, & hi simplices bonos, & graues viros tanquam notatos de excommunicatione & errore Cancellario, vel Episcopo deferunt, & plura inconuenientia & Schysmata ex hoc inter Studentes oriuntur.* Et infra in speciali descendens ad doctrinam Diui Thomæ Aquinatis, inquit, *& ideo in hoc quod tales articuli tanquam erronee reprobantur, dicta doctrina vtilis & solemnis scilicet Reuerendissimi & Excellentissimi Doctoris Fratris Thomæ, vt suspecta à simplicibus habetur.* hæc Godefridus; & ex his patet, quod pro assertione statuimus. Nunc de Epistola reuocatoria prædicta, & consequenter de approbatione Vniuersitatis Parisiensis pro doctrina San. Thomæ in articulo sequenti dicendum est.

ARTICVLVS II.

An verè Stephanus Parisiensis Episcopus, huius nominis tertius, retractarit damnationem editam prius ab altero Stephano huius nominis secundo, quatenus tangere asserebatur doctrinam S. Thomæ, immo eandem doctrinam cum Vniuersitate Parisiensi approbarit.

Videtur negandum Aluæ nodo 2. pagina 215. Primo quia ab anno 1324. (quo expedita supponitur hæc retractationis Epistola) nunquam fuit visa, vel audita prædicta littera in Vniuersitate Parisiensi, nisi vsque ad annum 1387, quando Ioannes de Montesono eam in sui defensionem, & doctrinæ S. Thomæ, exhibuit, seù præsentauit Vniuersitati. Sed non est verisimile per tantum intercurrentis temporis spatium has litteras in Parisiensi Vniuersitate latuisse, si verè extitissent. Igitur euidens signum est eas potius veras non fuisse, sed solum à Montesono fuisse confictas.

Secundò, vt præmiserat etiam pag. 195, quia verisimiliùs fuisset in Vniuersitate Parisiensi latere potuisse litteras condemnatorias longè anteriores, scilicet editas anno 1277, quam has litteras longè posteriores editas anno 1324. Sed ex opposito illarum certa notitia reperitur adhuc ætate nostra, & tempore ipsius exortæ Controuersiæ cum Montesono reperiebatur in quamplurimis libris manuscriptis & impressis; istarum verò nulla tunc reperiebatur, neq; nunc reperitur memoria in Archiuijs Vniuersitaris, aut in Scriptoribus illius temporis, præterquam extracta copia deinde ex quodam simplici transumpto per 63 annos retento apud Patres Prædicatores, & à Montesono

tunc

tunc temporis controuersiæ præsentato. Ergo signum euidens est à Montesono Dominicano has litteras iterum fuisse confictas.

Tertiò, eatenus saltem transumpto illi exhibito tunc à Montesono fidendum videretur, quatenus saltem transumptum hoc, tanquam authenticum, extitisset manu alicuius publici notarij subscriptum. Sed immo in Archiuo Vniuersitatis Parisiensis, vbi prętacta controuersia Montesoni cum Parisiensibus enarratur, simul hæc verba leguntur, *Magister de Montesono tenens in suis manibus quasdam litteras signo publici notarij non insignitas &c*; scilicet istas Stephani, vt ibi subiungitur, de quibus nunc verba facimus, vt inquit Alua pag. 195. se transcripsisse hæc eadem verba cum alijs infrà referendis ex eodem Archiuo die 26. Augusti hora quinta post meridiem apud Dominum Philippum Beuvot. Ergo nec illi transumpto exhibito à Montesono fidendum venit.

Quartò, quia hinc eodem tempore, quo Montesonus has litteras præsentauit antea incognitas Vniuersitati, duo Doctores Parisienses tunc temporis scribentes aduersus Theses expositas à Montesono, scilicet Ioannes Vitalis, & Ioannes Alanus, ille quidem cap. 6. hic verò Collat. 12. in hoc dicto conuenerunt, *quod non esset verisimile Patres Dominicanos habere veram litteram Domini Stephani Episcopi Parisiensis, quia iste condemnauit plures articulos eius ad sensum Sancti Thomæ &c. Ideò nonnulli dicunt, quod littera eius, quam ostendebat, vel subreptitia est, vel a veritate aliena*, vt verbatim transcribit Alua pag. 216. Ergo *cum contrà hoc dictum istorum ab eo tempore, usque nunc, nullum productum sit testimonium, nec extet adhuc in Vniuersitatis Archiuo, vel in Parisiensibus Bibliothecis, possumus etiam reputare ipsas litteras subreptitias fuisse*, vt Alua concludit.

Quintò, quia *Ioannes Thomas pariter Dominicanus frater Vterinus eiusdem Montesoni in sua reuocatione solemni facta in Conuentu Fratrum Minorum, declarauit talium litterarum notitiam nullam fuisse apud Patres sui Ordinis*, vt se infrà daturum eiusdem verba promittit Alua nimirum pag. 275, vbi prædictos eosdem mox ante adductos duos Doctores Parisienses in testes adducit. Sed hoc verisimile non fuisset, si vere istæ litteræ præextitissent. Ergo verè non præextiterunt.

Sextò, si veræ fuissent hæ litteræ reuocatoriæ, vti veræ fuerant condemnatoriæ, sicut istæ condemnatoriæ communiter impressæ circumferuntur in fine Magistri sententiarum, & in alijs libris, ita impressæ fuissent simul & illæ ad releuandos scrupulos, qui ex interpretatione damnationis suboriebantur, vt supra adductum est. Sed non fuerunt alicubi simul impressæ, nec impressæ leguntur; Ergo signum est veras non extitisse.

Septimò, quia omnes Scriptores loquentes de Episcopis Parisiensibus *peruenientes quidem ad Stephanum secundum dictum de Templier; narrant ab eò editam condemnationem, agentes verò de Stehpano tertio dicto de Boreto, nullus inuenitur, qui reuocationis istius mentionem agat*. Ergo idem quod prius.

Octauò, ex inuerisimilitudine harum litterarum, tum vt reuocantium damnationem, tum vt nimis laudantium S. Thomam, earum falsitas comprobatur: ex vna enim parte inuerisimile est Vniuersitatem reuocare voluisse condemnationem factam à suo Episcopo antecessore, & in se doctissimo, & de cæterorum doctorum consensu: ex alia parte in his litteris dicitur, *quod per Consiliarios super deliberatione theologicæ facultatis fuit compertum, & relatum, dictum*

Con-

Confessorem Thomam, nihil vnquam sensisse, docuisse, seù scripsisse, quod sanctæ fidei, vel bonis moribus aduersaretur. At verò, vt repetebat auctor Apologiæ Parisiensis in litteris missis Auenionem ad Pontificem contrà Montesonum, *pro tunc non potuit constare dictæ facultati Theologicæ de omnibus, quæ S. Thomas sensit, aut verbo docuit; sed solum de his, quæ scripsit, & scripto reliquit, nec adhuc de omnibus, quæ scripsit, in vna ea Congregatione constare potuit, de qua sola fit mentio in prædicta littera.* Igitur, vt concludebatur ibidem, *ista loquutio est multum irrationabilis, & excessiuè fauorabilis.* Inuerisimiles igitur vndequaque hæ litteræ sunt.

Nonò, randem opponit Alua aliqua adulterata à nostris fuisse in ijsdem litteris Parisiensibus, tum quia in eis, quæ Parisijs extant, aderat ista particula (*articulos ipsos non propter hoc approbando, nec etiam reprobando, sed eosdem discussionis scholasticæ libere relinquendo*), quæ tamen particula ab vno tantum Giraldo Reinero recitatur, à reliquis omnibus nostris subticetur, *recognoscentibus inde*, inquit Alua, *totaliter ruere approbationem doctrinæ S. Thomæ, quam Dominicani fabricare intendebant*, tum quia vbi in illis S. Thomas dicebatur *flos doctorum*, à nostris dictus refertur *Fons doctorum*, quia, inquit Alua pagina 203, *Flos est solum pulcher visu vni tantum vtilis, quo ad vaporis exhalationem, qui vno eodemque die rutilat, & arescit &c*; Et infra pagina 206; *Et sic depingunt modo Angelicum doctorem supra Fontem mittentem riuulos aquæ, ex qua, id est doctrina, bibunt omnes doctores Ecclesiæ &c*; tum quia, vt obijcit nodo 5. §. 1. Anonymus quidam auctor libelli de Conceptione editi in Lombardia 1475 præter dictam Epistolam Stephani Parisiensis, addidit, & finxit aliam nomine Vniuersitatis Parisiensis breuiorem, vt Alua exscribit, in cuius fine de S. Thoma concludebatur; *cum sigillis nostris huic approbationi appensis inter summos Ecclesiæ doctores locum feliciter habere approbamus*, vti & eodem modo eandem epistolam referebat Raphael de Pornasio in Tractatu de Prerogatiua Christi apud eundem Aluam nodo 2. pag. 210, quæ verba in alia epistola Stephani, vt vulgo legitur etiam apud nostros, non reperiuntur. Cum igitur falsitas inde detecta sit, & falsas esse easdem Stephani Epistolas non immerito putari potest.

In oppositum tamen est, quod ipsemet Petrus de Alua, etsi infensissimus, vt hucusque apparet, tamen sui immemor alibi, & veritate conuictus in hoc eodem libro suo funiculo, tertio, pag 57. post recitatam censuram Parisiensem, anni 1277. mox inde subiungit, *cum Angelicus Doctor fuisset in Sanctorum numerum relatus, anno sequenti, scilicet 1324. interdictum illud primum prædictorum articulorum fuit annullatum.* Sed hoc est apertè fateri epistolas reuocatorias Parisienses, vti nos volumus, immo magis, quam ipsi velimus, nimirum Alua concedit absolutè *annullatum fuisse illud interdictum*, nobis autem sufficit reuocatum fuisse præcise *quatenus eorum articulorum nonnulli doctrinam eximij Doctoris Beati Thomæ tangere ab aliquibus asserebantur*, vti in eadem reuocatione dicitur. Ergo iam constat de reuocatione prædicta ex confessione etiam immemoris aduersarij non posse amplius dubitari, adeò vt forsan in præsenti repeteret, quod olim aiebat Augustinus lib. 6. in Iulianum Operis imperfecti cap. 21. *Verum dicis, & nescis, sicut Caiphas Pontifex persecutor Christi scelera cogitabat, & nesciens salubria verba dicebat.*

Respondeo non posse vtique rationabiliter amplius dubitari de reuocatoria Epistola Parisiensi, seù de Parisiensi approbatione doctrinæ Angelici Præceptoris.

Digitized by Google

ceptoris. Quis enim credat Ioannem Capteolum Tolosatem non multum post ea tempora conscribentem, ad finem scilicet eiusdem sęculi 1300, alioquin ausum fuisse in ipsa media Gallia, nempe Tolosæ, suis Operibus commendare, ac referre hanc Epistolam Parisiensem certam, si verè ea certò edita non fuisset, facilèque conuinci falsarij crimine valuisset? at hanc & ipse recenset & certum annum etiam editionis adiungens in 2. sententiarum distinc. 2. q. 1. ad 1. Gregorij dicens: *Sententia excommunicationis lata contrà tenentes damnatos illos articulos reuocata fuit per Dominum Stephanum Episcopum Parisiensem, quatenus dicti articuli tangunt doctrinam Sancti Thomæ, & hoc anno Domini* 1324. igitur colligere licet, hanc reuocationem editam verè Parisijs fuisse. Quis credat Vincentium Dodi paulò post similiter in eadem Gallia scribētem in sua Apologia aduersus Samuelem de Cassinis (vt vel ipse Alua recenset nodo 1. pag. 85.) post recitatam eandem ipsam litteram Parisiensem, fidenter adeò conclusurum fuisse, *quod eadem adhuc scripturæ extarent*, nisi verè Parisijs extitissent? at ita appositè ibidem iste concludit sic dicens, *hæc esse figmenta non attestabitur quisquam, quia scripturæ extant &c.* vti & Giraldus Renerius Doctor Parisiensis ad eadem tempora florens in suo tractatu de Virgine fol. 23, & 47. constantissimè affirmat se easdem prædictas litteras Parisienses pro S. Thomæ doctrina legisse; igitur verè extitisse Parisijs scripturas istas reuocatorias concludendum est, adeò vt vel etiam Alua confessus sit pag. 207 Renerium prædictum præ cæteris ingenuè dictam epistolam reuocatoriam adduxisse, seù transcripsisse, *Ita legaliter, vt neque in Apice discrepet à veritate, neque à transumpto ex Authographo Vniuersitatis Parisiensis*, & mox infra subiungit, *iste scribebat contrà Fratrem quidem Franciscanum, sed religiosè, quia non occultauit veritatem.* Quis suspicabitur rursus, ne dum Petrum Pergomensem vigētem ad annum 1470, & Caietanum, post ipsum, q. 9. de ente & essentia, Ferrariensem lib. 2. contra Gentes cap. 93, cæterosque passim Thomistas, verum etiam B. Pium V. (cuius iussu, & approbatione Romæ opera D. Thomæ iterum cusa fuere) in hac eadem relatione conuenisse, nisi certa relatio fuisset? at conuenere de facto, vt consulenti patebit, ne dum loco allegato Thomistarum Proceres, verum etiam qui recognouere acuratissimam illam B. Pij V. editionem, cum qua per extensum eadē Epistola reuocatoria sub B. Pio V. recognita, & approbata, impressaque fuit; igitur irrationabiliter vltrò de eadem dubitari videtur. Quis arbitrabitur demum, ne dum in alia longè adhuc anteriori impressione, simul cum Catena aurea S. Thomæ, nunc legi, verum etiam in nostris antiquissimæ editionis constitutionibus ordinis allegari, nisi vniuersalis Prædicatorum Religio reuocationis eiusdem certa extitisset? at nunc legitur adhuc tum ibi ab initio catenæ aureæ, tum hic dist. 2. c. 14. immo in antiqua Chronica Ordinis affixa constitutionibus additur, *Hanc litterā Domini Stephani Parisijs in festo Sancti Thomæ coram Vniuersitate post sermonem publicatam fuisse cum omnium gaudio, & lætitia ad laudem Saluatoris.* Igitur iterum certa censenda est.

Verum euidentioris adhuc roboris ratiocinatio præstò adest. Nempè ab anno 1324. (quo edita hæc reuocatio supponitur) vsque ad annum 1387. (quo Monresonus cum Parisiensibus disputauit vel causam egit) non tantum temporis pertransiuit, vt recens adhuc memoria illius non remaneret, immo superstites adhuc testes oculares eiusdem superuiuerent, adeò vt si falsa relatio

tio fuisset, non potuisset facillimè de falsitate conuinci. Sed hoc non obstante ad eundem annum 1387. Montesonus cum eadem Vniuersitate Parisiensi contendens de quibusdam suis Thesibus ab eadem Vniuersitate suspensis, in harum defensionem exhibuit, & præsentauit eidem Vniuersitati hanc ipsam Epistolam reuocatoriam, scil. Parisiensem, & falsitatis conuicta non fuit, vt sine dubio, si id potuisset, Vniuersitas ei tunc opposita tentauisset. Ergo signum euidens est, vt veram vtique eandem tunc temporis innotuisse. Confirmo, nam tantum abest, quod Vniuersitas tunc Parisiensis hanc sibi exhibitam reuocationem infieiari sit ausa, quod immo respondens, vel respondere contendens ad istam Montesoni obiectionem (vt legitur adhuc in fine Magistri sententiarum §. 3. *propositio*) non aliam viam inuenerit respondendi, nisi glossandi prædictam epistolam Episcopi Parisiensis in sensu non sibi contrario ab illis verbis, *& hoc declarabitur in multis clausulis dictarum litterarum, primò quidem quia in prologo dicitur, Magistra experientia &c.* Et prosequitur expendere clausulas ipsiusmet litteræ reuocatoriæ, quam hic appositè examinamus. Sed hoc non egisset Vniuersitas Parisiensis, nisi certò nouisset, se negare non posse veritatem earum litterarum; ergo signum euidens est id eam certò sciuise. Confirmo secundo, nam minus malum fuisset, si id potuisset, negare veritatem litterarum, quam contrà decorem eiusdem Vniuersitatis asserere, tunc in illis litteris Vniuersitatē edidisse clausulam *irrationabilem*. Sed ibidem, vt se tueretur à Montesono, non timuit dicere hoc secundum his verbis, *Ex ista clausula patet, quod relatio Consiliariorum dicti Stephani Episcopi super deliberatione theologicæ facultatis fuit multum irrationabilis &c.* vt ibi loquitur auctor Apologiæ sub Parisiensium nomine evulgatæ. Ergo euidenter conuincitur Vniuersitatem non potuisse negare veritatem dictarum litterarum &c. Confirmo iterum, nam ex eo, quod dictus Montesonus simul allegans aliam Bullam Vrbani V. non exhibuerat statim eandem Bullam extensam, ideò Vniuersitas quo ad hoc intrepidè respondebat ibidem renuens admittere veritatem allegationis his verbis: *In dicto Processu nunquam fuit exhibita aliqua Bulla Papæ &c. super confirmatione, vel approbatione dictæ doctrinæ, & ideò cum idem iudicium sit de his, quæ non sunt, & de his, quæ non apparent, vt dicunt iura, sequitur, quod hoc non debuit dictum Processum impedire*, hæc ibi: ergo à pari, immo à fortiori, si Montesonus veras Vniuersitatis Epistolas non exhibuisset; non fuisset verita Vniuersitas negare, & paruipendere eandem veluti incertam allegationem, quod cum, vt vidimus, non præstiterit, concludendum venit, vt veram vtique supposuisse prædictarum litterarum Stephani allegationem.

Hæc, me iudice, euicunque cordato viro sufficerent. At quoniam aliquis forsan posset vlteriùs excupere positiuam ex ipso eodem Vniuersitatis Parisiensis Archiuo probationem audire: Ideirco prodeat ipsemet Petrus Alua, qui nobis hanc litem intentat, & qui pag. 195. profitetur se ibi exemplaria *collationasse*, vt ipse loquitur, *coram testibus fide dignis die 26. Augusti hora quinta post Meridiem in ipso Archiuo existente apud Dominum Philippum Bouoth*, & ex hoc ipso authenticam, & positiuam ab Archiuo depromptam probationem hauriamus. *Extant*, inquit Alua, *Originalia sequentia manuscripta in Archiuo Vniuersitatis Parisiensis. Primum in vno paruo libello, & habet præfixum titulum. Exemplar litterarum Domini Stephani tertij dicti de Borsto Episcopi Parisiensis circa reuo-*

reuocationem &c. quas Frater Ioannes de Montesono obtulit deputatis coram &c. Sed hoc nobis sufficit, dicam ego quidquid ipse dicat, vt positiuè ex Archiuo probetur intentum. Ergo sic positiuè probatum est. Negat ipse minorem, quia inquit pag. 196, *Ista non sunt, nisi extracta ex copia, seu Originali exhibito à Montesono.* Sed quis non videt contradicentis spiritum, & falsitatem? etsi enim hæ litteræ à Montesono præsentatæ narrentur, non tollitur tamen, quin vt authenticæ receptæ sint, immo *Originales* nominentur ibidē, dum dicitur, *Exemplar litterarum,* non verò dicitur exemplum, vel exemplatum earundem, vt aliter diei propriè debuisset; Ergo nulla responsio. Confirmo, nam vti subiungit veritate coactus & ipsemet Alua ibidem, *Manuscriptum secundum extat adhuc in alio magno libro ad finem sub hoc titulo. Nouerint vniuersi, quod hoc est transumptum, copia, seu exemplum.* (notetur hic quæso discrimen in ordine ad præcedentia) *exemplum sumptum per me Notarium publicum infrascriptum ex quibusdam Originalibus* (notetur hoc iterum) *Ex quibusdam Originalibus litteris felicis memoriæ Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi, necnon vidimus eiusdem litteras sigillo Domini Gulielmi olim Parisiensis Episcopi, eorum sigillatas:* quid clariùs? quid euidentius? sed hoc sufficit, vt dicamus in Vniuersitatis Parisiensis Archiuo extare adhuc publicam attestationem, quod veræ, & legitimæ Stephani litteræ eiusdem sigillo munitæ à Montesono præsentatæ fuerint. Ergo sic verè dicendum atque admittendum est.

Sed ne vna hæc publici Notarij attestatio parum adhuc esse ab aliquo reputaretur, succedit ibidem alterum adhuc in Archiuo manuscriptum ab eodem Alua relatum, (quod valde miror attulisse, & non attendisse, vel considerare noluisse) sic habens. *Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter &c. quod dictus Magister de Montesono tenens in suis manibus quasdam litteras &c. sigillo Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi, necnon vidimus eiusdem litteras sigillo Domini Gulielmi olim Parisiensis Episcopi, eorum sigillis sigillatas, vt apparebat &c.* Desunt aliqua hic, nec ab Alua relata, incompactum sensum ex parte reddentia, scilicet verbum respondens illi nominatiuo *dictus Magister tenens &c.* & adiectivum respondens illi priori ablatiuo *sigillo,* ommissa forsitan ab Alua quia longè magis nostro intento fauebant. Sed vel hæc ipsa, quæ ab Alua recitata sunt, nostro intento sufficiunt, vt adaptanti patebit; ergo iam, quod intendimus, obtinemus. Confirmo tandem, nam vnica istis aduersa suspicio poterat remanere, quomodo scilicet à Montesono exhibitæ Originales litteræ Stephani prius ab Vniuersitate prodijssent, & tamen nulla tunc antea in Vniuersitate fuisset earundem reseruata memoria. At hoc esse falsum ostendit appositè vltimum manuscriptum ibidem, neque ab Alua negatum; ergo hoc non obstante de præadductis suspicandum non est. Ostendo minorem afferendo verbatim eiusdem attestationem Aluæ dicentis. *Quartum, inquit, extat in Carta expansa pellicea cum alijs instrumentis iam temporis iniuria* (en cæteris illud longè antiquius est) *aliquantulum corosis, munitum sigillo* (en tamen authenticum est, & Autographum Vniuersitatis) *& testimonio Ioannis Consbelli notarij Apostolici, & eiusdem Vniuersitatis: sed Originale hoc nullum habet titulum præfixum* (hoc enim non præsentatum à Montesono fuit, vt præcedentia, sed à prima editione seruatum). *Vnde incipit à litteris Stephani. Vniuersis præsentes litteras inspecturis Stephanus &c.* Hæc Alua. Igitur vera minor.

Huc tandem aduocari nunc poterunt ea, quæ Scriptores tunc temporis ab anno nimirum 1324. editionis dictarum litterarū ad hoc institutum suis operibus inseruerunt. Sic enim Godefridus sub ipso tempore scribens (quo hæ litteræ edendæ erant) quodlibeto 12. q. 5. ad 4. hoc ipsum dubium proposuerat, *an Episcopus Parisiensis peccaret, vel non, talem correctionem omittendo*, seù reuocationem articulorum, & proposito disputatiuè argumento pro negatiua, *quod non peccaret omittendo reuocationem*, eo quia, *illud, quod circa dictos articulos actum erat, factum fuerat de consensu sapientum, vt dicit Dominus Stephanus quondam Parisiensis Episcopus*; pro affirmatiua vero, *quod peccaret*, quia *inter prædictos articulos erant plures non intelligibiles &c. & consequenter corrigendi erant*. Concludebat, quod, quia præterita damnatio articulorum *erat impeditiua profectus studentium, & occasio scandali inter studentes &c.* ideò Episcopus Parisiensis *eam sententiam sui prædecessoris ad dictos articulos appositam poterat, sine periculo, ad pacem, & vtilitatem plurimorum faciliter amouere*; & rursus addebat non solum forè absolutè ab Episcopo reuocandam sententiam excommunicationis appositam, sed totaliter damnationem articulorum retractandam, seu abrogandam, licet in hoc secundo, si omitteretur, *non auderem*, inquit, *damnare Episcopum Parisiensem*, immo concedit *excusari aliqualiter posse*, quia in hoc *indigeret consilio Magistrorum, qui in dictis articulis non sunt bene concordes*. Hæc ille, mox ante tempus reuocationis scribens, & non Dominicanus, sed exterus, & doctor simul Parisiensis, & alioquin in pluribus à S. Thoma recedens, vt eiusdem obiectiones passim in Capreolo referuntur. Ergo non manet vltra dubitandum de reuocatione prædicta etiam ante tempus Montesoni iam cognita. His, & huiusmodi alijs sine dubio alludebat Ioannes de Neapoli scribens ad annum 1315. paulò ante reuocationem eandem, & in quæstione sua 22. punc. 4. ad 5. dicens, *Magni Doctores dicunt, & scribunt, quod Episcopus Parisiensis deberet istos Articulos corrigere, multis de causis, tum quia plures ex eis sibi inuicem contradicunt, tum quia aliqui manifestam continent falsitatem &c.* Ad hoc facit, vt alia dimittam, eandem hanc ipsam reuocationem procuratam fuisse à B. Alberto Magno eiusdem D. Thomæ Magistro, qui superuiuens post eius obitum, & audiens rumorem hunc sparsum de tacta Angelici Doctoris doctrina in tunc recenti damnatione prædicta (si vera referuntur in antiquissima vita D. Thomæ manuscripta, & extante in Monasterio Sancti Saluatoris Vltraiecti, vt idem Alua recenset nodo 17. pag. 732.) [Audiens Albertus Magnus, quod scripta San. Thomæ quidam vaniloqui impugnarent, licet iam senex, & decrepitus venit Parisios, vbi erat magnæ auctoritatis, & conuocata Vniuersitate Cathedram ascendit, & hanc auctoritatem in laudem S. Thomæ proposuit. Quæ laus viuo, si laudetur à mortuis? supponendo S. Thomam verè viuere, & alios mortuos esse: & post multas, & gloriosas laudes eius dictas, quod paratus erat in examine peritorum scripta eius defendere, tanquam veritati subnixa, & sanctitate fulgentia. Et post multa dicta, & facta in approbationem eorundem Scriptorum, rediję Coloniam, & sæpè dicebat, quod S. Thomas fuerat decus, & flos Mundi &c.] Ad hoc denique facit (vt in præsenti reticeam encomia alia promerita à San. Thoma in eadem Vniuersitate anteà à me recitata superiùs) quod idem ipsemet Alua nodo 5. pag. 415. confitetur se easdem litteras Parisiensis Vniuersitatis, *in prima impressione Solis veritatis recepisse, & admisisse tanquam veras, & sub-*

subsistentes, & iterum in hoc eodem Opere sui immemor modo easdem admittit, vt supra retulimus, modò impugnat easdem, & consequenter sibimet splendidè contradicit.

Ad primum igitur negatur minor, vti ex adductis à nobis probationibus constare potest, præterquamquod, etsi pro tunc gratuitò admitteretur, non adfuisse in Archino Vniuersitatis harum litterarum regestum, id adhuc admirationi non esset, quia datæ fuerunt *apud Gentiliacum anno &c.* vt in eisdem concluditur, scilicet editæ illæ fuere, non *apud Sanctum Mathurinum*, neque *apud Sanctum Iulianum pauperem*, vbi, & Alua fatente pag. 216, congregatio est solita congregari, sed *in Vico Gentiliaco*, vt idem subiungit ibidem, *distante à Sorbona per duas Leucas*, ab Episcopo scilicet degente tunc ibi, qua de causa posteà eadem Vniuersitas anno 1387. in causa Montesoni (vti nunc legitur ad finem Magistri Sententiarum, licet ad aliud institutum) de hac earundem litterarum editione dicebat: *Hoc fortè contingere potuit ex ignorantia, vel inaduertentia Notarij dictam litteram componentis, nam illa littera non fuit data in solemni auditorio, sed apud Gentiliacum extrà Parisios, vt in fine ipsius litteræ patet.* Hæc ibi §. 4. *patet &c.*

Ad secundum iterum, licet secunda pars minoris negari possit, & debeat, adhuc ex mox dicta ratione disparitas colligeretur, quia litteræ illæ priores condemnatoriæ fuerunt editæ *in Curia Parisiensi*, vt patet in fine, & aduertit Alua pag. 183, istæ verò extrà Parisios, vt probatum est.

Ad tertium, transeat non fuisse *signo alicuius publici Notarij insignitas* eas litteras à Montesono exhibitas, quia cum Originales essent, non transumptæ, eo signo non indigebant, sed immo erant firmatæ *sigillo Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi*, vt ibidem dicitur, qui earum auctor fuerat, quin immo postea etiam ad maius robur earundem firmatæ iterum erant, (vt ibi subiungitur, & adduximus iam) *eiusdem litteræ* (scilicet Stephani) *sigillo Domini Gulielmi olim Parisiensis Episcopi, eorum sigillis sigillatæ &c.* quid aliud quæso desiderabatur, vt velut authenticę rec iperentur, sicut reipsa receptæ sunt?

Ad quartum admisso, vt solus Alua tecenset, duos illos Scriptores ea verba scripsisse, quæ Vniuersitas non est ausa pronunciare, respondeo, nec magnæ in proposito eos fidei fuisse, vtpote in causa Montesoni Dominicani tunc controuersia præ alijs nobis ipsis infensos, & præcipuos eius causæ actores ex Minorum Ordine, vti non hic, sed alibi idem Alua fatetur pag. 275, & 439; & vltrò ijdem in eisdemmet verbis falsitatem manifestè supponunt, scilicet eundem Stephanum fuisse, qui prædamnauerat Articulos, & qui postea reuocationem emisit, dum inquiunt; *non est verisimile Patres Dominicanos habere veram litteram Domini Episcopi Parisiensis, quia iste condemnauit &c.* in quo egregiè se produnt allucinatos esse, & demum nec ipsi audent de eisdem litteris dubitare, sed solum hanc suspicionem aliis innominatis attribuunt, imponuntque dicentes: *ideo nonnulli dicunt, quod littera eius, vel subreptitia est* (en nec suspicio determinata de falsitate, sed vaga) *vel subreptitia est, vel a veritate aliena*, en in quot ijdem ambages excurrunt.

Ad quintum, inde ex eorundem sola relatione deprompmm eadem facilitate, qua asseritur, potest sine dubio negari, & eo adhuc gratis admisso indè non fit, nisi originales eas litteras non statim ab editionis tempore evulgatas

à nostris fuisse per integrum Prædicatorum Ordinem, vt eas singuli intuerentur, non vero sequitur eas veraciter non prodijsse, sicut & modò extant plurimæ Bullæ in fauorem Ordinis nostri in varijs Conuentibus authenticę reseruatæ, quas tamen nos singuli ipsi non vidimus, vti nouissime edidit Gonzales noster Episcopus Peruanus Bullarium integrum Ordinis, quarum plerasque Bullas fateor me non hucusque vidisse, nec tamen fit inde Bullas easdem, vel non extare, vel forsan esse de falsitate suspectas.

Ad sextum negatur paritas, & sequela maioris, tum quia litteræ condemnatoriæ communes erant, vt ab omnibus illi errores euitarentur, reuocatoriæ verò propriæ magis Dominicanorum erant, reuocantes damnationem dumtaxat, *quatenus tangere asserebatur* vnum aut alterum articulum S. Thomæ, ideò illæ simul cum Theologia Magistri Sententiarum communiter vulgatæ sunt, non verò istæ; tum quia, vt visum est suprà, earum vulgatio adhuc ab æmulis S. Thomæ procurata fuit in diffamationem eiusdem, istæ vero vt commendantes doctrinam eiusdem, idcircò ab eisdem ex industria omissæ fuerunt; tum quia demum adminus in fine Magistri Sententiarum simul legitur adhuc scriptura nomine Parisiensum transmissa ad Pontificem aduersus Montesonum, in qua hæ litteræ reuocatoriæ memoratæ leguntur, nec reprobatæ, vt adductum est.

Ad septimum, etsi nos præter adductos testes cordato Viro abundantes, vltrò historicos alios de Parisiensibus Episcopis id attestantes consulere non valuerimus, vt assumpti falsitas detegeretur, eo tamen adhuc gratis admisso, huius discriminis ratio facillimè assignatetur, tum quia damnatio non vna, sed duplex fuit ab eodem Episcopo Stephano secundo edita, vt habet Gerson in 1. Tomo suorum Operum Epistola ad quemdam Fratrem Minorem, vbi relata posteriori damnatione anni 1277. post obitum D. Thomæ, & Bonauenturæ, de alia priori subiungit, *damnauerat prius ipse idem Stephanus pauciores Articulos viuentibus adhuc præfatis doctoribus anno* 1270, reuocatio autem vna fuit; tum quia ea turbulenta fuit cum strepitu discordantium doctorum Parisiensium, vt supra vidimus, non vero ista; tum quia illa communem causam tangebat, non vero ista: tametsi pro nunc occurrat Doctor Henricus Goriehen scribens anno 1489. (vt habes in Alua pag. 183.) *qui loquitur de istis erroribus reuocatis*, vt sui immemor idem Alua fatetur pag. 185. & forsan in alijs bibliothecis, in quibus exagerat Alua pag. 183. reperiti damnationem Stephani secundi, si eas consulere valeremus, reperiremus etiam adiunctam reuocationem Stephani huius nominis tertij, *vt in bibliotheca Parcensi Ordinis Premonstrensis cum vigintiloquio Petri de Aliaco, & etiam ibi in Monasterio Dunensi Patrum Cistercensium, Tornaci in Bibliotheca Dionysij Villerij, Cantabrigiæ in Anglia in Bibliotheca collegij Emanuelis volumine 1, & huiusmodi alibi.*

Ad octauum quo ad ad p. p. (præter Godefredum ex professo vbi supra respondentem) occurrit idem Stephanus tertius in initio Epistolæ dicens: *Magistra experientia certis indicijs euidenter demonstrat multa quibusdam temporibus ordinata consulte, nouis emergentibus causis, succedentibus temporibus in contrarium debere consultius immutari*, & reddens rationabile motivum præcedentis damnationis subiungit, suum prædecessorem eos articulos damnauisse, *ne forsitan*, inquit, *eos male intelligentes caderent in errorem*, neque inde ipse in omni sensu eos à damnatione

natione absoluit, sed solum in sensu S.Thomæ, in quo eos aliqui damnatos asserebant, *quantum*, inquit, *tangunt, vel tangere asseruntur doctrinam Beati Thomæ prædicti &c.* & hoc vtique ex rationabilissimo motiuo, ne doctorem Sanctum, quem Romana Ecclesia *quoad vitam puram, & doctrinam salubrem Orbi terræ commendabilem prædicauerat*, in mox tunc edita Canonizatione, aspicientes Hæretici sic *iniustè denigratum* Parisijs, arriperent inde *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliqualē dehonorationem*, vt ibi Stephanus loquebatur; quod vtique, sicut *tunc prudenter id timebatur*, fatente Alua pag. 205; *postea anno 1660 in publicis Thesibus proposuit quidam Hæreticus in Germania.* Rationabilis igitur reuocatio fuit. Quoad secundam verò obiectionis partem, quod scilicet inuerisimile videretur eo breui examinis tempore Vniuersitati innotescere potuisse tantam doctrinæ Angelici præceptoris excellentiam, ac sanctitatem, Quis quæso non videt non solum id mirum nullo modo esse, verum etiam inuerisimile penitùs obiectionis apparere motiuum? tum ob probatam anteà Parisijs legentis ibidem S. Thomæ doctrinam, vti ex D. Antonino referebamus, tum ob discussam, & defensatam eandem ibi simul, & alibi per annos quinquaginta ab anno obitus S. Thomæ 1274. vsque ad Canonismum eiusdem celebratum anno 1323. annoque sequenti subiunctas has litteras Vniuersitatis, tum ob innumeros testes examinatos ad hoc etiam in Processu canonizationis legendos apud Bolandum die 7. Martij, tum ob laudatam subinde & approbatam eandem San. Thomæ doctrinam in eadem Canonizationis bulla anno anteriori transmissa Parisios, in qua præter alia legenda in Romano Bullario, appellabantur *eiusdem scripta, opera Dei; & clara, & famosa, & non absque speciali Dei infusione perfecta*, addebatur que nominatim eundem *Parisijs loco vtique celeberrimo ad Theologiæ Magisterium fuisse assumptum, magnosque inibi suo, suisque Ordinis ac Parisiensis studij fauore per multorum annorum curricula rexisse Cathedram Magistralem.* An ne itaque hinc poterit aliquis amplius dubitare iam satis Parisiensi eidem Vniuersitati eiusdem doctoris doctrinæ excellentiam, tam probe auditæ, dum viueret, tam diù cribratæ post mortem, tam accuratè examinatæ, dum esset Sanctorum Albo adscribendus, tam aliè commendatæ in eiusdem Canonismi diplomate, anno sub inde sequenti innotescere potuisse? an immo postrema ea verba Pontificis, quæ modò relata sunt, non vndequaque conuincunt, aut firmant saltem, quod in Articulo superiori statuebamus, ac tuebamur, neque vere Parisijs S. Thomæ doctrinam *magno inibi Parisiensis studij fauore* susceptam, fuisse vnquam aliqua vel leuissima proscriptione fœdatam?

Ad nonum tandem, præsupposita iam varietate exscribentium prædictas litteras, quam vel Alua concedit, & probat, vt supra retulimus, non mirum est inde, si plerumque apud nostros illa Clausula non legatur, quæ fortasse ab alijs inserta, adiunctaque fuit, præsertim cum falsum sit eam Clausulam semel admissam destruere approbationem doctrinæ S. Thomæ in ijsdem litteris lucentissimam: cum enim inter ducentos, & viginti duos articulos anteà damnatos nonnisi de quinque, aut sex ab aliquibus dubitaretur, seù rumor spargeretur, *quod viderentur tangere doctrinam Sancti Thomæ*, dum prædicta damnatio reuocaretur, *quatenus videbatur, seù asserebatur tangere doctrinam Sancti Thomæ*, quid mirum alicui ex damnatis articulis eam particulam adiunctam esse? in quo quæso id derogat elucentibus iam, ac repetitis in eadem littera laudibus, &

appro-

approbationibus doctrinæ Angelici Præceptoris, vt perperam Alua suspicatus est, aut suspicari se finxit? ex eadem varietate Scriptorum quid mirum, visas ab Alua litteras legere, *Flos Doctorum*, visas autē ab antiquioribus nostris habuisse, *Fons Doctorum*, vti in simili, immo maiori varietate lectionū antiquorum librorum critici modo commentatores ad inuicē, Lipsius, Salmasius, Gruterus, Casaubonus, ac similes rixari suescunt? qua de causa etiam conquerebantur antiquitus de Amanuensibus in antiquissimis manuscriptis differentibus inuicem Anastasius Synaita in proœmio Operis, D. Gaudentius in præfatione, Irenæus in fine, Hieronymus epist. 28, & 51, Symachus lib. 1. epist. 18, & 24, Dion oratione 42, Rutilius in præfat. libri de incisione, Cicero ipse ad Atticum, Petrarcha lib. 1. de remedijs vtriusque fortunæ cap. 42. Hostiēsis in proœmio summæ, ac inter cæteros Strabo lib. 13. Geographiæ dicens *Bibliopolas Scriptoribus non bonis vti &c. quod & hic*, inquit, *accidit Alexandriæ libris*. Planè igitur hic eo vanior euincitur impostura Aluæ in Thomistas de adulterato ex industria hoc verbulo, quo insulsior eiusdem interpretatio est de instabilitate Floris, Fontis verò stabilitate, cum sciamus hanc Floris Analogiam non minus rerum stabilium excellentiæ laudandæ adaptari solere, vt fusè demonstrat Cerda in 7. Eclogam Virgilij versu 1. num. 7. adeò vt præter Lucretium lib. 4. stabilia sydera appellantem *Florentia lumina flammis*, & Apuleium libro 8. vocantem *Solem floridum*, etiam in Agathia lib. 2. quemdam legamus nominatum *Florem summum eiusdem æui Philosophum*, vti & Plinius in Panegirico nuncupabat, *Senatus, & Equestris Ordinis Florem*: neque idcircò rursus recenter, vt Alua confingit, à Modernis nostris hominibus ficta est illa Fontis imago pro S. Thoma, cum iam diù vix mortuo San. Thoma (vt legitur adhuc apud Bolandum die 7. Martij) Gulielmus Tochus in vita eiusdem San. Thomæ cap. 3. eandem similitudinem adhibuerit dicens: *per Thomæ scientiam cunctis fidelibus aqua diuinæ sapientiæ mira felicitate donatur*. Demum admisso ab vno, vel altero etiam Anonymo, immo incognito, an noster fuerit, duas fuisse relatas epistolas pro S. Thoma, alteram Stephani Parisiensis nomine Vniuersitatis, quæ vulgo legitur, alteram propriam Doctorum Vniuersitatis, vt in obiectione supponebatur, tantum ne hoc piaculum est? poterit ne tueri vel Alua hanc secundam in illa priori non denotari illis verbis, quæ vulgo leguntur? *De Consilio venerabilium Virorum Decani, & Capituli Parisiensis, & venerabilis Patris Dom. Gulielmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, Sacræ Theologiæ professorum, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia, vna cum Reuerendo Patre prædicto in litteris sub eorum sigillis* (nota) *per præfatos Commissarios nobis missis; necnon, & triginta nouem Bachalaureorum in Theologia super hoc per litteras eorum* (nota iterum) *propriæ subscriptionibus, & sigillis munitis, nobis super hoc consulentium, & rogantium &c.* En vides in Epistola ipsa vulgata Stephani Parisiensis nomine Vniuersitatis præsupponi & alias ab ijsdem Doctoribus Parisiensibus simul subscriptas ac sigillo munitas in approbationem eiusdem doctrinæ S. Thomæ, quemadmodum ab Anonymo supponebātur, & forsan ab eodem repertæ fuere, & exscriptæ. Est ne igitur inde vel Anonymi fraus accusanda in recognitione dictarum litterarum, quas agnouerat, & retulerat & ipse Alua in prima impressione *Solis veritatis*, vt in præsenti Opere pag. 417 confitetur? an potius culpanda non est forsan æmulorum inuidia in supprimendis ijsdem, aut aliorū incu-

incuria, in eis non conseruandis, aut demum excusanda indulgentia plerumque nostrorum in reticendis eisdem, quæ licet veræ fuerint, non ita facilè reperiebantur? Sanè constat, (vt claudam, & alia quædam minutiora ridenda potiùs, quam referenda præcludam) quandoque Scriptores compendio potius afferentes sensum, quam per extensum exscribentes singula Parisiensium litterarum verba, si videantur (vt Aluæ videntur) in alijs quibusdam apicibus, aut in verbulo aliquo dissidere, tam facile defendi valere, quam accuratè, & in simili, ab antiquorum quamplurium exemplo Hieronymus epist. 89. cap. 2. & iterum epist. 101. *de Optimo interpretandi genere* id esse licitum demonstrabat, ad quem lectorem remittimus, & interim nos ad approbationem alteram defendendam sub Innocentij nomine evulgatam *(quam prorsus fictam* idem Alua contendit) accuratiori calamo, & iuxta ordinem editionis, ac temporis properamus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Approbatione Innocentij Pontificis in Sermone,
ecce plusquam Salomon hic.

NOn mirum debet videri (vt loquebatur & D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 38.) *quod quædam suspecta habeantur, quæ sub magna antiquitatis nomine proferuntur*; nam, vt præmiserat etiam de Enochi scriptis in epist. Iudæ, *& ea scripta, vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia antiquitas fecit*. Antiquissima proinde cum sit inter cæteras omnes subsequentes approbationes Angelicæ doctrinæ S. Thomæ ea Innocentij approbatio, quæ ab aliquibus quoque Innocentio V. tribuitur contemporaneo S. Thomæ, etsi ab alijs Innocentio huius nominis Sexto attribuatur, non mirum si tanta antiquitas fecit, vt non ita de facili positiuas probationes reperiremus eiusdem. Hæc porro ea est Commendatio notissima in hæc verba restricta. *Huius Doctoris sapientia præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauerit semper fuerit de Veritate suspectus*. Hæc ea est, quam Petrus Alua præcipuè *prorsus fictã esse*, velut è Tripode pronunciando decernit, quamque propterea ipsi in hac quæstione proponimus discutiendam.

ARTICVLVS PRIMVS.

An sufficienter probetur elogium hoc ab Innocentio, siue Quinto, siue Sexto, non prodijsse.

VIdetur Aluæ asserendum nodo 4. §. 1. cum vnico damnato Poza in memoriali ad iudices veritatis. Et primo de Innocentio Quinto sic arguit, quia *verba allegata supponant Angelicum Doctorem iam fuisse canonizatum, aliter enim de ipso non concionaretur summus Pontifex. At vero Innocentius V. antea Petrus à Tarantasia dictus, ex Ordine Prædicatorum electus fuit ad supremam Petri Sedem anno 1276. 13 Kalendas Februarij post duos annos à morte S. Thomæ*, canonizari deinde dumtaxat anno 1323. Non igitur Innocentius V. prædicti auctor elogij fuit.

Secundo,

Secundò, quia etsi antequam Pontifex eligeretur Concilio Lugdunensi tanquam Cardinalis interfuerit, *non legitur tamen illic habitus aliquis sermo incipiens (ecce plusquam Salomon hic) neque hic Innocentius vllos sermones scripsit*, vt loquitur Alua; nec isti igitur attribui potest elogium, quod recensetur, ex sermone incipiente, *ecce plusquam Salomon hic*.

Tertiò, quia, vt in sequenti videbimus, nullus hucusque alter reperiri potuit sermo incipiens, *ecce plusquam Salamon hic*, in laudem S. Thomæ præter illum, qui insertus legitur cum alijs manuscriptis sermonibus Clementis VI, vt referemus; at hic dubio procul esse non potest vllo pacto ab Innocentio V. editus, cum in eodem sermone non semel *Sanctus* idem Doctor Angelicus nuncupetur, qui Sancti titulus pro tempore dicti Innocentij V. vt vidimus, non congruebat (& si potius ex hac parte congrueret tempori Innocentij VI, qui Pontifex fuit ab anno 1352. longè post adscriptum Sanctorum numero Aquinatem) nullo igitur pacto saltem Innocentio V. prædictum elogium attribui posse videtur.

Quartò, nec minus inde Innocentio VI. attribuendum esse sic probat, quia *Innocentius VI. solum scripsit quasdam epistolas, quæ extant in Bibliotheca Vaticana, & etiam in Collegio Nauarræ, nullos vero Sermones edidit*. At istud elogium, *ex quodam sermone*, vt antea diximus, solet communiter recenseri. Nec Innocentius igitur VI. huius elogij auctor esse potest.

Quintò, quia vt notat idem Alua pagina 343, vt insuperabilis ista difficultas eluderetur, varietas inde magna inter auctores referentes dictum elogiũ suborta est: quidam enim referunt Innocentium indeterminatè & vagè, vt Petrus Bergomensis, in tabula, Bandellus de peccato originali, Lambertus de Monte, Pizzamanus Venetus, & autores editionis Romanæ sub Pio V. compluresque recentiores, quidam vero (licet pauciores) nominatim referunt Innocentium V, vt Gabriel Barleta in Sermone de S. Thoma, Nicolaus Iamsenius in animaduersionibus, folio 57, Wielmius lib. 2, Gregorius de Trichemausen libro de conceptione, Truusillus tomo 1. libro 1. cap. 3. Grauina tomo 1. præscriptionum, Cleriquel fol. 20. Ignatius Galuan, & alij. Demum alij nuncupant Innocentium VI. vt Ribadinera in vita S. Thomæ, Franciscus Siluius Oratione secunda pro S. Thoma, Castillus, Araueo, Complutenses, Ioannes de S. Thoma, & præter plerosque cæteros recentiores passim (quod super omnes est) Breuiarium Domenicanum in octaua S. Thomæ &c. Ex ista igitur varietate subinferre Alua contendit neutri vere Innocentio tribuendum esse.

In oppositum tamen est, quod sicuti modo videtur hucusque, non potuisse reperiri autographum Sermonis Innocentij incipientis, *Ecce plusquam Salamon hic*, ita similiter subripi vel aliter deperdi potuisset autographum Bullæ Vrbani V. ad Tolosanos incipiens, *laudabilis Deus*, vti reipsa in sequenti videbimus supponere Aluam nec Bullam istam Vrbani reperiri. Sed non obstante hoc secundo adhuc in ista hipothesi constat similia omnino argumẽta (quæ in quæstione sequenti ex eodem Alua afferemus aduersus Bullam Vrbani) non concludere falsitatem eiusdem Bullæ, quę iam antea in plurium veterum auctorum operibus agnoscebatur, licet Alua supponeret autographum non reperiri; Ergo pariter hic non obstante primo, adhuc similia penitus argumenta Aluæ

aduersus

aduersus hunc Innocentij sermonem allata dicendum est haudquaquam vere concludere falsitatem sermonis eiusdem, qui alioquin antea in tot veterum Scriptorum libris legitur recensitum.

Respondeo vtique hæc & huiusmodi argumenta non solum nullo modo cōcludere Innocentium VI. non fuisse auctorem prædicti elogij, vt plerique supponunt, verum nec vllo modo probare, non potuisse Innocentium V. eundem habere sermonem, vt aliqui putauerunt, & vt incipiam ab hoc secundo, de Innocentio V. quod inuerisimile non solum, sed impossibile Aluæ videbatur, id immò verisimile vltro, ne dum possibile, hæ singulæ rerum & personarum ac temporum circumstantiæ simul vnitæ conuincunt, siue nimirum attendas personam, de qua elogij auctor loquebatur, siue tempus, quo in ista hipothesi loquutus esse supponitur, siue demum verba, quibus loquutus est, vt singula hæc per gradus conferenti patebit, quo ad primum quidem Thomas ille erat, cujus viuentis adhuc doctrinam simul ac sanctitatem antea comendarant Gerardus de Fracheto, in vitis Fratrum Prędicatorum, defunctus duobus annis ante obitum S. Thomæ, Cantipratanus lib. 1. de Apibus cap. 20. num. 10, & Stephanus de Salinnacho libro de quatuor insignijs Ordinis Prædicatorum, qui obijt anno 1290. Ille erat, qui iussus à Gregorio X. *adire concilium Lugdunense ac secum deferre libellum, quem de mandato Vrbani Papæ fecerat contra Græcos ad conuincendum eosdem Græcos in eodem concilio, in itinere obijt &c.* vt habent Thocus in eiusdem vita cap. 10. D. Antoninus tit. 23. cap. 7. §. 11. & alij. Ille erat, de quo statim defuncto in Monasterio Fossæ Nouæ, *cum eius funeri & exequijs interessent plures fratres Ordinis, qui de diuersis Conuētibus ad ipsum venerant,* vt loquitur idem Thocus in vita cap. 10. & repetitum legitur in Processu canonizationis cap. 6. *cum essent ibi præsentes D. Franciscus Episcopus Tarraconensis, quinquaginta circiter Fratres Minores, & Fratres Prædicatores plures, & Monaci prædicti Monasterij quasi numero centum,* vt subditur postea in eodem Processu cap. 7. *Frater Petrus de Scentia procurator Prædicatorum in Anglia in eius funere prædicauit.* Ille erat, de quo postmodum *tanquam de Sancto Confessore,* vt in eodem processu legitur cap. 2. & sequentibus, *post octo circiter menses ab eius obitu cantata fuit ibidem à Monacis Missa de vno Confessore incipiens; Os iusti meditabitur sapientiam &c.* ille erat, de quo elapsis dumtaxat quatuor annis ab eiusdem morte in Capitulo Generali Mediolani 1278. Ordinatione vltima, sancitum est puniēdos eos ordinis Fratres, *qui de scriptis Venerabilis Fratris Thomæ de Aquino minus honorificè loquerentur.* Quo ad secundum de tempore appositè tempus, quo Innocentium hunc V. in eius laudem loquutum esse consequitur, illud erat eiusdem Lugdunensis Concilij, *in quo Oecumenico concilio,* vt legitur in vita Innocentij V. impresa cum comentarijs eiusdem in libros sententiarum, *maxime defuncto D. Bonauentura omnia ferè eiusdem Petri à Tarantasia (qui postea fuit Innocentius Quintus) consilio agebantur, vt inde nonnulli parum ad rationes temporum attendentes (inter quos Sansouinus) occasionem sumpserint scribendi concilium Lugdunense sub Innocentio fuisse habitum, cum tamen sub Gregorio Decimo fuerit celebratum.* Illud tempus erat, quo idem Petrus mox ante Archiepiscopus Lugdunēsis tunc Cardinalis Hostiensis ibidem in eiusdem concilij actibus legitur tres sermones coram toto concilio, ac intra concilium, habuisse (præter quos non intra concilium sermo alter, vt supponitur, habitus, ideo in concilij actibus non memoratur)

primum nimirum die 7. Maij pro vnione Græcorum, assumpto themate Isaiæ 49. *leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Secundum die 6. Iulij, occasione aduentus Nuncij Regis Tartarorum, exordientem ab illo Psal. 75. *illuminans tu mirabiliter à Montibus æternis*, & tertium in funere Cardinalis Bonauenturæ in concilio defuncti, ex illo Regum 2. cap. 2. *doleo super te Frater mi Ionata &c.* Illud iterum tempus erat, quo vt ex eiusdem cōcilij actis agnoscit ac loquitur Odericus Rainaldus in continuatione Baronij ad annum 1274. num. 29. *Gregorius X. totius orbis Præsulibus in sessione quinta imperauit, vt Missam pro anima eiusdem D. Bonauenturæ celebrarent, alteram vero pro ijs, qui arrepto ad concilium itinere viuis decesserant, ex quorum numero erat S. Thomas, quem ad Synodum exciuerat Gregorius, cum illius sanctitatis, doctrinæ &c. gloria latè in Dei Ecclesia efflorescerat, vt eius opera in sacro illo cœtu vteretur.* Illud tempus erat, quo ibidem Lugduni celebrabatur appositè Capitulum Generale Prædicatorum, in quo de more commemorandi mox ante defunctos Fratres cum laude eorum, qui laudari meruerunt, nequit amplius sub dubio reponi laudatum eximie fuisse peculiariter Thomam Aquinatem, qui paucos ante Menses in itinere ad concilium obierat, & ea, quæ mox ante retulimus, vel apud exteros pro suæ sanctitatis doctrinæque laude promeruerat, ad id insuper impellente Pontifice, vt Odericus aduertit, *pro S. Thoma cum alijs, qui arrepto ad conciliū itinere viuis decesserant*, & ex eo rursus argumēto desumpto à fortiori, quod *in eodem Capitulo Generali Prædicatorum*, vt loquitur auctor vitæ præcitatæ Innocentij, *præscriptum est, vt singuli Sacerdotes Ordinis pro ipso etiam D. Bonauentura semel Deo sacrosanctum Missæ sacrificium offerrent.* Illud demum tempus erat, quo (ex eiusdem vita Innocentij) hic ipse Petrus Cardinalis Hostiensis, qui postea Innocentius fuit, *Solus post obitum D. Bonauenturæ à summo Pontifice ac toto concilio designatus*, præsedit eidem Generali Capitulo, *curans aliquas fieri ordinationes in eodem Capitulo generali Prædicatorum Lugduni tunc celebrato anno 1274 quæ coram Summo Pontifice & Cardinalibus perlectæ placuerunt*, ac inde de more præsidentium consequitur aliquem saltem ad Patres Ordinis (si non in Templo coram confluentibus etiam concilij Patribus pro funere S. Thomæ, ac præstiterat in concilio pro funere D. Bonauenturæ) consequitur, inquam, aliquem saltem habuisse sermonem. Quo ad tertium de persona loquentis, hic Petrus à Tarantasia, Cardinalis Hostiensis tunc, & postmodum Pontifex, ille erat, quem mox ante conuiuens Aquinas sibimet ne dum sanctitatis doctrinæque merito, verum & beneficentiæ vinculo obstrinxerat, eiusdem Petri à Tarantasia articulos quosdam malè auditos à quibusdam suo integro defendens opusculo, quod legitur adhuc inscriptum ad Ioannem Vercellensem tunc Ordinis Generalem. Ille erat, qui Parisijs cum eodem S. Thoma in legendo sodalis audiuerat sapientiæ Aquinatis eiusdem à Parisiensibus tunc etiam editam approbationem, *cum omnium concordante sententia quidquid Frater Thomas Doctor determinaret, & definitiue proferret, hoc communis schola inconcussè teneret, experti namque fuerant in alijs de eodem, quam ipse subtilius in omni genere veritatem attingeret, & eam clarius edoceret*, vt hucusque loquitur tum Gulielmus Thocus in vita S. Thomæ cap. 9. tum D. Antoninus tit. 23. cap. 7. tum Humbertus in vita S. Thomæ cap. 53. manuscripta existente in Monasterio S. Crucis Coloniæ, quam agnoscit & Alua nodo 6. pag. 74, & pag. 473 fatetur hoc idem repeti in

alia

alia vita S. Thomæ cap. 25. scripta anno 1450, existente in Monasterio Vallis viridis prope Bruxellas. Ille erat, qui ita addictus eidem Angelico Præceptori vulgo communiter reputabatur, vt in processu deinde canonizationis S. Thomæ cap. 9. id tunc evulgatum vltro communiter recenseatur, ideo scilicet *post obitum Fratris Thomæ elapsis octo mensibus vel circa insonuisse rumorem, quod Frater Petrus de Tarātasia de Ordine Prædicatorum factus esset Papa, & volebat, quod corpus dicti Fratris Thomæ trasfereretur in aliquem locum honorificentiorem Fratrum Prædicatorum &c.* ille postremo erat, qui præter commentarios in sententias ac in plerosque scripturæ, libros cum Trithemio enumeratos à Plodio, *scripsit etiam compendium in quo breuiter restrinxit doctrinam S. Thomæ*, vt loquitur idem Plodius lib. 4. & ante Plodium Sixtus Senensis lib. 4. verbo Innocentius, ait, *omnia opera D. Thomæ in epitomen redegit*, & ante Senensem Leander Albertus lib. 3. de Innocentio V. *strictim*, inquit, *dicti Thomæ Aquinatis doctrinam complexus est. Quare epitomate uno fere omnia eius scripta comprehendit; Maximus enim fuerat propugnator & assectator ipsius doctrinæ, qua apprimè delectabatur, eius etiam consuetudine, dum in humanis, plurimum vsus*; quo loquendi modo indicatur appositè Innocentium prope suæ vitæ finem laudatam epitomen compleuisse, & forsan eum, quem paulo ante habuerat in laudem D. Thomæ sermonem, eiusdem doctrinæ compendio pro consueto auctoris elogio inseruisse, ac sic, vt loquitur Spina Pisanus Caietano Coævus præfatione in secundam secundæ, *Sermonem in ipsius preconio edidisse*; nec inde propterea ex eo, quod non fuerit hucusque repertus, hic sermo negari potest, vti neq; prædictum negatur breuiarium, etiam si (ob tunc deficientem typographiæ artem) vbi manuscriptum nunc lateat ignoretur. Quoad quartum de verbis, quibus prædictum elogium enunciatum est, fanè non dixit elogij auctor, *huius Sancti Doctoris doctrina*, sed solum, *huius Doctoris &c.* vt indè videres etiam Aquinati nondum Innocentij tempore Cathalogo Sanctorum adscripto eadem verba congruere potuisse. *Præ cæteris* (inquit, & pergit) *excepta canonica habet &c.* quemadmodum similiter postmodum ab huius Innocētij obitu, anno 1300, de eodem Aquinate non adhuc translato in Sanctorum numerum extraneus alter auctor Godefridus de Fontibus huius Innocentij verbis alludere non dubitauit, dicens: *excepta doctrina Sanctorum, & eorum, qui pro auctoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras videtur vtilior, & laudabilior, vt de Doctore Fratre Thoma, qui eam doctrinam scripsit, possit dici in singulari illud, quod Dominus dixit in plurali de Apostolis Matthæi 5. vos estis sal terræ.* Inde inquit Innocentius, ac sequitur, *habet proprietatem verborum, modum dicendorum, & veritatem sententiarum*, eo nimirum modo, quo penitus anteà, vt mox retulimus, audiente eodem Petro à Tarantasia Parisijs, *omnium concordanter sententia, quidquid Frater Thomas determinaret, hoc communis Schola inconcusse teneret &c. quia ipse subtilius in omni genere veritatem attingeret, & eam clarius edoceret*, & postmodum iterum Ægidius Romanus in defensione doctrinæ S. Thomæ paulò ante defuncti, *ipsius sermones veritate plenos* appellauit, *ac spiritu veritatis instigante conscriptos*: concludit tandem Innocentij elogium; *ita vt qui eam tenuerit, nunquam inueniatur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus*, quæ fanè postrema verba, licet magis quam præcedentia molesta quibusdam non paucis visa sint, ... tamen ex præcedentibus (non ita molestis) necessaria connexione se-

quuntur, vt in sequenti videbimus, & quo ad sensum saltem non minùs pronunciata leguntur eodem Innocentij sæculo de eodem San. Thoma mox antè defuncto à Iacobo de Viterbio (quem plurium etiam librorum auctorem Trithemius laudat) ex Ordine Heremitarum assumpto ad Archiepiscopatum Neapolitanum, aiente (vt legitur etiam in processu Canonizationis S. Thomæ cap. 2.) *nulli sibi attribuant, vel adscribant in sacra scientia aliquid plenè scire, nisi qui sequuntur, & inhærent scientiæ, & scriptis Fratris Thomæ de Aquino.* Audis? & rursus cap. 9. idem dixisse memoratur: *in Fratris Thomæ scriptis communis veritas inuenitur, communis claritas, communis illuminatio, communis ordo, & doctrina certo perueniendi ad perfectam intelligentiam*, & tandem ibidem etiam Ægidius Romanus dixisse laudatur *frequenter Parisijs: Si Fratres Prædicatores voluissent, & non communicassent nobis scripta Fratris Thomæ, ipsi fuissent scientes, & intelligentes, nos vero Idiotæ &c.* Eugè, gratiæ sint Deo, qui non permisit hæc, & huiusmodi elogia doctrinæ S. Thomæ posse similiter dici conficta à nostris, cum in authentico apud Bolandum canonizationis Processu legantur. Quare igitur eiuscemodi pariter verba in prædicto Innocentij elogio peculiariter adeò Aluæ inuisa fuere, *vt improbabilia, & à Dominicanis prorsus ficta* dicantur? Cur non attendit vel Prosperum in fine libri contra Collatorem vniuersim de doctrina Augustini similiter electiuè approbata ab Ecclesia id protulisse, *Quā, inquit, qui impugnant, & vana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere & diuinis, ac humanis constitutionibus rebellare noscuntur*? Cur, præter alia quamplura à nobis iam scripta superius lib. 2. q. 5. ar. 1. per totum de eiusdem Elogij sensu, non vidit saltem ipse de se (quemadmodum memini me id etiam alibi obseruauisse, nimirum lib. 1. Dogmaticæ q. 7. ar. 3. ad 5.) quam valdè temperata, & modesta fuerit censura Innocentij contrà non vnum, aut alterum incidenter articulum impugnantes, sed totam plerumque de more labefactantes S. Thomæ doctrinam, hos, inquam, non in fide, sed *veritate*, non conuictos, sed *suspectos* esse pronuncians? Cur tandem ex eo dumtaxat, quod præsuppositus Innocentij sermo, *Ecce plusquam Salomon hic*, sub nomine Innocentij V. non sit repertus hucusque, præfidenter adeò velut è Cathedra pro potestate sibi arrogata pronunciat, *prorsus fictum* sermonem esse, cum tamen nec alij tres eiusdem Innocentij V. sermones hactenus inuenti sint, quos tamen habuisse coram integro Lugdunensi Concilio, & præscripsisse per consequens, ex eiusdem Concilij actis concors omnium, & constantissima sententia sit?

Fermè putaram hucusque præexpensa sufficere pro facto, tectoque seruando prædicto Innocentij elogio, aduersus irritos (vt vidimus) atque proscriptos Romæ, Aluæ simul ac Pozæ conatus. Verum ne cæterorum nostrorum videar deserere (obiectionum metu) sententiam, qui idem Elogium Innocentio VI. frequentius adscribunt, placet hic rursùs assumere demonstrandum, quod proposuimus, scilicet vltro nullo modo concludi ab aduersis auctorem eiusdem Elogij non fuisse Innocentium hoc nomine Sextum, nullo, inquam, modo id ab Alua, vel Poza concludi, vel eo præcipuo (si non vnico) argumento producto, quod Innocentius Sextus nullos legatur scripsisse sermones, aut multò minus hic sermo repertus sit. Quæro enim ab Alua, an pro tam certo supponat Innocentium Sextum nullos habuisse sermones, vel quia ex ignorantia id non potuerit, vel quia aliunde noluerit illos habere sermones? Et primum

Digitized by Google

mum quidem admittet nemo, qui leget in vita antiqua eiusdem Innocentij Sexti manuscripta existente in Vaticano (quam laudat Odericus Rainaldus ad annum 1352)hunc Innocentium Sextum *In Tolosa à principio studuisse &c. iudicemque maiorem Senescbalia Tolosana fuisse, abinde vero promotum ad Ecclesiam Neucensem, & de ea ad Claramontensem &c, Viros insuper litteratos fouisse eisque benefecisse*; quo stante rursus secundum etiam, quod proponebatur, excluditur; quis enim credat doctum, vt vidimus, hominem, suo, cui tenebatur, muneri deficere voluisse, aliquos scilicet habendi sermones? cum ex Concilio Carthaginensi Quarto Canone 20, & Remensi Ca:14. in Capite, *Episcopus nullam rei &c.* 88. distinc. *prædicationis munus Episcoporum proprium sit*, quemadmodum etiam iterum Tridentinum sess. 24. cap. 4, & sess. 5. cap. 2. cum Concilio 11. Toletano cap. 3. repetit decernendo, *omnes Episcopos Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiasticos Prælatos teneri per seipsos, si possint &c. ad prædicandum Sanctum Iesu Christi Euangelium*, si possint, inquam, vti hunc iam *potuisse* præmisimus. Et tamen præfidenter adeò Alua decernendo negabit (cum alij quidam ad summum taceant, & nullus neget) & negando decernet hunc ipsum, etsi antea etiam Episcopatu multiplici functum, nullum vnquam voluisse habere sermonem? Non ita sanè (vt nostros, etsi quamplures, veteresque dimittam) Non ita Antonius ille Posseuinus nobilis Scriptor è Societate, qui lib. 2. Bibliothecæ folio 101. de Innocentio VI. sic habet: *fertur aliquos scripsisse sermones*. Non ita Nomenclator in verbo, *Innocentius Sextus*, qui attestatur id ipsum. Non ita ille Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo Carmelita in sua Bibliotheca Pontificia, qui commemorat editos *ab eodem Innocentio Sexto sermones*: Et de hoc sermone nominatim in laudem S. Thomæ incipiente: *Ecce plusquam Salomon hic*, idem Alua fatetur in hoc eodẽ nodo 4. pag. 333. eã relatam approbationem doctrinæ S. Thomæ, *se legisse in sexaginta quinque auctoribus diuersis*. Cur ergo dumtaxat, quia Autographum sermonis huiusmodi, vel forsan perijt nostrorum incuria, iniuria temporum, aut æmulorum, vel saltem amplius non reperitur hucusque, hac de causa tantum eundem sermonem reprobare Alua non desinit, non erubescit? Non erubescit, inquam, etiamsi ipsum vel Pozam *non attulisse vel vnum, qui asserat illum sermonem non esse Innocentij, argumento sit* (vt rectè loquitur Xantes noster Mariales in Prolegomeno ad prim. p.) *argumento vtique sit totius Orbis consensum esse, quod eiusdem Innocentij fuerit*. Videat igitur, quæso, vel saltem Alua, quot soleant fragmenta librorum Aristotelis, Ciceronis, Senecæ, Plutarchi, Taciti, Galeni, ac cæterorum huiusmodi in posterorum successiue Scriptorum Operibus recenseri (vt nominatim signatis auctoribus, ac locis, in prædictorum veterum præfatione Voluminum obseruatur) quorum tamen fragmentorum libros non reperiri amplius, sed perijsse, supponitur. Videat quot præter extantia volumina, ne dum prophanorum, sed vltro Sanctorum Patrum (quæ periere, vel latent) apud edentes Scriptorum Cathalogos Opera laudata legantur, vt in Suida, Trithemio, Sixto Senensi, Posseuino, Bellarmino, & huiusmodi, quæ tamen exinde negare, quia modo non extant, imprudentiæ profecto aut impudentiæ communiter adscriberetur. Videat tandem ad minùs duos è Societate (qui satis erunt) Mendozam adnotatione 2. procemiali in quatuor libros Regum sect. 3. num. 52. & Bomfrerium in Prologuijs ad Pentatheucum sect. 9. cap. 6. & videbit

videbit ibidem ex testimonio Sanctorum Patrum, ac plurium aliorum Commentatorum, aliquos etiam in Canonica scriptura libros agnosci, seù memorari, quos tamen perijsse, seù non reperiri amplius experimento conuincitur, & extitisse hoc non obstante à nullo catholico, credente de fide scripturam, dubitari queit.

Ad primum igitur sustinendo hypothesim de Innocentio V. iam vidimus, quam verisimile fuerit hunc Innocentium V, etiam antequam S. Thomas paulo ante defunctus Apostolicæ Sedis calculo inter cælites refereretur, dum ipse Innocentius Concilio Lugdunensi tamquam Cardinalis Hostiensis interesset, ac simul Capitulo generali Ordinis præsideret, deuinctus eidem Angelico, tum instituto religionis, tum doctrinæ consensu, tum beneficiorum vinculo, similem pro S. Thoma habuisse sermonem, qualem pro Diu. Bonauentura defuncto similiter licet extranei instituti habuisse compertum est. Id vero deinde non prohibet Elogium sub Innocentij V. Pontificis nomine recenseri, tum quia fortasse, vt præmisimus, idem Innocentius propè suæ vitæ finem, omnium librorum S. Thomæ Epitomen complens, sermonem etiam, quem antea habuerat, eidem compendio in auctoris laudem inseruisse refertur, tum quia (si hæsitetur in hoc) & commentarij, quos edidit in sententiarum libros, antequam supremam sedem ascenderet, sub Innocentij V. Pontificis nomine hoc non obstante denuò impressi leguntur, non dissimiliter ac Adriani volumina, Innocentij Tertij, & huiusmodi plurium, etsi conscripta ab ijsdem, dum in minoribus essent, sub Pontificio eorundem nomine, hoc non obstante, communiter referuntur.

Ad secundum iam rationem discriminis dedimus, cur sermo habitus ab eodem Innocentio V, (dum esset Cardinalis Hostiensis) in D. Bonauenturæ funere in Concilij Lugdunensis actibus memoretur, non sic verò hic alter sermo, quem in laudem S. Thomæ defuncti in itinere ad idem Concilium habuisse supponitur, quia nimirum ille coram Concilio, & intrà Concilium ab eodem pronunciatus est, iste vero non sic, sed in Capitulo potius generali Ordinis, cui eodem tempore ex designatione eiusdem Concilij, ac Pontificis præsidebat, etsi confluxisse plerosque Concilij Patres haud inuerisimile reputetur, quemadmodum etiam in Oratione Tridenti habita in Ecclesia Ordinis nostri in festo S. Thomæ coram Concilij Patribus ab Oratore eiusdem Concilij Tridentini contigisse compertum est; confluxisse, inquam, similiter plerosque Lugdunensis Concilij Patres, dum sermo prædictus pro tam egregio Doctore, à tam eximio Cardinali postmodum electo Pontifice haberetur, non inuerisimile reputatur; cum alioquin hunc Innocentium *nullos scripsisse sermones* (vt solus Alua nunc loquitur) non solum ex dictis, sed aliunde sit manifestæ falsitatis conuictum, ex eiusdem Lugdunensis Concilij actis, in quibus tres saltem ab eodem Innocentio tunc Cardinali Hostiensi sermones habiti, & præscripti per consequens, laudati leguntur.

Ad tertium, nisi quis credat adiectum titulum *Sancti* in eo reperto sermone sub themate, *ecce plusquam Salomon hic*, inter sermones Clementis VI. incuria librariorum immixto, simul corundem vel transcriptorum arbitratu post San. Thomæ Apotheosim adiunctum esse (nisi inquam id permittatur) admittam ego alterum esse, distinctum à reperto illo, veteriorem sermonem, qui Innocentio

centio

centio V. tribuitur, etsi vterque eodem illo themate exordiretur, *Ecce plusquam Salomon hic*, tanquam non prostent, non dicam recentiorum tot sæpè in vnius eiusdemque Sancti Panegerim exornatoriæ conciones, etsi deinde in dicendorum progressu dissimiles, verum etiam Sanctorum Patrum Homiliæ in Epigraphe eiusdem loci Scripturæ consimiles, in orationis porro cumpagine discrepantes. At ex eo deinde negare hunc alium veteriorem Innocentij Sermonē, quia alter ille recentior dumtaxat hucusque repertus sit, imperiti profectò hominis aut imprudentis id esse manifeste iam vidimus, ex tot mox ante relatis cæterorum, vel pereuntium, vel delitescentium adhuc librorum exemplis, quibus vltrò in præsenti dimissis præsentanea rursus in re, de qua agimus, de San. Thomæ laude experimenta succurrunt; nempè ex Chronico vetustissimo Ordinis scripto per Iacobum de Susato ad annum 1416. (quo Scriptor senex obijsse supponitur, atque vixisse per consequens paulo post annum 1323. quo S. Thomas Sanctorum albo adscriptus est) ex hoc, inquam, tam veteri Codice, & ocularis fermè contestis testimonio conuincitur, & ibi legitur adhuc impressum simul cum Constitutionibus Ordinis pag. mihi 158. *In die Canonizationis S. Thomæ prædicasse primo Dominum Papam Ioannem XXII. in Palatio suo sumpto themate. Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum. Et in eo mirabiles commendationes dixisse, tam de Ordine, quam de Sancto*, & post recitata ibidem Elogia Ordinis, *Addidit etiam*, inquit, *quod nullus haberet pro malo, quod iste gloriosus Doctor post Apostolos, & Doctores primos plus illuminauit Ecclesiam Dei*, & post enumeratos alios, qui successiuè orauerunt, inter quos *Rex Siciliæ*, duo Archiepiscopi, & Episcopi tres. *Postea*, subdit, *Dominus Papa 15. Kalendas Augusti in festo S. Alexij cantauit Missam, & iterum sermonem habuit de eodem*, scilicet Sanct. Thoma, *sumpto themate, Magnus es tu, & faciens mirabilia*. Hæc ibi agnita etiam ab Accademia Salmantina in sua Apologia pro iuramento ar. I. §. 9. propè finem, vt videas quanta immo veteres nostri deploranda incuria peccarint omittentes huiusmodi conseruare sermones, vel ex solo themate dignoscendos (vt ad nos posteros deuenirent) in approbationem doctrinæ Angelicæ, non ab alio, quam à Pontifice, non priuatim, sed publicè è suo Pontificio suggestu, assidente, de more, sacro Purpuratorum cœtu, non alibi, quam in Apostolica Vrbis Sede, Orbisque capite pronunciatos. Et posteà nostri hi erunt (si Aluæ fides, quam toties prodidit, habenda foret) qui præ elogiorum inopia pro S. Thoma velut ignoto elogia aliqua vel minora prædictis in conspectu Ecclesiæ in Orbis facie impudenter, ac temerè confixerunt?

Ad quartum nihilominus ostendimus etiam ab Innocentio VI. aliquos prodijsse sermones, quos, & si quidam tacent, nullus tamen hucusque, qui aperte id neget, ab Alua relatus est, nam *si inuenisset*, vt Basilius aiebat lib. I. in Eunomium, *Si nuncupare aliquos potuisset, dixisset profectò & exclamasset*, & tamen citasse neminem eundem legenti manifestum cuilibet erit: An forte, vt pergit libro 2. Basilius, *sufficere putas pro omni probatione, quod ipse dixeris, ideo magna cum licentia, quasi lege sancis quodcumque volueris*, minoremve præ te vno dumtaxat fidem habituros esse præsumis *sexaginta quinque scriptores*, quos de sermone ab eodem edito Innocentio testatos esse pag. 333. confiteris? præter eos, quos nominatim adduximus adtestantes vniuersim *sermones aliquos editos ab Innocentio VI. fuisse*, speciatim verò sermonem in laudem S. Thomæ ab Innocentio VI. habitum

habitum esse confirmat (præter adducta ante) quod, ne dum, vt vidimus, Ioannem XXII. post canonizationem S. Thomæ anno 1323 non semel sed bis publicam de eodem concionem habuisse probauimus, verum & alter Pontifex intermedius inter eundem Ioannem XXII. ac Innocentium VI, nempe Clemens VI. (vt ipse Alua fatetur) Pontifex electus ab anno 1342. in laudem eiusdem S. Thomæ sermonem edidit inchoantem (si Aluæ credimus pagina 347) *docebat eos de regno Dei*, verius assumpto hoc themate, *vir Dei es tu, & verbum Domini verum est in ore tuo. 4. Regum cap. 3.* vt testatur Lambertus de Monte in præfatione expositionis in libros de anima, quemadmodum nec Alua inficiatur pag. 341, non obstante quod, eodem Alua fatente pag. 345, *nullus nomenclator, nec sub nomine priuato Petri Rogerij, nec sub nomina Clementis de sermonibus vllam faciat mentionem*, neque ex consequenti mirum est (vti tot veteres attestati sunt) Innocentium VI. deinde succedentem eidem Clementi Sexto, ab anno 1352, simili modo ac egerant prædecessores, de S. Thoma relato inter Sanctos eodem sæculo laudatum toties habuisse (vt intendimus) vel edidisse sermonem.

Ad quintum tandem, non minus Alua in quæstione sequenti oppositurus est, vt videbimus, aduersus Bullam Vrbani V. nostrorum quosdam nuncupauisse Vrbanum indeterminatè, alios Vrbanum VI. & alios V. retulisse, & tamen hac non obstãte consimili varietate scriptorum, vel potius typographorum, constabit ibidem Bullam Vrbani V. certissimam esse; ita non mirum & hic (pro defenso hucusque sermone) quosdam Innocentium V. quosdam vero eiusdem nominis Sextum recensuisse, vel quia veteres prius velut de re tunc nota scribentes Innocentium absolutè in sermone (qui notus erat & à quo Innocentio prodijsset) solummodo retulerunt, indeque posterorum aliqui pauci (quibus prædecessorum relationi inhærentibus res minus distincta fuit) de Innocentio V, vel VI. coniectantes, adinuicem discrepare cœperunt, tum quia præsertim vterq; Innocentius, scilicet Petrus à Tarantasia, vt supra vidimus, & Sextus iste (vt Odericus aduertit ad annum 1352) Cardinalis antea vterque Hostiensis nuncupabatur, tum quia hac non obstante varietate numeri adiuncti ad Innocentium, conueniunt omnes in Innocentio, & sufficiebat conuenire in eo, quod à Pontifice sermo emanauisset, vt in simili omnino notatur l. qui sententiam, vbi Baldus capite de penno, in l. dom. proferre §. pluries §. de arbit. & Oldr. & Bald. in l. 1. c. si vnus ex pluri. appell. tum quia & falso aliquos citari ab Alua pro augenda varietate non dubito, cum videam in eodem, pag. 344 recenseri Galuanium nostrum tanquam hoc attribuentem elogium Gregorio X. cum tamen (vt legenti constabit) Galuanius solum opinetur, quod & ipsi permisimus, habitum hunc sermonem fuisse à Cardinali Hostiensi (qui fuit postea Innocentius V.) in Lugdunensi Concilio, quod sub Gregorio X. celebrabatur; tum quia librariorum incuria, vel tran scriptorum, facilime potuit addita vel mutata vna litterula idem Innocentij nomen transferri de V. in VI. eaue dempta de VI. in V, quemadmodum posse de facili cõtingere constat, idq; non semel in nominibus etiam in sacra pagina recitatis euenisse conqueritur Augustinus libro 3. de consensu Euangelistarum cap. 7. exinde soluens propositam potius quam resolutam difficultatem à Hieronymo Epistola 101. de Hieremia citato in Euangelio Matthæi cap. 27. loco Zachariæ, vt debuisse

citari

citari Hieronymo videbatur, idemque de alijs scripturę locis aduertit & glossa ordinaria in caput 1. Matthæi ad illa verba, *Salatiel genuit &c.* Nec tamen propterea ex consimili dumtaxat varietate, in referendo, eorum veritas, quæ referuntur, deneganda est. Immo (vt concludam ac interrogatus fortasse respondeam, cur non decernens de vno, pro alterutro Innocentio pugnarim) in hac multiplicitate Innocentij, Thomistarum Scholæ sufficiet, siue ab Innocentio V, siue à Sexto prodierit, hoc elogium à Pontifice prodijsse, vt in simili aiebat Tacitus libro 4. historiæ in persona Ducis Romanorum ad Romanos milites fluctuantes, *quod siue à Vespesiano, siue à Vitelio datum interpretari mauultis, ab Imperatore certè Romano accepistis*, & si rursus de laudato Sancto Thoma ab vtroque Innocentio, simul ex dictis hucusque, prudenti viro, & ingenuo, non congruat amplius dubitare.

ARTICVLVS II.

An de falsi nota in elogio prædicto nostri homines accusari queant.

Videtur eidem Aluæ affirmancum in eodem nodo 4. §. 1. cui titulus est *approbationem Innocentij prorsus fictam esse*. Et primo probat pag. 332. quia *primum vnicum, & fontale principium huius approbationis Innocentij fuit Vincentius Bandellus de Castronouo Ordinis Prædicatorum, qui occultando proprium nomē &c. edidit tractatum contra Immaculatam Conceptionem anno 1475, sumpta occasione ex quibusdam disputationibus habitis cum aliquibus Patribus Seruitarum, & Ordinis Minorum Ferrariæ &c. & inter alia post alias approbationes via tertia ratione 11. finxit alteram hanc cuiusdam Innocentij approbationem in Sermone de B. Thoma, qui incipit, plusquam Salomon hic &c.* hunc autem, subdit, *incognitum anonymum, postea cognitum Bandellum, finxisse*, quod retulit, non mirum, *quia in alijs suis libris* sub nomine Bandelli editis, *nullam penitus veritatem obseruat, vel in toto, vel in parte*, vt se probaturum esse promittit Alua alibi, nimirum *in radijs Solis veritatis*. Iam igitur in hoc elogio de falsarij nota nostri potuerunt accusari.

Secundo, vt pagina antecedenti & subsequenti repetit, quia Montesonus antea anno 1387 in acerrima illa controuersia cum Parisiensibus habita, conquisitis vndique in suæ doctrinæ defensionem omnibus, quas inuenire poterat doctrinæ S. Thomæ approbationes, nonnisi illas duas Stephani Parisiensis & Vrbani V. produxit, istius vero Innocentij nuspiam meminit, vti nec ab eius tempore vsque ad Bandellum alij meminerunt, scilicet neque Girardus Renerius, neque D. Antoninus (vt vrget Alua pag. 331) neque Ioannes de Montenigro, neque Ioannes de Turrecremata, neque Raphael de Pornasio, singuli Ordinis Prædicatorum (vt repetit pag. 343) scribentes inter medio tempore à Montesono vsque à Bandellum; Signum igitur euidens est à Bandello primitus hoc elogium effictum esse, ac inde posteros vel deceptos fuisse ab isto, vel alios decipere voluisse, quorum nullum Bandello antiquiorem potuit inuenire vel noster Gondinsalvus de Ariaga in suo opere Hispanice scripto de S. Thoma, etsi p. 2. cap. 5. per totum conatus sit omnes, quos potuit, pro eodem *Innocentij* elogio congerere, vt idem Alua pag. 333 de hoc velut victor exultat.

Tertio, quia pro superanda hac eadem difficultate (de elogio confícto)

non solum Salmanticenses in Apologia pro iuramento Salmantino articulo primo §. 3. producto pro eodem elogio in testem Lamberto de Monte, in libro impresso Coloniæ 1490, addiderunt *Lambertum eadem Innocentij verba ex suo originali desumpsisse*, verum etiam Ioannes de S. Thoma disp. 1. proœmiali de approbatione doctrinæ S. Thomæ ar. 2. vltro subiunxit, *fateturque Lambertus &c. ea verba ex suo autographo scripsisse*, idemque habet Gondinsalvus de Ariaga cap. 5. citato §. 2; & repetit Xantes Mariales in prologomenis ad primam partem dicẽs, *addit Lambertus se illud elogium deprompsisse verbatim ex suo originali*. Sed hoc esse penitus falsum probare Alua contendit à pag. 338 vsque ad 341. non solum quia nullus alter auctor scripsit, *Lambertum dicere se hoc elogium ex Originali desumpsisse*, verum etiam quia peruestigatis ab ipso Alua in ipsa eadem Ciuitate Coloniæ Agripinę singulis Bibliothecis, inuentisque quatuor diuersis successiuè editionibus librorum eiusdem Lamberti, postrema scilicet anni 1516, altera 1502, altera 1494 (quam nostri citant) & anteriore adhuc altera (si ipsi credimus) 1485, *ex his*, inquit, *quatuor impressionibus inueni quindecim exemplaria, quorum decem nec habebant verba seu auctoritatem Innocentij &c. in alijs quinque extabant modo relato, sed in nullo dicitur, quod viderit verba in suo originali vel extraxerit ex autographo verbatim &c.* falsitatis igitur saltem in referendo nostri tres recentiores conuicti sunt.

Quartò, quia hæc controuersia de elogio hoc communiter recitato ex sermone de S. Thoma incipiente, *Ecce plusquam Salomon hic*, dirimi melius non poterat, quam inueniendo ac inspiciendo sermonem originalem in laudem S. Thomæ, sic incipientem, vt constat. At hic tandem inuentus est ab eodem Alua (vt idem Alua gloriatur à pag. 347) tum in Bibliotheca manuscripta Fuquetana Parisijs (quæ antea fuerat Domini Caroli de Moncal Archiepiscopi Tolosæ) tum in Monasterio Marquianensi Ordinis S. Benedicti apud Duacum in Belgio, insertus volumini aliorum sermonum Manuscriptorum sub nomine Clementis VI, atque appositè hic sermo, post alterum eiusdem auctoris in eodem volumine similiter pro S. Thoma incipientem, *docebat eos de regno Dei*, hic, inquam, posterior sermo appositè inscriptus est in laudem S. Thomæ de Aquino, & incipit, *ecce plusquam Salomon hic*. Ergo (vt concludit pagina 348) signum est anonymum istum Bandellum, *vt non repeteret toties eundem Clementem VI. in auctoritatem pro approbatione doctrinæ S. Thomæ*, antea nominatum ab ipso, *mutauisse nomen Clementis Papæ in nomen Innocentij Papæ, vt supra dixi*, scilicet pag. 346, & ex isto sermone Clementis VI. (in quo nec vere hoc elogium reperitur, vt postmodum subdit) consacinasse hoc fictum elogium Innocentij, illo eodem titulo, scilicet *in sermone de S. Thoma, qui incipit ecce plusquam Salomon*. Sic ille apud se fabellam integram, lepide fateor, architectatur ac fingit.

Quintò, vt pergit pag. 350. & sine vllo teste supponit, *sermonem istum non prædicauit Petrus Rogerius, cum esset summus Pontifex Clemens VI. circa annum 1342, sed cum esset Doctor Parisiensis post annum 1323, & post canonizationem San. Thomæ Aquinatis &c. & cum à iuventute sua fuisset nutritus in Vniuersitate Parisiensi, non ignorabat doctrinam S. Thomæ in toto, vel in parte fuisse interdictam vsque ad annum 1324, ideoque prudentissime protulit illa verba. Audacter dico, quod iste præcessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum, immo & post eum in Vniuersitate ista Parisiensi &c.*

&c. Perperam igitur & falso iterum sermo prolatus à priuato Doctore Parisiensi (licet postea fuerit Pontifex Clemens VI.) à nostris adducitur velut habitus, ne dum à Doctore altero, sed ab Innocentio summo Pontifice.

Sextò, vt inde ostendat neque in hoc eodem inuento sermone (vt ipse supponit Petri Rogerij Ordinis S. Benedicti, qui postea Clemens fuit) extare vllo pacto prætacitatum elogium, pagina 349, recitato præcipuo (si Aluæ credimus) fragmento sermonis eiusdem (quem doleo non integrum à me hactenus haberi vel inspici potuisse) ideo pag. 353. sic Alua discutrit: quia in hoc sermone supposito Clementi VI. de doctrina S. Thomæ sic dicitur, *est vera sine contagio falsitatis, clara sine tedio obscuritatis, fructuosa sine vitio curiositatis, copiosa ambitu generalitatis,* vbi auctor loquitur *absolutè & sobriè*. At vero illi, qui exinde fingere cogitabant elogiũ Innocentij, *comparatiuè*, sic immutarunt apud Libertum de Monte, & apud Franciscum Syluium Oratione secunda pro S. Thoma: *est cæterorum Doctorum, & Magistrorum verior sine contagio falsitatis, clarior sine tedio obscuritatis, vtilior sine vitio curiositatis, latior ambitu generalitatis*, vt inde postea ex ista sic mutata periodo Clementis VI. pararent aditum ad illa alia verba Innocentij, *præ cæteris &c. habet proprietatem verborum &c.* Ergo iam constat adhuc eosdem adulterasse sententiam.

Septimò, quia suppositus Clemens VI. ad summum in altero priori sermone incipiente, *docebat eos de regno Dei*, in laudem doctrinæ S. Thomæ solum aiebat, *videtur quod doctrina istius Sancti ostendatur esse vera supra omnes doctrinas Doctorũ modernorum ex duobus &c. nesciuit enim æmulationis & falsitatis ac vanitatis vitium,* & in hoc altero posteriori sermone incipiente, *plusquam Salomon hic*, quãdo auctor comparatiuè loquitur, hęc solum habet: *audacter dico quod iste præcessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum & post eum in Vniuersitate ista Parisiensi.* At vero qui finxit elogium Innocentij (vt inquit Alua pag. 351.) *comparationem extendit ad omnes Ecclesiæ Doctores*, illis verbis, *præ cæteris excepta canonica &c.* imo ex his verbis perperam postea deduxit Ignatius Galuanius noster tomo 1. discursu 4, *in doctrina S. Thomæ certitudinem contineri, qua maior citra scripturæ certitudinem esse non possit*, non minus ac Mariales id habet, quemadmodum vehementer Alua causatur, & damnat pagina 365. vndequaque igitur constat nostros haud posse in dicto elogio à falsarij nota liberari & absolui.

Octauò tandem, vt arguit idem pag. 352, quia licet penultima verba elogij Innocentij scilicet, *vt qui eamsequutus fuerit nunquam inueniatur à veritatis tramite deuiasse*, fabricata quodamodo dici possint ex illis extantibus verbis in posteriori sermone Clementis VI, *ipsam certè doctrinam*, S. Thomæ, *sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsi stuaens ad veritatem peruenis*, postrema tamen ea verba eiusdem elogij Innocentij, *& qui eam impugnauerit semper fuerit de veritate suspectus*, penitus ficta, *& apposita fuisse propter doctrinam Scoti non est dubitandũ*, inquit pag. 357. quid igitur vltro remanet nisi vt nostri in consarcinando, vel assuendo, hoc Innocentij elogio ex oratione Clementis, adhuc de falsitate non immerito valeant accusari?

In oppositum tamen est quod alter summus Pontifex, Cęlitum albo Apostolicæ sedis calculo nuper adscriptus, scilicet B. Pius V, suo Pontificio mandato præcepit Magistro tunc Generali Ordinis, postea Cardinali Iustiniano vna

cum sacri Apostolici Palatij Magistro accuratissimè præsidere recudendis denuo S. Thomæ operibus simul cum eorundem indice, qui aurea tabula nuncupatur, & postquam ex integro eadem impressa conspexit secretis etiam characteribus, quæ dubia remanebant, excusis, & consequenter ibidem in fronte appositum hoc idem Innocentij elogium (vti & ab anno ad minus 1475 in limine legebatur impressum) istud, inquam, per consequens primo intuitu inspexisse Pontificem amplius dubitari non potest. Et tamen continuo in Breui expedito 18. Kalendas Decembris Pontificatus sui anno quinto incipiente *motu proprio*, manuque Pontificis subscripto *motu proprio placet M*, *omnia* illa impressa commendauit (vt Breue ibidem impressum loquitur immediate ante elogium hoc) *maximis diligentia & studio accuratè reuisa atque erroribus expurgata, & emendata in commune bonum & Christianæ Religionis augmentum & vtilitatem, nec sine maximo prædictorum labore &c, quorum etiam labori dictique ordinis honori in præmissis opportune consulere se cupere motu simili ex certis scientia & voluntate* sua sanctitas profitebatur. Quis ergo dicat Sanctissimum æque ac solertissimum summum Pontificem fuisse ideo editionis tempore permissurum, ne dieam postmodum suismet laudibus approbaturum, si in tam obuia è vestigio eorundem librorum epigraphe tam vestigata ab æmulis falsitas, vel falsitatis species, in eodem tam male accepto ab eisdem elogio timeri vel suspici saltem cum totius adeo operosæ editionis dedecore potuissent. non igitur sanè de eiusdem falsitate elogij, seu de imputata in hoc falsitate Thomistis suspicioni locus, seu accusationi saltem relictus amplius ingenuorum iudicio censendus est.

Respondeo haudquaquam posse (vel nonnisi iniustè valere) in prædicto elogio de falsitatis nota, siue ab Alua (cuius libri proscripti sunt) siuè à Poza similiter prædamnato, nostros homines accusari. Et primo, vt incipiam à primo vellicato præ cæteris, velut posterorum omnium in hac re antesignano, Magistro Bandello (qui præter alia quamplura, & præclara eiusdem merita, tum vitæ probitate, tum excellentia doctrinæ laudata nominatim à Plodio, Leandro Alberto, & huiusmodi pluribus apud Altamuram, anno etiam 1501 in Capitulo Generali Romæ concordi consensu *nemine discrepante* in Magistrũ Generalem Ordinis electus fuit) vt de hoc, inquam, conuincatur falsitatis Alua pronuncians ab hoc eodem in libro Anonymo (quem ipsi solus attribuit) *primo, vnicè, & fontaliter* prodijsse huius elogij commentum, profero in primis Capreolum, qui ne dum ex Ordinis chronico, verum & ex Trithemio *florebat ad annum* 1415. sexaginta per consequens annos antequam liber ille Anonymus ad annum 1475 appareret, & tamen hic ipse in 2. dist. 2. q. 1. art. 3. ad primum Gregorij sic habet: *Ecclesia Romana fecit examinari doctrinam S. Thomæ ante eius Canonizationem, cumque repertum fuerit, quod illa nihil continebat contra fidem aut bonos mores, fuit solemniter approbata per multos summos Pontifices, puta Ioannem XXII, Vrbanum V. & multos alios:* nunc quæro de quibus alijs Pontificibus, præter Ioannem XXII, & Vrbanum V, Capreolus tunc intelligere potuisset, nisi de Innocentio præter Clementem VI. qui duo soli à nostris pro eo tempore adiungi solent, nec alios illius ætatis vel Alua cognoscit approbantes San. Thomæ doctrinam? necessario igitur etiam à Capreolo tunc hoc Innocentij elogium agnitum erat, etsi, cur non ita distinctè sicut approbationes Vrbani V, & Ioannis XXII, hunc nominauerit, ad argumenta dicemus. Produco vlterius

terius Iacobum Ægidium Sacri Palatij Magistrum, qui de mādato Calixti III. composuit officium transfigurationis, quod modo canitur, quique ex Plodio p. 2. lib. 3. fol. 27. floruit, ac scripsit anno 1447; & tamen hic ipse in Opere de Veritate Conceptionis impresso Mediolani sic habet: *Innocentius Papa in sermone Beati Thomae, qui incipit, ecce plusquam Salomon hic, ita dicit: huius Doctoris sapientia prae caeteris habet &c.* Longè igitur ante annum 1475, quo Anonymi liber editus est, iam hæc approbatio Innocentij referebatur. Addo Gabrielem Barleten, qui ex eodem Plodio p. 2. libro 3. fol. 61. iam editis libris claruerat ad annum 1471, & hic ipse in sermone de D. Thoma (vti nunc legitur) eodem modo transcribit ex Innocentij sermone eandem S. Thomæ laudem; falsum igitur solum ad annum 1475. ab Anonymo prolatam esse. Profero rursus Petrum Bergomensem, qui fuit præceptor eiusdem Bandelli, ex Chronico Ordinis, & consequenter longè antè editos à Bandello libros suam tabulam scripserat, & tamen in hac ipsa tabula hoc elogium inseruerat *sub nomine Innocentij*, vt ipse Alua fatetur pag. 343, ergo & fateatur necesse est ante Anonymum suppositum ab Alua Bandellum illud elogium innotuisse. Prætereà, vt idem Alua concedit eadem pag. 343, Pater Vincentius Dodi Doctor Parisiensis suam Apologiam aduersus Samuelem de Cassinis Minoritam *scripsit ad annum* 1470. At hic ipse Vincentius Dodi in eadem Apologia expresse recenset idem Innocentij elogium, & ex proposito vrget in aduersarium, vt sui immemor idē Alua fatetur nodo 1. §. 1. pag. 85. iterum igitur ante annum 1475. ab alio præterquam à Bandello incognito elogium istud propositum est. Vlterius eodem nodo 1. pag. 81. idem Alua testatur, *ex primis fuisse Patrem Damianum Ordinis Praedicatorum Doctorem Parisiensem, & Tycinensis Accademiae Alumnum, qui in publicis Thesibus protulit id, scilicet approbationem Innocentij*, postea à Vincentio Dodi defensus: quomodo ergo Bandellus fuit *primum, vnicum, & fontale principium* approbationis eiusdem? insuper Alua funiculo 3. pag. 60. hæc habet. *Quando anno 1478. tempore Sixti IV. summi Pontificis fuerunt in partibus Lombardiae introducta illa magna disputationes Ferrariae coram Duce Hercule Estensi, & Immola, (ut constat ex libris Vincentij Bandelli, & Leandri Alberti &c.) prodierunt in Orbis theatrum illa dua approbationes de nouo, scilicet illa Innocentij Papae, & altera Vniuersitatis Parisiensis*, nempe præter anteriorem Stephani Parisiensis allatam anteà à Montesono. Quomodo igitur hæc simul stabunt cum antea citatis ex Alua? Quomodo sibimet palam non contradicit? Sed vnus pro omnibus ad repellendam à Bandello calumniam satis erat, nimirum Antonius Pizzamanus Patritius Venetus referens hoc idem elogium ex sermone, *ecce plusquam Salomon hic*, cui Pizzamano (inquit Wielmius Episcopus Argolicensis vnus ex Patribus Tridentini Concilij libro secundo de scriptis S. Thomæ) *cui*, inquā, *Pizzamano Patritio Veneto*, ait Wielmius, *habendam esse fidem semper existimaui*, hic vero (quod magni faciendum est, vt etiam Didacus Morales aduertit pag. 42. de laude S. Thomæ) in commendatione eiusdem Angelici impressa simul cum opusculis S. Thomæ Venetijs anno 1490. typis Hermanni Coloniensis, statim post Bullam canonizationis, & post recitatum officium, tum festi principalis, tum translationis eiusdem, exscribit integrum officium Missæ de eodē Sancto, ac in eius præfatio (vt vocant) tunc proprio, iam longè antiquius canonizato, trascribit & exhibet inserta eadem Innocentij verba, quæ in præsenti

senti discutimus. Quomodo ergo Bandellus, qui non solum fuit Magister Generalis Ordinis tantum ab anno 1501, verum etiam tam longè ante (cum cepit hæc laus haberi in officio Missæ) vix forsan erat habitu indutus Ordinis; quomodo, inquam, hic potuit *primum vnicum & fontale principium* fingi per Aluam, & adeo temere pronuntiari? hæc sanè tam splendida mendacia Aluæ conuincunt, vt vulgo dicitur, velut ab vngue leonem, ne Lupos dicam, à quibus *sub vestimentis ouium* cauendum esse, nos Dominus in Euangelio monebat.

Secundo igitur (vt de auctoritate seù veritate eiusdem elogij nunc videamus) vti auctores conueniunt ea, quæ in officio ecclesiastico de gestis singularibus vel dictis Sanctorum eorumve laudibus perleguntur (si vltro ex processu canonizationis non constent) non omnia aut singula certa esse, certum est tamen singula maiorem aliquam approbationem ex ecclesiastica huiusmodi publica propositione obtinere, adeo vt priuati hominis non sit absque magna ad minus imprudentia, vel audacia, eadem reprobare. Sed hæc ipsa Innocentij verba de S. Thomæ doctrina iam diu ferme à tempore translationis eiusdem in officio Ecclesiastico canebantur, scil. in præfatione Missæ de San. Thoma, & leguntur adhuc in lectionibus octauæ eiusdem. Ergo ad minus priuati non erit absque magna imprudentia, vel audacia, eadem reprobare, vt aduertit etiam Ignatius Galuanius libro 4. folio 566. sic vero antiquitus hæc lecta fuisse liquet in primis ex his, quæ, vt retulimus, Pizzamanus Patritius Venetus ex officio Missæ immediate post officium translationis S. Thomę exscribebat, quod translationis festum ab eodem tempore translationis incępisse, scilicet ab anno 1368, indicat tum auctor historiæ manuscriptæ in Vaticano inuitans, ab initio, ordinis Patres *ad festiue exultandū* pro eadem translatione, tum alter historiæ auctor ac translationis contestis ocularis Raymondus Hugenis laudans *magna tunc festa in ordine celebrata*, vt in sequenti quæstione referemus. Extat rursus Missale antiquum impressum ad annum 1524 vsque modo in Conuentu S. Mariæ super Mineruam Romæ seruatum, in quo eodem modo præfatio Missæ de S. Thoma se habebat, & præter quam quod Didacus Morales in laude S. Thomæ pag. 65. attestatur longe antiquioribus etiam S. Thomæ imaginibus impressis Neapoli eandem præfationem affixam legi, ipse nobis aduersus Alua fatetur nodo 14. §. 1, saltem *ab anno 1476, quo Sixtus IV. approbauit* (vt ipse dicit) *officium Leonardi de Nogarolis, alterum officium editum fuisse de S. Thoma &c. & cum isto officio Missam particularem & propriam S. Thomæ &c. in cuius præfatione extant hæc verba*, & transcripta integra præfatione (quam similiter exscribebat Pizzamanus) concludit Alua ibidem insertam fuisse *auctoritatem Innocentij Papæ*. Quid igitur vltro alijs testibus indigemus? Nec mirum postea successu temporum hanc prolixam nimis præfationem sponte à nostris omissam esse in recentioribus editionibus Missalium Ordinis, cum eadem ratione (vt notat idem Morales pag. 49) dimissæ similiter fuerint antiquæ prolixæ præfationes propriæ Sanctorum nostrorum, Dominici, Petri Martyris, Antonini, Vincentij, & Catharinæ Senensis, vt simul magis in huiusmodi præfationibus de communi canendis ipsi Missali Romano conformaremur, cum alioquin ex eadem præfatione antiquiori Missæ, idem Innocentij elogium translatum in lectiones octauæ S. Thomæ adhuc nostris temporibus in Ecclesia legatur. Quam vero exinde (vt præmittebamus ab initio

huiusce

huiusce secundæ probationis nostræ) approbationem obtinuerit elogium, hoc, audiendus in primis D. Hieronymus in Cathalogo Scriptorum de Ephrē Syro sic dicens, *ad tantam venit claritudinem, vt post lectionem scripturarum publicè in quibusdam Ecclesijs eius scripta legantur*; en quam eximiam inde approbationem eiusdem scripta assequuta esse supponat? Audiendus Gelasius Papa in Concilio Romano (vt habetur dist. 15. cap. Sancta Romana) qui prius de gestis Sanctorum, quæ adhuc in officio Ecclesiastico legi non permittebantur, aiebat, *Recipimus item gesta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confessionum tryumphis irradiant: quis enim ita esse Catholicorum dubitet? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui scripserunt, nomina ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur*; en de receptione dumtaxat generali Ecclesiæ loquens supponit spetialem fore approbationem maiorem receptura, si in Ecclesia, seu in officio Ecclesiastico eadem legi permissa fuissent. Inde hanc ipsam agnoscens ac laudans specialem approbationem in his, quæ ita re ipsa in officio Ecclesiastico, & si non in vniuersali Ecclesia, recitarentur, adiungit. *Ceterum qui libri in Ecclesiasticis officijs per anni circulum à nonnullis leguntur (quia ritum illum Apostolica non reprobat, sed sequitur Ecclesia) pro fidelium ædificatione adnotandum censuimus*, & recenset continuo quales eo tempore Lectiones, homiliæ, sermones aut collectæ recitarentur. Audiatur inde Concilium Toletanum 4. celebratum anno 633. cap. 12. decernens, *excommunicatione plectendos eos, qui hymnos reprobant pro eo, quod de scripturis Sanctorum Canonum, vel de apostolica traditione non existunt. Nam & illum hymnum*, inquir, *gloria in excelsis, reliquaque, quæ sequuntur, Ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in Ecclesijs canendi essent, qui in Sanctarum scripturarum libris non inueniuntur; componuntur, & Missæ siue praces, vel Orationes &c.* & plura ibidem pro auctoritate Ecclesiastici officij leguntur. Audiatur subinde Augustinus Epistola 105. hoc simili argumento vtens aduersus Pelagianos ac dicens; *non auderes dicere hæc in Ecclesia mendaciter geri*. Audiatur idem Augustinus Epistola 107 & Epistola 95 arguens à solis collectis, quæ in Ecclesiastico officio recitabantur, & libro de bono perseuerantiæ cap. 23. ab inconuenienti concludens, *alioquin*, inquit, *non veras sed perfunctorias orationes haberet Ecclesia, quod absit à nobis*, seu vt loquebatur antea Tertullianus in libro præscriptionum, *alium Dominum in Ecclesia dicerent, alium in Hospitio &c, cū immo ipsi Apostoli obseruarent in Epistolis suis, vt id ipsum vnum loquerentur omnes*, & fere repeti hic nobis posset, quod Varrone dicente aliter diuina cani theatraliter apud vulgum à Poetis, aliter agnosci à Theologis in Theologia ciuili, repeti, inquam, posset, quod reponebat idem Augustinus libro 6. de Ciuitate Dei cap. 5. & sequentibus, *nunquid barbatum Iouem & imberbem Mercurium Poetæ habent, Pontifices non habent?* ac demum horum omnium rationem à priori afferebat Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum cap. 4. scribens: *non potest religio à sapientia aut sapientia a religione separari, quia idem Deus & qui intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio subsequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere*, alioquin iterum, *ignoto Deo* obsequeremur, quemadmodum de Athenienfibus olim actorum 17 dicebatur. Vide quot adsint pro non spernendis ijs, quæ in officio Ecclesiastico perleguntur?

tur? quibus tamen non obstantibus adhuc (vt de instituto nostro dicamus) non ita intendimus elogium hoc certum esse, vt in superiori, quam debet, gradu teponatur, sed solum, vt eo modo, quo ab initio huius probationis præmittebamus, non ita de facili (sicut ab Alua fit) priuato cuilibet liceat absque magna saltem imprudentia, vel audacia in posterum reprobari.

Tertiò, quia percipiens Alua prædicta Ecclesiastica officia in laudē Sancti Thomæ (non reprobante, sed permittente Apostolica Sede) non paruam adhuc obtinere auctoritatem, maiorem tamen fuisse habitura, si speciali diplomate Ritualia nostra eadem complectentia approbata fuissent, ideo, vt nobis saltem hanc secundam viam præcluderet roborandi exinde auctoritatem elogij Innocentij, idem Alua nodo 14. §. 1. profitetur, *hæc officia*, vt ipse loquitur pagina 639, *nullo modo, nec ab aliquo summo Pontifice in particulari, quod est per se notum, imo nec etiam in communi approbata fuisse*, & eodem nodo §. 2. pagina 647, inquit, *officium speciale de S. Thoma recitatum à Patribus Prædicatoribus à nullo summo Pontifice fuit nec est approbatum in forma speciali aut communi, Deo sic permittente, quo vsque corrigantur illa superius signata de approbationibus Doctrinæ S. Thomæ, quæ à veritate sunt prorsus aliena.* Hæc ille præsidenter adeo de more, vt propterea nobis monstrandum maneat Ritualia Ordinis ac officia, in quibus habentur quæ præcitauimus, nec etiam approbante Pontificio diplomate caruisse. Et primo recolēdum est, quod mox ante indicabamus, antiquum scilicet officium translationis S. Thomæ paulo post celebrari cæpisse à translationis tempore saltem in Tolosana Prouincia, indeque in Ordine vniuerso, vt colligi potest (præter obseruata mox ex historia Raimondi Hugonis) tum ex Breuiario existente etiam in Choro nostro Brixiensi edito ad annum 1524 continente prædictum officium translationis proprium, & ab initio monēte *officium S. Antonini hic primo in Breuiario insertum esse*, ostendente per consequens (cum id non dicat de officio translationis San. Thomæ) antea idem translationis officium inseri consueuisse Breuiarijs, tum ex lectionibus eiusdem officij, quæ collatæ de verbo ad verbum conueniunt cum antiquissima illa historia translationis manuscripta existente in Vaticano relata à Bolando ad diem 7. Martij, tum ex hymnis indicantibus singula, quæ mox ante in translatione contigerant, scilicet de Vrbano V. iubente prius ad se deferri corpus &c. ac inde pergente hymno.

Thesaurum hunc, quem edidit Ordo S. Dominici,
Idem Vrbanus reddit Heliæ voto supplici,
Sol Solem cæli sequitur, dum Thomas ab Italia
Tibi Tolosa vehitur, quo decoratur Gallia.

& in altero hymno ad laudes de Bulla Vrbani tunc edita

Ad cuius lucis radium lustranda mittit dubia,
Ad Sancti Thomæ studium hortans Mater Ecclesia.

immo præfationem ipsam Missæ propriam S. Thomæ cum Alua concedat pagina 635. *fuisse dispositam, cum officio festi principalis San. Thomæ*, antiquiori sane tempore, quam fuerit officium translationis eiusdem, consequenter præcessisse etiam tempus translationis factæ, anno 1368, subinfertur, quando similiter canebantur præfationes propriæ Sanctorum Dominici, Petri Martyris, & huiusmodi; neque id S. Thomæ denegatum fuisse prudens aliquis iudicabit,

pro

pro quo post octo solum menses ab eius obitu tanquam *de vno Sancto Confessore* Missa incipiens, *Os iusti*, à Monacis Cassinensibus cantata fuerat, vt supra retulimus, & rursus in eadem præfatione *conflata*, vt loquitur Alua pag. 636, *ex diuersis auctoritatibus, & elogijs S. Thomæ hinc inde collectis*, nil indicatur de elogio vel Bulla Vrbani (vt fit postea in hymno translationis) significatur proinde præfationem illam cum officio principalis festi compositam non parum adhuc antecessisse annum 1368, quo postea translatio sequuta fuit. His adnotatis, inter primos occurrit in Bullario Ordinis Summus Pōtifex Nicolaus V. anno 1449 approbans, disponens, & ordinans, vt idem Pontifex loquitur, *antiquas ipsius ordinis consuetudines & regularia instituta*, & iterum anno 1454, confirmans, *& statuens*, vt ait, *salubres ipsius ordinis consuetudines & regularia instituta &c.* deinde Iulius III. anno 1552 (quo tempore sanè haud poterant consumpta esse Missalia edita, vt supra vidimus, anno 1524 præfationem propriā S. Thomæ habentia) cōfirmat rursus libros Chorales & Ritualia Ordinis, prohibetq; mutationem in ipsis, *nisi aliter*, inquit, *capitulo generali visum fuerit iuxta laudabiles consuetudines Ordinis*. Postea Clemens VIII. anno 1602 in Breui affixo tunc Breuiarijs editis post laudatam recognitionem librorum Choraliū, Missalium, Ritualium &c. *auctoritate Apostolica*, inquit, *perpetuo approbamus & confirmamus &c.* inde Vrbanus VIII. anno 1625, & Innocentius X. anno 1651 reiterantes Breue Clementis in fronte Breuiarij Ordinis successiuè impressi leguntur. Quomodo igitur non vidit Alua, non solum Missale Dominicanum iam continens præfationem propriam S. Thomæ (cui elogium Innocentij insertum erat) ante annum 1368 recusumque anno 1524 à Breuibus Nicolai V. editis anno 1449, & 1454, & à Iulio III. sub anno 1552. approbatum fuisse, verum etiam Breuiarium denuo (in quo legitur adhuc idem Innocentij elogium insertum lectionibus octauæ S. Thomæ non longè ab huius sæculi initio) approbationem similiter per repetita succedentium posteriorum Pontificum diplomata recepisse? quomodo, inquam, id Alua non vidit? Ego quidem iam videram (si quæ adduximus defuissent) fore adhuc nobis aduersus eundem Aluam abunde suffragaturum constans illud Iuristarum assertum: *quotiescumque ad validitatem actus requiritur Papæ confirmatio, ex diuturnitate temporis adfuisse probatur*; de quo videri potest Mascardus plures referens. Con. 416. n. 2. & 3. Gratian. similiter plures referens discept. Foren. tom. 5. cap. 893. num. 20. Sed istis nos nec contenti fuimus aduersus Aluam, nec indigemus, vt vidimus.

Quarto tamen data adhuc, & non concessa hac falsa hypothesi Aluæ, sic veluti à fortiori nobis nunc liceat argumentari. Officia antiqua Ecclesiastica, etsi non positiuè approbata, dummodo tamen tollerata & permissa ab Ecclesia, non contemnendam adhuc aliquam retinent auctoritatem, quemadmodū *de actis Sanctorum ab Ecclesia tolleratis*, tradit Episcopus Albertinus de agnoscendis propr. Catholic. & Hæretic. q. 5. num. 8, & *Sanctorum legendas fidem facere*, aiebat glossa in 5. *hac autem tria, V. Regis Vrbibus*, in procem. S. Purp. in l. 1. ante finem S. si cett. pet. num. 152, & ipse Gelasius Papa dist. 15. cap. Sancta Romana, *gesta Sanctorum etiam (quæ secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non legebantur)* vt ibi Pontifex loquitur, *suscipere* profitebatur, & demum S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. inferrebat,

ex eo quod Romana Ecclesia tolerat consuetudinem aliquarum Ecclesiarum tale festum celebrantium &c. talem celebritatem non esse reprobandam &c. At in re nostra, data & non concessa adhuc hac falsa hypothesi Aluæ, adminus *tollerante* Ecclesia similiter prælaudata præfatio cum Innocentij elogio ab antiquo tempore vniuersim in Dominicanis Ecclesijs etiam Romæ ad aures Apostolicæ Sedis iam canebatur, & rursus officium octauæ S. Thomæ cum eodem elogio nunc legitur. Ergo adhuc data & non concessa hac falsa hypothesi Aluæ non contemnendam nihilominus aliquam auctoritatem retineret &c. adeo vt Aluæ conanti ex prauo affectu in hoc elogium S. Thomæ (qui conatus valde placeret hæreticis) officia, quæ in Ecclesia leguntur, in deteriori loco reponere, repeti posset, quod aiebat Tacitus libro secundo historiæ: *omnes, qui harum rerum consilia suscipiunt, æstimare deberent, an quod inchoatur, Reipublicæ vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit*, quod certe non erit.

Quintò, quia *scriptura priuata longo tempore obseruata pro publica meretur fidem*, vt habent inter Iuristas Alexander conf. 138. Col. 3. vers. *idem*, Ioannes Andreas de probationibus, Antonius de Butr. cap. 2. de Fid. instr. Col. 3. vers. 8. Crauet. de Antiqui. temp. 1. p. §. 4. *limitatur*, numero 14; & rursus *scriptura collocata ab antiquis in loco publico, meretur integram fidem iuxta principia iuris*, vt dicit glossa in cap. *cum causam* de prob. per text. in cap. *sane* Col. 2. 24. qu. 2. & tenet Specul. tit. de prob. §. *videndum restat*, versu *nono per libros*, Baldus consil. 130. libro 5. Decius consil. 135. post principium, & alij. At vero in proposito nostro elogium hoc Innocentij (etsi nec priuatæ personæ fuerit) adminus, vt vidimus, *ab antiquo tempore in loco publico collocatum est*, in præfationibus nimirum Missæ, & in lectionibus Dominicani Breuiarij, quæ publicè in Ecclesia leguntur, & rursus hoc pacto *longo tempore pro scriptura publica obseruatum est*, nemine scilicet ante damnatum Pozam, vel ante proscriptum Aluam, repugnante: igitur iuxta principia Iuris fidem integram promeretur, & ex hoc vno principio, si medullitus penetretur, omnino conuincitur non potuisse Prædicatorum Ordinem (etsi, data nobis imponendi licentia, id vnquam voluisse ab aliquo fingeretur) non potuisse, inquam, hoc modo idem elogium fingere, vel comminisci, aliter non illud statim, ac fictum esset, antiquitus in loco tam publico, omnium examini peruestigandum facilimè, ac repudiandum per consequens, proposuisset, sed immo gradatim, vt aiebat Tacitus lib. 3. Annalium, *occultis primum sermonibus, vt vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures* introducere debuisset; à contrario igitur euentu, & facto, id non finxisse conuincitur.

Sextò, non minus ex proponentium qualitate sic argui potest. Quia incomparabiliter longè inferioris ponderis est scriptum non solemne repertum inter Papyros Notarij defuncti prolatum à Fratribus vnius singularis Cœnobij Prædicatorum, licet subscriptum à Prouinciali, & duodecim eiusdem Conuentus Fratribus religiosæ famæ ac probitatis, quam scriptum Pontificis repertum in Officio publico Ecclesiastico in toto Ordine Prædicatorum celebrato per omnes eiusdem Ordinis Patres tam bonæ famæ ac probitatis, ve eorum non pauci, qui eodem officio vsi sunt, etiam Sanctorum albo conscripti sint, inter quos Sanctus Vincentius Ferrerius, Sanctus Antoninus, Sanctus Ludouicus Beltrandus, Beatus Pius Quintus, Beatus Ioannes de Colonia, & huiusmodi

iusmodi cæteri, qui à tẽpore decantatę pręfationis in eodẽ Ordine floruerunt. Sed illud primum adhuc, etiamsi incomparabiliter longè minoris ponderis, quam istud, iuxta principia iuris meretur fidem, vt mox ostendo. Ergo à fortiori longè hoc secundum integram fidem mereatur necesse est. Illud vero primum non obstante minori pondere mereri fidem ostendit ex proposito Iurisconsultus nobilissimus (vt etiam Morales aduertit) Craueta de antiqu. Temp. 1. p. Parag. *quid in libro Officialis*, numero 22. dicens: *Fratres Prædicatores agentes produxerunt vnum instrumentum licet minus solemne continens negotium, de quo agitur, repertum inter Scripturas, & Papyros Notarij defuncti &c. & fuerunt ipsi libri subscripti per Reuerendum Patrem Prouincialem, & duodecim religiosos ipsius Monasterij &c. in qua re considero primum qualitatem personarum, unius Prouincialis, pro quo maximè præsumi debet, sicut dicitur de Præfecto Prætorio, quod pro eo adeò præsumit lex, vt noluerit ab eius sententia appellari posse. Secundum, quod considero, est numerus subscribentium, ex quo numero fortiter iuuatur probatio, quia in libris dictis Monasterij sunt descripta solutiones à diuersis religiosis integræ vitæ, & opinionis, modo defunctis, vt verisimile non sit, tot religiosos vitæ inculpatæ mori voluisse in peccato falsitatis*: hæc ille: nunc pero, an ita similiter, immo à fortiori, hæc dici non possint, non dicam de vno Prouinciali, sed de tot Generalibus Ordinis, non de duodecim tantum religiosis defunctis, sed de integro Prædicatorum Ordine (in quo & Sancti prælaudati vigebant) an, inquam, hi omnes *in peccato falsitatis*, fingendo Innocentij elogium, illudque sic spurium (quod dirius fuisset) sacris inserendo Ecclesiæ precibus, sic mori potiùs voluisse reputandi sint?

Audiat, qui minus percipit vim rationis huius, non quidem ex nostris, sed è Societate nobilem inter alios Scriptorem, simili modo, per omnia, Albertum de Albertis in Lydio Lapide aduersus Scioppium p. 2. c. 7. pro nobis appositè sic perorantem. *Quid*, inquit, *Christianus Orbis, si à nobilissimo Dominicanorum Ordine, vbere semper sanctitudinis, & sapientiæ seminario &c. commenta sibi pro Historijs venditari opinaretur, aut vereretur? quid diceret? an non indignabundus fateretur, & fallaciam esse improbissimam glaucomam ob oculos populorum fraudolenter obiectam, Dominicanos Patres, aut stolidissimè deceptos, aut (quia id nulla probabilitatis specie obduci potest) nequissimos multitudinis deceptores, malique doli, quo eunctos mortales ludificent, nefarios artifices euasisse? &c. Verum quis, obsecro, nisi infrenis hereticus tam eximium Ordinem de Ecclesia Dei semper optimè meritum* (vti nos infra in libro 4. Apostolicæ Sedis testimonia, & elogia producturi sumus) *enormi adeo ignominia notatum eat?* hæc ille, quæ roborando huic nostro ratiocinio sufficiunt.

Septimo ex modo constanti, quo vsque ad annum 1470 (ducentenis scilicet & amplius annis ante hæc tempora nostra) Scriptores nostri in causa ipsa intentata tunc nostris contentiosè ab æmulis de approbata S. Thomæ doctrina, hoc eodem elogio Innocentij in suis tunc Operibus vtebantur. Nam, vt Alua ipse recenset nodo 1. S. 1. *Cum quidam Pater Magister Ordinis Prædicatorum vocatus Damianus Doctor Parisiensis, & Tyeinensis Academiæ Alumnus, in publicis Thesibus proposuisset istam approbationem Innocentij (qui sequitur S. Thomam nunquam a veritatis tramite aberrauit, & qui non sequitur, semper fuit de veritate suspectus), contra hanc Thesim surrexit quidem Pater Ordinis Minorum vocatus Frater Samuel de Cassinis in quodam Opusculo impresso Papiæ &c. Sed contra huius Opuscu-*

lum surrexit quidam Pater Frater Vincentius Dodi Ordinis Prædicatorum scribens quæstionem Apologeticam impressam Rothomagi, & sparsam per totam Galliam. Hunc vero scripsisse ad annum 1470 idem Alua infra fatetur pag. 343. & in hoc libro Apologetico tutatum esse ex proposito idem Innocentij elogium, præter mox recitata, repetit Alua pag. 85. ex eodem Dodi hæc verba transcribens. *Illud dictum*, scilicet Patris Damiani, *est Domini Innocentij Papæ, vt dictum est supra*. Nunc, quæso, audi quam constanter ibidem tunc idem Dodi hoc elogium afferret, ac tutaretur? *Quid faciet* (ita ipse loquebatur, vt transcribit iterum Alua pag. 84.) *Quid faciet ergo iste bonus homo? quo fugiet? ista negare non audebit; quia non licet in Cælum ponere os suum. Hæc esse figmenta non attestabitur, quia extant scripturæ.* An hæc, obsecro, doctus homo (immo non amotæ mentis) fidenter adeò conscripsisset, si aduersarij, cum quibus de hac ipsa re contendebat, potuissent saltem negare Innocentij sermonem, seù recitatum elogium, cum & anno 1387. Parisienses (vt Alua refert funiculo 1. pag. 18.) conati essent in dubio reponere veram Bullam Vrbani V, eo quod in suo processu Parisijs *non fuisset exhibita Bulla Vrbani?* An non ne potius, cum id esse aduersarijs impossibile præuideret, tum ob extantes præfationes Missæ, in quibus idē elogium publicè iam canebatur, tū ob auditos à tunc viuentibus (anno 1470) senibus adhuc illos, qui antea Innocentij VI. temporibus obeuntis anno 1364 dubio procul interfuerunt, an ne, inquam, hic cum Hieronymo aduersus Luciferianos repetere non potuisset? *Si quis à nobis id fictum putat, scrinia publica scrutetur, plenæ sunt certè Ecclesiarum Arcæ, & recens adhuc rei memoria est. Ferè supersunt homines, qui illis interfuerunt.* An inde nobis (post istos à quadringentis circiter annis amplius non valentes authenticum exhibere sermonem, supponentibus tamen ex recitatis tam constanter ab illis etiam Autographum visum fuisse ab ijsdem, ideoque eiusdem sermonis Innocentij referentibus verba) non ne, inquam, nobis licebit cum eodem Hieronymo aduersus Ruffinum adiungere? *Illius*, dicemus nos Innocentij, *à me libros flagitas: quis tibi dixit illius extare volumina? Non, vt calumniaris, & fingis, in eiusdem libris, sed quæ in illis fuisse legeram, & aliorum me scripta eum habuisse docuerant, memoraui, & hoc genus elocutionis frequentissimum est, vt si dicam, quæ in Socrate legi dogmata, putaui vera, non quod Socrates libros vllos scripserit, seù Socratis libri legantur; sed quæ legi apud Platonem, & alios Socraticos illum Socratem habuisse. Igitur etiamsi docere non possem ipsius Pythagoræ extare monumenta, nec à filio eius ac filia alijsque discipulis probata conuincerem, me non teneres mendacij, quia non libros, sed dogmata legisse me dixi*, dicemus nos verba Innocentij.

Octauò, ne quis fortè putaret eo tempore, scilicet ad annum 1470 (cum recurrendo ad Autographum Innocentij, aut ad propinquiora saltem de eodē testimonia, eiusdem elogij veritas de facili poterat rigidiori examine vestigari) inertes in hoc ipso examinando fuisse aduersarios, ne id, inquam, putetur ab aliquo, adiungo quæ idem Alua fatetur nodo 4. §. 1. pag. 356. nimirum, propter hoc idem elogium, *Patrem Samuelem de Cassinis reclamasse* (vt loquitur ipse) *impugnando illam clausulam, quæ acrior videbatur, scilicet (& qui eam impugnauit semper fuit de veritate suspectus) quam propter doctrinam Scoti fuisse positam, non est dubitandum, & sic non erat mirum, quod Scotistæ conarentur illam subuertere rationibus, cum non haberent vnde possent illam de falsitate conuincere.* En non habebant

bebant

bebant (vt iuratus Hostis aduersus Elogium hoc confitetur) eo adhuc tempore, non tam procul ab obitu Innocentij, quin propinquissima testimonia suppeterent, *non habebant* (inquit veritate coactus) *vnde possent illam approbationem de falsitate conuincere*. Et habebit postea post trecentos, & quinquaginta annos ab eiusdem Innocentij obitu fermè vnicus Alua, *vnde*, non quidem *subuertere* (quod nec sperare licebat) sed impetere saltem idem elogium (cum officio ecclesiastico, cui insertum legebatur, ac legitur) etsi probatum totius Orbis consensu, exhibere cachinnis, ac pessumdare domestica sibi præsidentia nunc liceat ? *O Christe pientissime!* hic Tertullianus pro me ipso loquatur lib. 1. in Marcionem c. 20.) *O Christe pientissime! qui tot annis interuersionem prædicationis sustinuisti, donec scilicet tibi Marcion subueniret*. Sed euge ad laudem Dei, dum Sanctissimo Præceptori, & Ecclesiasticis præcibus (potius quam nobis) auferre conabatur Elogium, incauto eidem deprædatori, quæ mox adduximus, exciderunt, vt insidiantis exinde improbitas conuinceretur, quemadmodum (eodem Tertulliano pergente in Marcionem libro 5.) *& Furibus solet aliquid excidere de præda in indicium*, & alioquin vt aiebat Hieronymus epist. 61, *illud verum testimonium est, quod ab inimica voce profertur*.

Nonò appositè ex consensu Orbis per quatuor ferè sæculorum curricula comprobatur id ipsum, & licet hic præter antiquissimos nostros prælibatos ex parte in 1. probatione nostra, possemus & Petrum de Vincentia in Cathena aurea impressa anno 1494. & alios successiuè scribentes, idemque elogium laudantes, supra centenos in præsenti congerere, præstat tamen (omissis nostris) extraneos tantum, nec omnes quidem, sed potiores tantummodò in proposito recensere. Et vt incipiam à Scriptoribus Societatis (qui magno se nuper in pretio sunt, & maioris in re nostra ponderis erunt) non ne Salmeron Tomo 1. in Euangelia prologo 18. inquit ? *B. Thomæ Aquinatis libri per Christi Vicarium Innocentium confirmati sunt*. Non ne Ribadenera in vita San. Thomæ idem Elogium Innocentij laudat ? non ne Pater Bonifacius libro 5. de fructu Sapientiæ epist. 3 ? non ne Granado Tomo 1. in p.p. primæ editionis in præfatione c. 3 ? non ne Alamainus in prologo suæ summæ Philosophicæ ? non ne (vt alios omittam) Thomas Pius Aponte Lerinensis apud Gondissaluum Arriagam Tomo 2. fol. 128. numero 8 ? E cœtu Franciscano non minus, non ne Pater Frater Baptista Vincentius de Nonolino in libro impresso Venetijs anno 1509 ? non ne Brixianus apud eundem in Prologo ? non ne (vt breuiter plurimos comprehendam) Religio ipsa Diui Francisci in suo memoriali responsiuo iuramento Salmantino ar. 1. §. 3. num. 7. id fatebatur his verbis ab Hispano translatis in idioma latinum ? *testimonium Innocentij veridicum est, loquendo de doctrina S. Thomæ in communi &c.* Ex alijs Ordinibus (ne prolixiores simus in singulis percurrendis), Non ne Petrus Cabrera in 3. p. Tomo 3. prologo ad lectorem id habet ? Franciscus Zumel in suis controuersijs, Petrus de Valderama in Theatro religionis, Thomas de Aquino Clericus Regularis de Vinea Christi libro p. c. 6; Laurentius à Ponte eiusdem Instituti homilia 13. in cap. 9. Sapientiæ, Basilius Pontius Augustinianus in Apologia Salmantina ar. 1. & 2. Franciscus Syluius Canonicus Duacensis in tract. de primo motore in Prologo, & integra Carmelitarum religio in Operibus, tum Collegij Complutensis, tum Salmanticensis in præfationibus ? E sæcularibus

etiam

etiam Lambertus de Monte Colloniensis, Pizzamanus Patritius Venetus (quos supra retulimus) Valerius alter Patritius Venetus in vita San. Thomæ, Doctor de Monroy Hispanus in Apologia pro auctoritate Patrum cap. 9, & vt cathalogum claudam cæterorum (quos alibi in manuscripto opusculo congesseram transmisso Romam ad Reuerendissimum Thomam de Rocabertis tunc Ordinis Generalem, nunc meritissimum Archiepiscopum Valentinum, nec à me inde rehabito) Integra Salmantina Vniuersitas satis esset in suo memoriali pro iuramento §. 3. ar. 3 num. 12. eadem Innocentij verba commendans, & adeò singuli succedentes per tempora elogium istud approbarunt vt certum, nullusque ex alijs hucusque (ante Pozam, aut Aluam) de eodem legitur dubitasse, vt non immeritò Xantes Mariales in Prolegomenis ad Bibliothecam Thomistarum concludat. *Vnine Pozæ ab Ecclesia damnato, neganti præfatum sermonem esse Innocentij, & ne vel vnum sui erroris socium ex nomine adducenti, an potius tot alijs grauissimis testibus, totiusque Orbis consensui præfatum sermonem, vt Innocentij, venerantibus, standum erit?* An potius cum Diuo Petro Grisologo sermone 145. hic nobis pariter (proportione seruata) repetere non licebit? *Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones*, & S. Thomas *citra* trecentos, & quinquaginta *annos suæ* laudis *causas præstat, honoris sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones?*

Decimò tandem (vt videas *quam multa sint*, quibus in proposito, vt aiebat Socrates, *non indigemus*) detur Aluæ fingendi licentia, nullus sit alter Innocentij sermo præter eum, qui in manuscripto Volumine Clementi VI. suppositus ab eodem Alua refertur: Ex hoc vno dumtaxat (vt fabulatur Lucianus hic noster) conflata sint verba elogij Innocentij, quod longè melius hucusque tutati sumus: Donentur hæc omnia, quę falsa esse iam vidimus, & in priorum eiusdem obiectionum solutione iterum ostendetur. In hac adhuc data, & non concessa, hypothesi, volo monstrare Aluæ nullatenùs de falsi nota nostros posse accusari Scriptores, tam etsi sparsa in eodem sermone verba in hoc elogio iunxissent, seruato per integrum sensu (licet non omnium verborum apice) eo modo appositè, quo (referente eodem Alua pag. 354) Pater Petrus de Clerq; in sua Orat. de S. Thoma ex sermone Clementis Sexti sic recitabat elogium: *Beatus Thomas (ait Clemens VI.) erat omnium virtutum patronus &c. sensus est non verba.* Hæc ille noster. Eia igitur, in ista hypothesi, id videamus. Priora nostri elogij verba ea sunt: *Huius Doctoris Sapientia, excepta Canonica &c.* His correspondent in sermone exscripto apud Aluam ea similia verba, nimirum: *Ipse Salomon de se dixit ecclesiastici primo. Præcessi Sapientiam omniam, qui ante me fuerunt in Ierusalem,* & pergendo inde non solum in eoęquando in hoc ipso S. Thomam Salomoni, sed præferendo, subiungitur: *audacter dico, quod iste præcessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum, imo & post eum* (hic nota antithesim) *in Vniuersitate ista Parisiensi*, & vniuersalius infrà; *clara enim inter omnes doctrinas ista est magis clara*. Prosequuntur hic in elogio illa verba: *habet proprietatem verborum, veritatem sententiarum, modum dicendorum*. Prosequuntur & ibi in sermone illa verba: *habet quatuor conditiones conformes* (nempè doctrina S. Thomæ cum doctrina Salomonis) *prima est, quod habet certitudinem existentiæ, & veritatis. Secunda pulchritudinem euidentiæ & claritatis. Tertia plenitudinem affluentiæ & vtilitatis. Quarta latitudinem continentiæ & vniuersitatis. Est enim vera sine contagio falsita-*

falsitatis, clara sine tadio obscuritatis, fructuosa sine vitio curiositatis, copiosa ambitu sue generalitatis. Hic in elogio subduntur ea verba, *ita vt qui eam renuerit nunquam inueniatur à veritatis tramite deuiaße & qui eam impugnauit semper fuerit de veritate suspectus :* Subduntur ibi in sermone & illa: *vnde potest dici illud Ioannis* 17. *sermo tuus veritas est, hanc veritatem eme & noli vendere sapientiam &c. ne sis de numero illorum, quos Apostolus vocat superstitiosos, qui non vacabant, nisi audire, aut dicere aliquid noui, actorum* 17. *hac ergo doctrina, Carissimi, non recedat ab ore, non recedat à corde, quia ipsam certè sequens, non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsi studens ad veritatem peruenis*. Hæc ibi, quæ, obsecro, nunc conferat lector ac iudicet, an præ illo sermone extante adhuc & recitato apud Aluam, huic nostro elogio Innocentij (quod nostri postea retulerunt) desit aliquid de verborum sensu, etsi amplior solum verborum prolixitas restricta sit? Hæc iudicet cordatus arbiter, & simul idem expendat in transferendo (præsertim quando compendio agimus) pro præcauenda falsarij nota sufficere, si seruetur verborum sensus, etsi non seruentur similiter verba, quemadmodum robustissime simul, & disertissime probat D. Hieronymus epist. 101. ferme per totam, ac inter alia sic habet. *Libera voce profiteor, me in interpretatione* (inquit) *absque scripturis sanctis, vbi & verborum ordo Mysterium est, non verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu; habeoque huius rei Magistrum Tullium, qui Protagoram Platonis, & Æconomicon Xenophontis, & Æschinis & Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit; quanta in illis prætermiserit, quanta addiderit, quanta mutauerit &c. non est huius temporis dicere: sufficit mihi ipsius translatoris auctoritas, qui ita in prologo earundem orationum loquutus est (non conuerti vt interpres, sed vt Orator &c.) Sed, & Horatius vir acutus & doctus hoc idem in arte poetica, erudito interpreti præcipit. (Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres.) Terentius Menandrum, Plautus & Cacilius veteres Comicos interpretati sunt; nunquid hærent in verbis, ac non decorem magis & elegantiã in translatione conseruant? ita ego Beatum Antonium, te petente, transposui, ut nihil desit ex sensu, cum aliquid desit ex uerbis: alij syllabas aucupentur, & litteras, tu quære sententias; dies me defficiet si omnium, qui ad sensum interpretati sunt, testimonia replicauero. Nec hoc mirum in cæteris, sæculi videlicet aut Ecclesiæ viris, cum septuaginta interpretes, & Euangelistæ, & Apostoli idem in sacris voluminibus fecerint :* & recitato cap. 5. Marci, & 27 Matthæi, vbi testimonia quædam scripturæ veteris referuntur, non ad verba sed sensum, subiungit Hieronymus. *Accusent Apostolum falsitatis, quod nec cum hebraico, nec cum septuaginta congruat translatoribus &c. Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere, cui curæ fuit, non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere*. Inde post examinata similiter plura alia Euangelij loca concludit. *Hæc replico, non vt Euangelistas arguam falsitatis (hoc quippe impiorum fuit Celsi, Porphyrij, Iuliani) sed vt reprehensores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis veniam, vt concedant mihi in simplici Epistola, quod in scripturis sanctis, velint nolint, Apostolis concessuri sunt*. Hæc ille omnino legendus, tum ibi, tum iterum in Epistola ad Augustinum, tum in alia ad Suniam & Fretellum repetens regulam boni interpretis, *vt non verba verbis quasi paria, & demensa, respondeant, sed sensus sensui*, non minus ac Cicero lib. 3. de finibus, *verbum è verbo exprimere solitos, indiscretos interpretes* appellabat.

Ad primum igitur de Anonymo ad annum 1475, euulgante librum pro cõ-

trouer-

trouersia exorta Ferrariæ inter Patres Seruitas (vt vocant) ac Minoritas, non video quo fundamento harioletur hic Alua decernens sub ea Anonymi laruâ nostrum latuisse Bandellum, cum potius Seruitarum aliquem pro re sua scripsisse verosimilius coniectare licuisset. Sed dato hoc adhuc iam vidimus in probatione prima, quot alij ante suppositum ab Alua Bandellum, illud idem Innocentij elogium agnouerint, aut recitarint: & si alia quæcumque deessent, hoc vnum abunde pro Bandello sufficeret, nimirum fateri Aluam pag. 636, hoc elogium fuisse insertum officio Missæ seu præloquio proprio San. Thomæ, ad minus sub tempore Sixti IV. ad annum 1475, quo tempore vix induerat Ordinis habitum ipse Bandellus, electus postea in Generalem Ordinis ad annum 1501, & alioquin antiquus textus constitutionum Ordinis dist. 1. cap. 2. *de officio vniformiter obseruando*, sic habet; *nulli liceat aliquid de cætero innouare*, idque *nec prouincijs licere* declaratum est in Capitulo Generali Bononiæ 1410, & Argentinæ 1417 ordinat. 1, immo nec Magistro Ordinis *sine generali Capitulo*, vt in commento eiusdem textus eodem loco subiungitur. Quomodo igitur potuit Alua supponere Bandellum eũdem fuisse *primum vnicum & fontale principium elogij*, cum sanè Bandellus elogium inserere præfationi Missæ nec potuisset quidem, si voluisset? quomodo inde ex falsa adeo suppositione idem Alua contemnere officia S. Thomæ, quæ canimus, non erubescit? adeout pro carpendis eisdem pagina centesima insimulet etiam Breuiarium nostrum impressum anno 1591, ita in prima lectione legisse, (*Beatus Thomas de Austri prosapia Comitum de Aquino*) ideoque irridendo subiungat: *ecce Thomas factus ex domo & familia Austriaca*. Hæc ille, nec videns *Reginam Austri* in sacra pagina laudari, quæ non propterea tamen de familia Austriaca supponebatur: *eandem autem stirpem clarissimam fuisse inclitamque progeniem Regum videlicet Siciliæ & Comitum Aquinorum*, testatur manuscriptum Vaticanum apud Bolandum die 7. Martij pagina 738, & Camillus Peregrinus in historia Lombardica à pag. 194 ostendit *Comites Aquini agnatos fuisse Longobardorum Principum Capuæ residentium*. Sed istis non indigemus, cum in hac etiam manifesta falsatio Aluæ detecta sit, dum in Breuiario antiquo eodem, quod extat adhuc, & alibi, & Brixiæ sic legitur: *Beatus Thomas de Illustri prosapia Comitum de Aquino*, non vero *de Austri prosapia*, vt quibusdam mutatis litteris Alua ad creandam nobis inuidiam pro sua effræni dicacitate transposuit, ex quibus liceat ingenuo Lectori decernere, quæ fides Aluæ & in reliquis habenda sit.

Ad secundum, allati sunt antea in eadem probatione prima tot cæteri, qui à Montesono vsque ad Bandellum intermedio hoc scribentes tempore recognouerunt idem elogium; nec inde officit postea Turrecrematam, Montenigrum, Antoninum, & huiusmodi quosdam id tacuisse, cum etiam plures Bullam Vrbani V. tacuerint (quia ad rem eorundem non attinebat) & tamen eiusdem Autographum adhuc reperitur, vt in sequenti quæstione videbimus, & plura tacuit de D. Paulo Lucas in actibus Apostolorum, quæ tamen Paulo contigisse Sanctum de fide est ex eiusdem epistolis, vt Baronius expendit tomo 1. Annalium Ecclesiæ pag. 262, 347, 348, 405, & 509. Nec mirum tandem hoc etiam elogium Montesonum prætereuisse, cum Bullam Vrbani V, simul cum epistola Stephani Parisiensis aduersus eosdem Parisienses afferebat; non mirum, inquam, quia palam erat elogium hoc non ex Bulla Pontificis (vt

illa

illa erat Vrbani V.) sed solum ex sermone quodam Innocentij referri, ideoque omisso hoc Bullam tantum, cui contrairi non poterat, referebat, ex quo deinde & quidam alij Bullæ potius Vrbani V. quam sermonis Innocentij mentionem agere in doctrinæ Angelicæ laudem curauerunt.

Ad tertium, cum variæ fuerint editiones operum Lamberti de Monte, vti & Alua commonstrat, non dubito in eaquam tot Scriptores Hispani inspexerant, ac retulerunt, ea verba Lamberti de Monte adfuisse, quidquid sit de posterioribus alijs, à quarum aliqua etiam abrasum fuisse ex integro Innocentij elogium idem Alua non inficiatur, &, vt nouissimè noster Magister Gonet Canone 7 vno verbo respondet, *fidem nostram nostrorumve liberat* Laurentius à Ponte Clericus Regularis in cap. 9. sapientiæ Homil. 13. vbi sic habet, *hunc sermonem, vt ab originali sumptum, tradit Lambertus de Monte in libris de anima Coloniæ Agrippinæ excussis anno 1494*, & postea subdit ibidem Laurentius, *hoc dixerim, ne quia adhuc ille non extet sermo, aut non reperiatur, in dubium, quod certissimum est, alicui veniat*. Hæc ille; & sanè prædictis testibus magis quam vnico Aluæ tam infido de Lamberti verbis in anteriori saltem editione fidendum est, quem Lambertum non semel etiam profiteri (vt ingenui scriptores solēt) à se relata in opere se in fonte vidisse, cuicumque, vt reor, consulenti patebit, nec mirum vltro in illa speciatim Vniuersitate Colloniensi fuisse seruatum pro eo tempore originale Innocentij in laudem S. Thomæ, in qua præfuerat antea B. Albertus Magnus post obitum S. Thomæ eiusdem doctrinæ S. Thomæ defensor, vt vidimus supra ex processu canonizationis, & alijs, & inde ad *annum* 1490, vt Trithemius habet, *Henricus Gorichen legens in eodem Gymnasio Colloniensi edidit summarium S. Thomæ*, & demum fatente Alua pagina 339, in operibus Lamberti de Monte cuiuscumque editionis, tum in præfatione ad libros Physicorum de San. Thoma adhuc legitur, *eum inspirante Spiritu Sancto scripsisse*, tum in initio tractatus de generatione & corruptione vocatur *S. Thomæ doctrina irrefragabilis, atque inuictissima, quam magis Spiritus Sancti vnctio quā lectio, plus Oratio, quam ratio docuit*, tum in præfatione librorum de Anima Innocentij elogium simul cum integra epistola Stephani Parisiensis, ceterisque approbationibus doctrinæ S. Thomæ, perlegitur. De cætero Aluæ in eo, quod negat Lamberti verba à Ioanne de S. Thoma citata, in editionibus à se repertis non reperiri, fidendum haud esse conuincitur, quod idem Alua in eadem pag. *339*, mox contendit librum Lamberti *de anima* impressum prodijsse solum anno 1498, mox ibidem ex fine eiusdem libri recenset impressionem *ad annum salutis* 1494 *die* 16 *Maij*, mox sui immemor magis infra pag. 340 subjungit hæc verba: *inueni expositionem*, prædicti libri de anima, *Lamberti de Monte impressam Collonia &c. anno* 1485. Quid de homine igitur non solum cæteris, sed sibi ipsi tam manifestè contradicente faciemus?

Ad quartum, siue quis velit sustinere vulgatum Innocentij elogium verbatim exscriptum ex alio sermone Innocentij distincto ab eo, quem sub nomine Clementis VI. Alua se reperisse gloriatur eiusdem thematis, *Ecce plusquam Salomon hic*, siue quis malit admittere (vt præmonuimus in postrema hypothesi) compendio veluti extractum esse ex prolixioribus clausulis huius eiusdem sermonis suppositi Clementis VI. siue, inquam, vni aut alteri ex his vijs quis adhærere decernat, iuxta vtramque licebit de facili obiectionem hanc

quartam Aluæ dissoluere; Iuxta primam quidem nequaquam Thomistas ex industria (vt criminatur Alua) supposuisse pro Clemente VI. Innocentium pariter hoc nomine Sextum in referendo hoc elogium conuincitur, ex eo quod immo, vel Alua fatente pagina 341, in editione Lamberti de Monte sub anno 1502. hi duo adinuicem Sermones, Innocentij & Clementis, discriminantur his verbis. [De hoc Sancto Doctore Aquinate Clemens VI. Pontifex in quodam sermone, quem in laudem eiusdem edidit, cui initium est, Vir Dei es tu, & verbum Domini verum est in ore tuo 4. Regum cap. 3. sic scribit. Huius doctrina cæterorum Doctorum, & Magistrorum modernorum est verior sine contagio falsitatis, clarior sine tædio obscuritatis, vtilior sine vitio curiositatis, latior ambitu suę generalitatis. Hæc ille. Alludunt huic sententiæ comprobationes & commendationes Apostolicæ doctrinæ D. Thomæ Aquinatis verba Domini Innocentij Papæ, qui in sermone, cuius thema est, Ecce plusquam Salomon hic (de S. Thoma de Aquino sic inquit;) huius Doctoris sapientia præ cæteris excepta canonica, habet proprietatem verborum &c.] vt supra. Eodem modo hos duos sermones distinguit Franciscus Syluius Canonicus Duacensis in Oratione secunda in laudem S. Thomæ solum inuerso ordine referens prius verba Innocentij VI, & postea Clementis VI, quemadmodum & aliqui alij imitati sunt; quod sane non præstitissent, si (vt fabulatur Alua) sermonem, qui ab Alua putatur Clementis VI. Innocentio VI. supponere studuissent. Iuxta vero secundam viam, scilicet postremam hypothesim, quam vt probabilem simul proponebamus, & data Aluæ licentia admittebamus, dicendum est, sermonem ab Alua repertum in volumine manuscripto claudente simul sermones Clementis VI, non ex inde conuinci Clementis VI, sed potius esse Innocentij VI, eo modo, quo in huiusmodi Miscelaneis manuscriptorum voluminibus hinc inde collectis sæpe contingere, ac contigisse etiam in impressis postea sermonibus, seu homilijs Sanctorum Patrum compertum est, vt latè ostendit Theophilus Rainaudus Erotemate integro *de libris supposititijs* prolixum syllabum eorundem intexens, & id re ipsa in proposito euenisse facillime comprobatur, ne dum ex conuenientia in agnomine Sexti (ob quam similiter elogium hoc, vt aduertit Alua pag. 342. Vrbano VI. legitur attributum) verum etiam ex eo, quod in eo volumine adest alter prior sermo in laudem S. Thomæ vere editus à Clemente VI. distinctus ab isto, alioqs incipiens themate, siue iuxta Aluam, *Docebat eos de Regno Dei*, vt referunt etiā Salmanticenses in præfatione tomi 1. §. 2. siue iuxta mox recitatum Lambertum, *Vir Dei es tu &c.* tum rursus quia in eodem volumine Marquianensis Bibliothecæ (vt refert Alua pag. 348) in epigraphe prioris sermonis sic legitur: *Sermo, quem fecit Dominus Rotomagensis Cardinalis de S. Thoma de Aquino, in domo Prædicatorum coram Dominis Cardinalibus, & Clero*, qui Cardinalis Rotomagensis postea fuit Clemens VI; non sic vero id legitur in epigraphe sermonis posterioris in laudem eiusdem San. Thomæ; tum quia in eodem volumine eiusdem Bibliothecæ (vt iterum exscribit Alua pag. 376) post sermonem posteriorem de S. Thoma, subsequitur sermo in tertia Dominica Aduentus, hoc titulo, *Sermo, quem feci ego Petrus Rotomagensis Archiepiscopus Bisontinus in Domo Prædicatorum anno Domini 1334*, cum tamen certum sit Petrum Rhogerium, qui postea fuit Clemens Sextus, nunquam fuisse Archiepiscopum Bisontinum; & patria

Patria Lemouicensem fuisse, ex eodem Alua pag. 346, consequenter euincitur inde non omnes sermones in eo volumine collectos, re vera Petri Rhogerij seù Clementis Sexti fuisse; quid ergo vetat priorem vtique sermonem de S. Thoma fuisse Clementis Sexti, vt agnoscit primus omnium Ludouicus Iacobus à S. Carolo Carmelita, posteriorem vero esse Innocentij Sexti, quem pariter scripsisse sermones idem auctor Carmelita attestatus est?

Ad quintum, vt vidimus mox ex eodem Alua, & si in epigraphe prioris sermonis adnotetur eum habitum esse à Cardinali, non sic vero in titulo posterioris sermonis, iam & idem Alua concedit eos omnes sermones in eo volumine comprehensos sub Pontificis nomine recenseri, sicut & supra obseruauimus opera Adriani, Innocentij, Gregorij, & huiusmodi cæterorum illos scribentium, etiam antequam supremam Sedem ascenderent, hoc non obstante sub eorundem Pontificum nomine recitari. Quid ergo mali, si Thomistæ similiter sermonem hunc sub Pontificis nomine retulissent? Verum sermonem istum posteriorem ad minus in laudem S. Thomæ in eo volumine clausum verè ab auctore habitum fuisse, dum Pontifex esset, habetur ex eo, quod auctor ibidem orans *coram Dominis Cardinalibus* (vt Alua fatetur) sic loquebatur. *Hæc ergo doctrina, Charissimi, non recedat ab ore &c.* Quis vero non videt his vti verbis *ad Dominos Cardinales* nonnisi Pontifici licuisse?

Ad sextum, non solum absolutè, sed comparatiuè ad cæterorum doctrinas laudatam ibidem fuisse S. Thomæ doctrinam, antea expensum est, & præter ibi recitata, supersunt & hæc alia ibidem verba exscripta ab eodem Alua immemore sui, nimirum, inquit, sermonis auctor. *Sicut Sol excedit stellas, quia est maioris splendoris in claritate, maioris feruoris in caliditate, maioris valoris in fecunditate, sic iste Doctores &c.*

Ad septimum, præmittendum est, quod lib. 1. q. 5. ar. 1. ad 1. monuimus, sub nomine *doctrinæ canonicæ* contineri, ne dum vetus ac nouum testamentum (vt falso Alua supponit) verum etiam definitiones Conciliorum ac summorum Pontificum, & vltro assertiones dogmaticas, in quibus Sancti Patres adinuicem consenserunt, cum hæc omnia inter Canones reponantur. Loquendo autem de singulis Sanctis Patribus singillatim, seù diuisiuè (vt Scholæ loquuntur) etsi eorum etiam singillatim dicta ex dicentis auctoritate magnopere præstent Scholasticorum doctrinis, solemniores tamen Scholastici viceuersa in rigidiori methodo Scholasticæ limæ, aut accuratioris examinis, comparatiuè ad illos quodammodo selecti dicuntur, pro securiori scilicet defensione, vel interpretatione eorundem Patrum, vt obseruauit, non solum S. Thomas in Opusculo aduersus Græcorum errores, verum etiam Summus Pontifex Sixtus V. in Bulla, *tryumphantis*, & post Canum libro 8. probat ex instituto Grauina tom. 3. præscriptionum p. 1. q. 1. ar. 9. per totum. Consequenter in hoc sensu (in quo ibi sermonis auctor loquebatur) doctrina, quæ cæterorum omnium Scholasticorum, ac solemniorum doctrinis antefertur, anteferatur quoque necesse est eodem modo præexplicato plerumque etiam plurium diuisiuè Patrum doctrinis, vt vna dumtaxat excepta doctrina Canonica, (cuius iam ambitum explicuimus) inferior sit, quemadmodum ibidem sermonis auctor de prælaudata doctrina S. Thomæ concludebat his verbis: *clara enim inter omnes doctrinas ista est magis clara.* Quid ergo vellicat Alua in vulgato Innocentij

elogio, quod in sermone (admisso ab eodem) illius Pontificis prolixioribus solum periodis non reperiatur? quid quæso Mariales, atque Galuanius, in laudem doctrinæ S. Thomæ protulerunt, (tam seuerè, tam repetitis vicibus ab Alua damnatum) quod expressius olim Gregorius Nissenus in principio Examerон de doctrina Basilij Germani sui constantissimè nō pronunciarit his verbis? *Rata igitur sint eius scripta, præstentque, nec vllis, nisi testamenti diuino Spiritu dictante exarati, monumentis cedant*. Quid de hoc dicto Nisseni nunc diceret Alua, nisi, vti nos diximus, explicet de diuini testamenti monumentis, & his simul, quæ innixa eisdem sunt, cum eisdem necessaria consecutione connexa? quo modo Marialem etiam atque Galuanium non minus, ac Nissenum, idem censor intelligere poterat, ac debebat.

Ad oct. quis nescit eū, qui veritatem impugnat (semper esse de veritate suspectum? Ibi autem auctor sermonis manifestè præmiserat de S. Thoma) *doctrina istius habet certitudinem existentiæ, & veritatis. Vnde potest dici illud Ioannis 17. Sermo tuus veritas est*. Quid ergo mirum hinc consequi, *eum, qui doctrinam S. Thomæ impugnauerit, fuisse semper de veritate suspectum?* qui etiam impugnator ibidem idcirco adnumerabatur *numero illorum, quos Apostolus appellabat superstitiosos, qui non vacabant ad alia, nisi audire, aut dicere aliquid noui. Actorum 17.* Quid ergo amplius in nostro elogio inuenitur, vel carpitur, quod in sermone reperto ab Alua non perlegatur? Cur, præter ista, non puduit Aluam fidenter adeò pronunciare *approbationem istam Innocentij prorsus fictam esse*, cum adeo antiquitus agnosceretur, constantissimè proferetur, tentata ab æmulis defensaretur, inserta Ecclesiæ precibus caneretur, & demum tot subsequentium doctorum testimonio vallata litterarij fermè Orbis consensum assecuta sit? Si ista pro huius veritate elogij non videntur adhuc Aluæ sufficere, non video ipse, cur non valerent similiter ficta dici tot alia, quæ de rebus, tum eiusdem instituti, tum cæterorum, vulgata sunt, nec tanta tamen (quanta hoc nostrum) testimoniorum luce donata sunt. *Neque enim* (repetemus & nos cum Arnobio libro 1. aduersus Gentes) *neque enim Cœlo Deus aliquis lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus, aut ratione consimili nostris rebus derogauit; ab hominibus hæc scripta, & illa sunt, ab hominibus scripta mortalibus, & dissertata sermonibus; & quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta paribus sumite atque habetote momentis: vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis? & quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini necesse est vera esse.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Approbatione Vrbani Quinti ad Tolosanos.

APprobationi hucusque defensatæ Innocentij (siue ille V. siue VI. fuerit, qui posterior anno 1352. assumptus fuit) succedit ordine temporis Bulla Vrbani Quinti ad Tolosanos, edita anno 1368. ita incipiens ac habens. *Laudabilis Deus in Sanctis suis, in sui Maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo prouidentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura iudicij, cœlestia pariter, & terrena disponit &c.* & hic subiuncta comparatione inter Ecclesiam tryumphantem ac militantem in prosequendo *potioribus insignijs & honoribus potiores Ecclesiæ Doctores*, sanè, inquit, *cum sacrum, & venerabile Corpus Beati*

B. Thomæ de Aquino Ordinis fratrum Prædicatorum sit de Mandato nostro ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum Tolosam de proximo transferendum (en alteram priorem Bullam eiusdem, de qua mox infra dicemus) *nos attendentes quanta à Deo scientiæ doctrina Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac vniuersalem Ecclesiam illustrauit, ac Beati Augustini vestigia insequens, Ecclesiam eandem doctrinis, & scientijs quamplurimis adornauit, &c. volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flasconem 11. Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno VI.* Hæc itaque Vrbani approbatio est, quam ab obiectionibus Aluæ in hac quæstione suscipimus vindicandam.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Bulla Vrbani Quinti incipiens, laudabilis Deus, *approbans doctrinam S. Thomæ vera sit.*

Videtur non vera sed commentitia ipsi Aluæ nodo 3. §. 1. per totum admittenti vtique veram esse alteram priorem Bullam eiusdem Vrbani V. (iubentem dari Corpus S. Thomæ Magistro Generali Prædicatorum, & transferri Tolosam) incipientem, *Copiosus &c.* datam apud Montem Flasconem 16. Kalendas Iulij *Pontificatus anno VI.* sed inde addenti falsam esse & confarcinatam ex aliqua parte primæ alteram hanc posteriorem incipientem, *Laudabilis Deus*, quæ paulo ante recitata est, & refertur à nostris. Probare igitur conatur primo Alua hanc posteriorem Bullam falsam esse, quia ab anno 1368. quo edita dicitur, primus scriptorum, qui eam memorauit, fuit Ioannes de Montesono in sua illa tam celebri controuersia aduersus Accademiam Parisiensem excitata anno 1387, in qua alij hoc eodem tempore attestati sunt se eandem Bullam non vidisse, vt auctor Apologiæ Parisiensis (qui legitur in fine Magistri Sententiarum) post suam tertiam conclusionem respondebat, *Non fuisse exhibitam illam Bullam Papæ, neque ipsius copiam &c. & ideo cum idem sit iudicium de his, quæ non sunt, & de his, quæ non apparent, sicut dicunt iura, sequitur quod hoc non debuit dictum processum impedire;* & eodem tempore Pater Ioannes Thomæ Frater Vterinus eiusdem Montesoni (vt refert Alua pag. 275. ex Ioanne Vitali, & Ioanne Alano Doctoribus Parisiensibus) *in sua reuocatione, quam in domo Minorum fecit Parisijs, testatus est plures Magistros sui Ordinis dicere, se nunquam eam Bullam Vrbani vidisse*, & noster Raphael de Pornasio florens ad finem sæculi subsequentis in Opusculo de Beata Virgine commemorans eandem, inquit; *scripsit præterea Romanus Pontifex litteras Apostolicas Vniuersitati studij Tolosani Sancti Doctoris extollens gloriam, & approbans Apostolica auctoritate Doctrinam, cuius rescripti copia nondum ad manus meas peruenit*, & ideò ante istum, scilicet ad annum 1430. Ioannes de Monte nigro, & Ioannes de Turrecremata in suis Opusculis de Originali peccato, etsi eximiè laudent doctrinam S. Thomæ, *nullibi tamen huius Bullæ Vrbani mentionem habent. Non est igitur verisimile*, inquit Alua, *Patres Ordinis Prædicatorum habuisse Bullam Papæ*, & dato quod postea temporibus nostris extare supponatur seù legi Tolosæ, concludit pag. 267. *etiam multas Bullas extitisse, & extare, quæ tamen fuerunt & sunt conficta &c. sicut extant*

etiam Scriptura Ouidij, Æsopi, & Appulei, nec tamen sequitur non potuisse esse confictas.

Secundò, vt arguit idem pag. 272, quia Anonymus Dominicanus, Vincentius Bandellus, Gyrardus Renerius, & alij multi solum citant Vrbanum Papam vagè, & indeterminatè, alij posteriores his citant Vrbanum IV. vt Ioannes Ruinkel de Hallis in præfatione ad quæstiones disputatas S. Thomæ 1507. Gabriel Barlete in Sermone de S. Thoma peius sic dicit, *Vrbanus IV. in Bulla Canonizationis, quam mittit Tolosanis &c.* alij nuncupant Vrbanum VI, vt Nazarius de scriptis S. Thomæ, Aluarez de auxilijs, Morellez in editione operum Diui Thomæ, Plodius libro 1. Choquecius in orat. S Thomæ, Truxillus tomo 1. Thesauri libro 3. cap. 1. Petrus de Bergomo in tabula aurea, & demum editio operum S. Thomæ iussu Pij Quinti, cum tamen solus Vrbanus V. ille fuerit, qui iusserit corpus S. Thomæ deferri Tolosam, vt alij postea recognouerunt, & legitur etiam in Dominicano Breuiario. *Propter has igitur contradictiones*, concludit Alua, *asserendum est esse falsam* prædictam Bullam Vrbani.

Tertiò addit pag. 274 *non minus ex parte Bullæ esse aliquas contradictiones*, nam aliqui affirmant fuisse expeditam 11 *Kalendas Septembris*, id est 22. die Augusti, alij, vt Aluarez, die 30. Augusti, alij tacent annum expeditionis, vt Bzouius, etsi modo à recentibus supponatur edita anno 1368. Immo in Officio antiquo translationis S. Thomæ (quæ translatio solum quatuor mensibus post datam Bullam verè supponitur contigisse) lectione 5. sic legebatur: *Collocatum est sacrum Corpus in Conuentu Fundensi Ordinis Prædicatorum anno Domini 1377. idibus Februarij*, & lectione 9. eiusdem Officij describitur translatio facta Tolosam. *Anno Domini 1379. Pontificatus eiusdem Vrbani Papæ Quinti anno 7.* quibus annis non amplius viuebat Vrbanus V. En igitur contradictionem in anno ab eisdem Lectionibus designato, vt patet, qua postea visa, in alio posteriori Officio lectione 6. positum est: *Hæc translatio contigit die 28. Ianuarij anno 1368*, cum tamen reuera contigerit ineunte anno 1369. die 28. Ianuarij. Ex ista igitur tam multiplici contradictione iterum concludit Alua non fidendum in proposito relationibus Dominicanorum.

Quartò inquit pag. 275. *quia litteræ istæ Vrbani Quinti non reperiuntur in Archiuo Vaticano existente apud Sanctum Petrum in inferiori Aula, vbi reuoluto tecto Solario, non extat in Vrbano V. nec in Regesto alicuius Vrbani*, vnde subdit, *Reuerendus Pater Odericus Raynaudus Congregationis Oratorij, qui pro sua continuatione Annalium Baronij recognouit exactissime Archiua Bullarum, nullam de tali Bulla facit mentionem; sicut nec de approbatione doctrinæ S. Thomæ (cum tamen vtrumque vidisset referri in Bzouio ad annum 1370. numero 15.) sed solum anno 1368. memorat translationem Corporis S. Thomæ è Monasterio Fossanouæ Tolosam &c.* Signum igitur est prædictam Bullam falsam esse.

Quintò (vt pergit pag. 276.) quia Ioannes de Montesono, qui primus refugiebat ad hanc approbationem doctrinæ S. Thomæ, vt se defenderet, prout legitur in Apologia Parisiensium; sic referebat ex eadem Bulla præcipuam clausulam pro doctrina S. Thomæ. *Eiusdem Sancti Doctrinam tanquam benedictam, & catholicam sequi, & teneri a Christicolis, & studiosis eam pro viribus ampliare.* At vere in Bulla per extensum descripta apud Bzouium, & alios, istius clausulæ verba in pluribus diuersa sunt, dum ita leguntur: *Vt dicti Beati Thomæ doctrinam*

Digitized by Google

ctrinam tamquam veridicam; & catholicam sectemini eamque studeatis totis viribus ampliare, & singula verba confert ad inuicem Alua dicens, *has clausulas valdè diuersas esse secundum omnes suas dictiones latinas*. Signum igitur iterum & hanc approbationem doctrinæ S. Thomæ, ut ipse concludit, spuriam, seù commentitiam esse.

Sextò, vt addit pagina 277. prædicta Bulla supponitur inscripta *Venerabili Fratri Archiepiscopo Tolosano, & dilectis filijs Cancellario Ecclesiæ Tolosanæ, vniversisque Magistris, & Rectoribus cæterisque Clericis, & Laicis in Ciuitate, & Prouincia Tolosana commorantibus &c.* Sed non congruit his omnibus illa clausula, *vt Doctrinam Beati Thomæ sectarentur*, quando, inquit Alua, *nec Archiepiscopus, nec Cancellarius, nec alij erant studentes*, & potiùs dicere debuisset Pontifex, *vt procuretis à Christicolis sequi, teneri, & ampliari*, eo simili modo, quo in antecedente clausula dictum est, *idem Corpus &c. faciatis ab alijs, quantum in vobis est, cum debita honorificentia, ac deuotione suscipi & tractari &c.* Igitur & illa clausula suppositiția est.

Septimò, vt prosequitur pag. 278. sibi componens modum, quo hæc secunda Bulla conflata sit. *In carta, inquit, pellicea, in quâ erat scripta Bulla vera (scilicet prima incipiens, copiosus) Vrbani V, à tergo seù in reuersa facie continebatur rescriptum summi Pontificis ad Archiepiscopum Tolosanum &c. vt habet de more Romanæ Curia &c. & sub hac subscriptione scripserunt Montasonistæ, seù Dominicani suo modo, sumentes stylum, & aliqua verba ex antecedente, & ex vna fabricati sunt duas Bullas distinctas &c. & quia si propalassent duas fuisse Bullas expeditas pro translatione Corporis S. Thomæ, statim alij inquisiuissent: quomodo duas Bullas? quare? quando? vel ad quid datas contra Stylum Curiæ Romanæ eodem anno, & ferè eodem Mense? Ideò nullus ex Scriptoribus Ordinis Prædicatorum vnquam tetigit, seù nominauit Bullam primam, & conati sunt eam totaliter sepelire, si possent &c. & rursus, vt non exeat ad Mundi Theatrum tam ingens error, & tam monstruosa Bulla habens duas facies, & sub vno Capite duo Corpora, nunc occultant illam ab omnium oculis fossam in terra, & repositam in Sudario, & solum istam exhibent in libris sub nomine approbationis, & confirmationis Doctrinæ S. Thomæ. Igitur* (concludit) *satis constare solam primam Bullam esse certam, & legitimam, & illam tantum fuisse expeditam ab Vrbano V. pro translatione Corporis S. Thomæ, secundam autem esse falsam, & fictam*. Hactenus ille.

Octauò tandem *pro complemento omnium supradictorum*, (vt ipse idem Alua loquitur eodem nodo 3. §. 3. pag. 327.) *singularissimum est illud, quod Dauid Romanus* in libro, cui titulus est (*Septem Sancti Custodes ac præsides Vrbis Neapolitanæ*) impresso ibidem anno 1571. fol. 135. de S. Thoma sic habet. *Vrbanus V. cum Sancti Thomæ Corpus Tolosam transferri voluit, omnia huius diuini hominis sua sententia comprobauit, & de Cardinalium cæterorumque P. C. Consilio elogium recitando ita pronunciauit: (tantum à veritate vnumquemque recessurum, quantum à Diui Thomæ Aquinatis sapientia recederet): & tamen nec in Epist. vera, nec ficta Vrbani V. extat elogium hoc, quod communiter Innocentio solent Dominicani adscribere*. Non mirum igitur ab eisdem Dominicanis eodem modo prædictam secundam Epist. Vrbani V. fuisse confictam.

In oppositum tamen est, quod vbicunque profertur Autographum originale alicuius Bullæ, si data simili fingendi, seù subterfugiendi licentia, possit

set aliquis reluctari dicendo illam Bullam confictam esse, nullus iam remaneret obedientiæ locus, nullus proteruos coercendi modus, & confusio in Orbe Christiano intolerabilis oriretur, cui confusioni depellendæ Pontifices adeo sollicitè prouiderunt, vt etiam suarum Bullarum transumptis subscriptione alicuius personæ publicæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut Notarij publici testimonio munitis, fidem exigant exhiberi. At in proposito nostro extat iam, præter transumpta eisdem titulis insignita, Autographum ipsum eiusdem Bullæ secundæ Vrbani V. exordientis, *Laudabilis Deus &c.* vt mox apparebit. Igitur proteruia nimis intolerabilis est comminisci eandem Bullam, non veram, sed fictam esse, eidemve Bullæ sic pertinaciter refragari.

Respondeo, non solum pro priori Bulla, quam Alua concedit, verum etiam pro veritate secundæ Bullæ Vrbani V. incipientis, *Laudabilis Deus* (de qua solus Alua nobis litem audet intentare) satis esse, post tot vererum testimonia, intueri, quæ authenticè exscribit Bollandus Societatis Iesu in opere ingentis laboris ac laudis *de actis Sanctorum* digesto per dies singulos anni, tomo 1. mensis Martij ad diem 7. Martij, vbi verbatim transfert *peruetustum Patris Fratris Raymundi Hugonis manuscriptum autographum in membranis Tolosæ etiam num asseruatum*, vt ipse Bollandus loquitur, continens integram historiam *translationis corporis S. Thomæ iussu Vrbani V. per Reuerendissimum Patrem Fratrem Heliam Raymondi Tolosanum Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum factæ &c.* & dictus auctor prędicti autographi ab initio se dictæ trãslationis testem ocularem profitetur dicens: *Ego Fr. Raymundus Hugonis &c. indignus Seruitor prædicti Magistri Generalis fui ante Magisterium, & in Magisterio ei continuè assisti, factaque indicta translatione antecedenter, concomitanter & consequenter postea Bullas ac facta &c. in hoc libello redegi*, simulque in contestem adducit *Patrem Fratrem Thomam de Sulmona virum veridicum, tunc Socium Reuerendi Patris Fratris Philippi de Theate Prioris Prouincialis Regni Siciliæ*, & rursus instituto nostro consentiens aliud eiusdem temporis autographum manuscriptum habetur (vt subdit pag. 738. Bollandus) in Bibliotheca Vaticana eundem laudans Patrem Raymundum his verbis: *Cum Sacrum Corpus Fratribus Prædicatoribus redderetur Religiosus vir Frater Raymundus præfati Magistri Ordinis Socius, & semper adiunctus vidit per noctem in Ecclesia eleuatum in aere & se grato respicientem intuitu Sanctum præ se stare Doctorem*, scilicet Thomam, vt ibi late eadem apparitio describitur; & demum eidem historiæ à Patre Raymundo conscriptæ consentire etiam alium Mediolani antiquum codicem Ambrosij Taegij (quem Ambrogium Taegium laudant etiam Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum, Lusitanus parte 12. Plodius p. 2. libr. 3. Miræus & alij) consentire, inquam, admonet ibidem Bolandus pag. 656. num. 4. In dicto igitur priori auctographo Raymundi apud Bolandum cap. 1. & 2. per occultam Comitis Fundorum superiori numine deterriti concessionem, *Sacrum Corpus S. Thomæ 11. Februarij anni 1367, in Conuentu Fundorum Ordinis Prædicatorum secretissimè in loco securo positum est*, idemque fere repetitum legitur in Autographo Vaticani his verbis: *fuit Sacratissimum Corpus repositum & locatum in Conuentu Fundensi Fratrum Prædicatorum anno Domini 1367, idibus Februarij Pontificatus Beatissimi Vrbani Papæ V. anno 6, ibi mensibus quatuor solummodo requieuit*, ad quæ priora verba Bolandus nota K, inquit, *relatus hic annus 1367 more Gallorum à Paschate*

tunc

tunc inchoantium annum, quierat annis 1368. Hæc ille & bene, cum vere tunc annus sextus Pontificatus Vrbani V. apud nos inchoantes à Ianuario, fuerit annus 1368, vt iterum repetit infra ad codicem Vaticani nota sexta. Exortis inde expostulationibus Monachorum Cistercienfium Fossæ Nouæ oblatis Romæ Pontifici eodem anno die Cinerum, & procedente causa, inde Sabbato ante octauam Paschatis, etsi antea indignatus Pontifex, placatus non sine numine & humaniter excipiens Generalem Ordinis Romæ, *Tunc Papa supra modum, & per excellētiam, nostrum Ordinem super cæteros ordines mendicantium commendauit, præsentibus Dominis Cardinalibus dicendo specialiter. Non timeo hæreses isto Ordine perdurante.* Interim dilata expeditione causæ, eodem anno 1368, morante Pontifice apud Montem Flasconem, in Festo Corporis Christi (cuius officium S. Thomas composuerat, vt ibidem probatur) eodem Magistro Generali Ordinis depræcante Pontificem coram Dominis Cardinalibus idem Pontifex occasione præmemorati officij laudauit eximie San. Thomæ doctrinam (vt infra ad postremam Aluæ obiectionem ex autographo historiæ verba transcribam) & parumper moratus, velut decretum mature perpendens, *Nos*, inquit, *auctoritate Domini nostri Iesu Christi & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque nostra, damus & concedimus tibi Magistro, & Ordini Prædicatorum Corpus B. Thomæ &c.* & die sequenti ad eius pedes redeunte Magistro Generali, præcepit deferri Tolosam in Ecclesiam Ordinis, præ alijs rationibus, inquit, Pontifex, *Quia ibi est vniuersitas noua in Theologia, quam volo fundari in doctrina solida et firma illius Sancti, vbi vniuersitas Clericorum, quæ singulis septimanis consueuit conuenire in Ecclesia vestra Prædicatorum, ipsam sequatur de præsenti meo mandato.* Audiens vero, præter brachium dexterum à se concessum defferri Parisios, diuisum à corpore caput retineri adhuc extra Ordinē in Castro Piperni, pro recuperando eodem restituendoque eisdem Prædicatoribus, idcirco *Domino Guilelmo*, Tholosano Collectori Apostolico in illis partibus Campaniæ, *Dominus Papa specialem cum magna auctoritate fecit Commissionem, vt ipse compelleret quoscumque habentes corpus et caput B. Thomæ ad sibi integraliter illa tradendum etc. pro vt de hoc specialiter extat Bulla, cuius quidem Bullæ auctoritate dictus Dominus Gulielmus à Conuentu Fundorum nostri Ordinis corpus D. Thomæ etc. et à communitate de Piperno caput recepit etc. et ad Montem Flasconem, vbi erat Dominus Papa, deportauerunt*: En primam Bullam incipientem, *Copiosus*, quam similiter idem Codex Raymundi in fine per extensum habet, memoratque simul manuscriptum Vaticani apud Bolandum num. 7. dicens: *Festinant ergo nuncij Apostolici cum litteris et sententijs Papalibus ad Ciuitatem Fundorum Castrumque Peperni, in quibus sacri corporis et capitis reliquiæ seruabantur: inde ad Montem Flasconem ad eundem Vrbanum Pontificem defferunt*. Postmodum (pergit Codex Raymundi) *die 4. Augusti anno 1368. Pontificatus sui anno 6, iussit Dominus Vrbanus realiter tradi corpus et caput prædicto Magistro Ordinis per Reuerendissimos Dominos Cardinales Morinensem, et Marcum Ordinis Minorum præsentibus multis etc. pro vt hoc in quodam instrumento per duos Apostolicos Notarios ibidem confecto plenius continetur*; & legitur authenticum ex integro hoc instrumentum sub eodem die 4. Augusti apud Bollandum pag. 733; & concinit manuscriptum Vaticani post hæc eadem recitata num. 8. subiungens: *extant quoque per singula de prædictis litteræ Apostolicæ et publica instrumenta, iuramentis, et testimonijs vallata solemnibus.*

Licet vero nos pigeat hic Bullam priorem (quæ per extensum etiam apud Bollandum recitatur) exscribere, non possumus tamen non referre saltem eiusdem clausulas ad rem nostram eximie extollentes eiusdem Sancti Thomæ doctrinam, dum inter alia de eodem sic habet. *Tanquam egregius Doctor per sua prælucida ac salutifera documenta vniuersalem illustrauit Ecclesiam, eam decorando virtutibus et moribus informando*, mox concedens eiusdem corporis brachium dexterum transferri Parisios in Ecclesiam Prædicatorum *ad decus*, inquit, *et decorem totius studij Parisiensis, in quo idem Sanctus sua fæcunda facundia cælestis irrigui gratia influente, scripturarum enigmata reseraüit, soluit nodos, obscura dilucidauit, dubiaque præclusit*, hæc ibi. Verum his non contentus Pontifex idem Vrbanus (vt pergit apud Bollandum idem Raymundi codex cap. 4.) *iterum ad se accedenti Magistro Ordinis dixit. Videas, et bene attendas, quod prædictum sacrum corpus simul cum capite, cum pannis decentibus in eadem arca ponas, et extra arcam depingi facias arma nostra; et super arcam affigi facies cum clauis Bullam nostram, quam specialiter volumus super hoc ordinare, et tibi tradere consequenter:* En Bullam secundam, quam in fine post priorem Bullam idem Raymundus de verbo ad verbum apponit incipientem. *Laudabilis Deus etc.* & de eadem, post ante relata superiora verba, etiam manuscriptum Vaticanum prosequitur sic: *scripsit etiam præfatus Vrbanus litteras Apostolicas studio Tolosano S. Doctoris extollens gloriam & approbans Apostolica auctoritate doctrinam*, & iterum codex Raymundi mox infra concludit: *de quibus concessionibus in Conuentu Tolosæ nunc extant litteræ atque Bullæ, quarum copia in hoc libello fideliter etiam est annotata*, scilicet in calce, vt præmisimus, & Bolandus ipse transcribit. Omitto descriptum ibidem à Raymundo eodẽ anno iter à se cum alijs susceptum translationis eiusdem corporis, primo quidem pertransẽũdo Florentiam, Bononiam, & Ripolim, & perueniendo Prulianum Prouinciæ Tolosanæ, *in quem locum*, inquit, *intrauimus cum præfato sacro corpore in proxima vigilia natiuitatis Domini etc.* &, vt paulo ante præmiserat, *ibi fuit per mensem etc. In exitu dicti Monasterij Pruliani die Veneris, quæ fuit dies 26 Ianuarij, iacuimus in Auinioto. die Sabbati iacuimus in Monte Gliscardo etc. die Dominica, quæ fuit 28 dies Ianuarij, sacrum corpus fuit positum circa auroram in Capella dicta del Ferctra extra Tolosam*, vbi prosequitur ennarare occurrentes Magnates, & Religiosos ad idem excipiendum solemniter, & transferendum eadem die in Ecclesiam Prędicatorum Tolosę &c. & concinit manuscriptum Vaticani concludens: *Tolosæ in Domo Fratrum Prædicatorum sui Ordinis ineffabili cum honore locatum anno Domini 1369, Pontificatus eiusdem Domini Vrbani V. anno 7*; tam & si (vt supra ex Bollando notauimus) more antiquo Gallorum inchoantium annum à Paschate, non à Ianuario, vt inchoamus nos, hic idem annus diceretur adhuc annus 1368, ex quo adhuc in Breuiario nostro sic legitur. *Facta est hæc translatio 5. Kalendas Febuarij anno Domini 1368*, cum tamen iuxta nos Italos ne dum annus septimus Pontificatus Vrbani, verum & translationis eiusdem solemniter completæ fuerit annus 1369 ab initio, scilicet 28 Ianuarij; nisi quis dicere malit, satis esse etiam iuxta nos Italos intra annum 1368 sacrum corpus incæpisse transferri de Italia in Galliam & Prulianum vsque Prouinciæ Tholosanæ peruenisse in vigilia Natiuitatis Domini, vt retulimus, non completo adhuc eodem anno 1368, ita vt more Italico etiam verum sit, quod in eodem Breuiario legitur. Verum ista, vt dixi, tanquam aliena à

nostro

nostro instituto dimittimus, cum satis pro re nostra iam cōstet ex contestibus, eisque ocularibus translationis eiusdem, eodem anno 6. Vrbani V, præter priorem Bullam incipientem, *Copiosus*, neutiquam sane Tolosanis inscriptā, prodijsse secundam incipientem, *Laudabilis Deus*, cum epigraphe ad Tolosanos &c: quod sane Alua præaduertere debuisset, atque perpendere simul, quomodo iuxta prænarratam rerum ac temporem seriem appositè idcirco ea prior Bulla, *Copiosus*, subscribatur. 16. *Kalendas Iulij*, idest die 17 Iunij; secunda vero, *Laudabilis*, data sit 11. *Kalendas Septembris*, idest die 22. Augusti, vt opportune conferenti tempora mox præcitata delationis corporis & capitis è Campania ad Pontificem per priorem Bullam obtentę, & inde subsecutæ consignationis & translationis eiusdem corporis cum secunda Bulla Tolosam, res manifeste constabit.

Inde vix transactis à translatione prædicta decem & octo annis, nempe anno 1387. Ioannes de Montesono apud Vrbanum VI. Romæ defendens suam controuersiam aduersus Parisiēses, eandem Bullam pro approbatione doctrinæ S. Thomę coram summo Pontifice & Dominis Cardinalibus protulit, quod profectò, nisi eadem constitisset, non præstitisset, nec Romæ præsertim, vbi ex Archiuo Romano dignosci poterat, eam tunc producere licuisset. Inde continuata scriptorum successione referentium eandem (vt aliquos adminus tangam) D. Vincentius Ferrerius, qui ex Chronico Ordinis paulo post floruit, nempe ad annum 1401, in sermone de S. Thoma eandem Bullam recensset; Ioannes Capreolus Tolosanus, qui ex eodem Chronico claruit ad annū 1416, agnoscit appositè Tolosæ scribens eandem in secundo dist. 2. qu. 1. ad 1. Gregorij. D. Antoninus, clarescens ad annum 1430, par. 3. historiæ titulo 21. capite 10. de Vrbano V. sic inquit; *mandauit autem ipsum corpus defferri Tolosam scribens studio Tolosano Sancti extollens gloriam & approbans Apostolica auctoritate doctrinam*. Raphael de Pornasio succedens eidem eadem ferè verba Diui Antonini in Tract. de Virgine reperit. Eodem sæculo ad annum 1475. Vincentius Dodi in Apologia pro doctrina S. Thomæ pag. 6, & Girardus Renerius in Opus. de Originali peccato, & Petrus de Vincentia in simili Opere, & in alio Opus. inserto Catenæ aureæ S. Thomæ ex eadem Bulla Vrbani V. eandem producunt doctrinæ S. Thomæ approbationem. Petrus Bergomensis in sua tabula aurea edita ad annum 1480 affert idem elogium ex Vrbano V. Lambertus de Monte in libro de Anima impresso Coloniæ anno 1494. profert eandem Pontificis laudem. Vincentius Bandellus Magister Generalis Ordinis electus anno 1505 (qui ex Chronico Ordinis simul cum Paulo Soncinate fuerat auditor prædicti Petri Bergomensis) & hic non semel eandem Bullam exscribit in Opusculis de Originali peccato. Compilator Opusculorum San. Thomæ editorum anno 1508 inserit eandem. Thomas Caietanus Procurator Generalis Ordinis eodem tempore, quo Bandellus Magister Generalis erat, in longè ante evulgato Opusculo de ente & essentia, dum Patauij Metaphysicus esset (ex Chronico Ordinis) ad Caput 5. de Ente & Essentia q. 9. in solutione ad postremum Antonij Trombetæ eadem vtitur Bulla Vrbani V. Pontificis. Franciscus Ferrariensis, & Bartholomæus Spina Pisanus, ambo coæui eidem Caietano, ille in secundo contra gentes cap. 93 hic in Opusculo contra eundem Caietanum capit. 3. eandem Bullam Vrbani commendant,

Grauarer nimis, lectoremque tæderet, si præter tot Veteres, quos præteriui, congerere vltrò subsequentes Doctores, innumerosque recentes in proposito cogitarem. Sat est nec vltro Aluæ licuisse negare extare Tolosæ vsque ad hæc tempora in Conuentu Prædicatorum, (iuxtà præcitata etiam apud Bolandum exscripta) autographum, ne dum prioris, sed etiam posterioris secundæ Bullæ Pontificis Vrbani V. ex quo Autographo, inquit Alua eodem hoc nodo 3. S. 1. pag. mihi 269, *Post aliquas diligentias exquisitas per interpositas personas, peruenit ad manus meas quoddam transumptum authenticum à D. D. Ioanne de Frut doctore Canonico Archidiacono Metrapolitanæ Ecclesiæ Tolosanæ & Vicario Generali ibidem, sigillo Archiepiscopali munitum, & à Secretario Du Tille authorizatum &c.* in quo exscriptæ reuera extant eodem modo, ac leguntur apud Bolandum & nostros, per extensum ambæ Vrbani V. Pontificis Bullæ; & demum specialim hanc secundam Bullam eodem modo se habentem omnino de recenti transcribit Illustris. ac Reuerendiss. D. D. Reginaldus Lucarinus Episcopus Ciuitatis Plebis, antea Sacri Palatij Magister, in suo Manuali Thomistico in fine sic dicens. *Bulla Vrbani V. ex Codice Archiuij Vaticani, postquam ibi auctor huius, Manualis proprijs oculis eam vidisset, & legisset, ad verbum transcripta.* Quis igitur poterit amplius eum solo Alua de veritate eiusdem Bullæ, vel proteruiendo ambigere, aut dubitare? quid vltrò remanet, nisi vt eiusdem Aluæ tam libere fabulantis veriusve somniantis phantasmata potius, quam argumenta, ex prænitente adeò hucusque dictorum luce dissipanda soluantur?

Ad primum igitur, falsum est Montesonum primum omnium eam Bullam Vrbani V. memorasse, cum eam simul cum priori Bulla suis Opusculis de translatione inseruerint, tum Raymūdus Vgonis, tum alter auctor Codicis Vaticani, tum alij: falsum insuper est Montesonum non exhibuisse integram Bullam; licet enim eam fortè non exhibuerit in prima sua defensione Parisijs coram Parisiensibus, à quibus velut iudicibus incompetentibus in dijudicanda doctrina S. Thomæ iam approbata à Ioanne XXII. & Vrbano V. appellare intendebat, attamen apud Summum Pontificem Romæ coram D. D. Cardinalibus dubium non est eandem ex integro à Montesono fuisse productam, adeò vt etiam Alua pag. 257. tandem id negare non audeat, dicens: *si autem Montesonus præsentauerit Summo Pontifici & Consistorio Cardinalium integram Bullam Vrbani Quinti &c. mihi incognitum est, quia tractatus ipsos Ioannis de Montesono inuenire non potui.* Hinc, si vere adsunt in Apologia Parisiensium ea verba, *non fuisse exhibitam Bullam Papæ &c.* vt refert Alua funiculo 1. pag. 18. (quæ tamen in Apologia Parisiensi impressa ad finem Magistri Sententiarum non leguntur) hoc, inquam, dato procedunt expressè de prima defensione Montesoni Parisijs, dum inde ad hunc sensum ibidem opportunè concluditur, *hoc non debuisse dictum processum impedire*, scilicet Parisijs, non verò procedunt de secunda defensione Romæ, de qua in Apologia impressa, vt supra, idem Auctor Parisiensis in obiectionibus circa tertium Articulum prosequitur sic: *ad secundam obiectionem Respondetur quod ex prædicta Bulla Domini Vrbani &c. aut alia quacunque littera authentica &c.* En non audet amplius negare Bullam Romæ saltem authenticè fuisse productam. Quid vero mirum Ioannem Thomæ, aut Raphaelem de Pornasio, aut huiusmodi paucos aliquos confessos esse (si vera Alua recenset) se non legisse Bullam eandem? veluti non adsint adhuc in Bul-

lario

lario quamplurimæ Bullæ, & in Decretalium Opere plures Apostolicæ litteræ, quas non pauci è Magistris adhuc non viderunt (sicut nec Augustinus viderat sanctiones Concilij Nisseni, vt ipse fatetur epist. 110.) nec tamen eas extare aut veras esse prudens aliquis dubitabit. Quid mirum Ioannem de Montenigro, vel Ioannem alterum de Turrecremata, non sanè tractantes de defensione vel approbatione doctrinæ San. Thomæ, licet in suis Operibus eandem laudent, ac sequantur, idcirco non meminisse prædictæ Bullæ secundæ Vrbani, quemadmodum nec meminerunt prioris (quam tamen agnoscit Alua, in eaque commendatam simul doctrinam S. Thomæ concedit) immo nec meminerunt Bullæ Ioannis XXII. referentis inter Cælites S. Thomam, eiusdemque approbantis Doctrinam? Cur non sufficit tot reliquos alios, etiam anteriores, prædictę Bullæ Vrbani mentionem congruam per seriem temporum eamque concordem ad inuicem habuisse? Cur plerisque silentibus magis priorem Bullam Vrbani quam posteriorem, vt Alua ipse concedit pag. 278, hoc non obstante illam primam Alua contendit veram esse, falsamque secundam, cum potius oppositum (penes eundem Aluam è negatiuis hic arguentem) hinc deducere debuisset?

Ad secundum, cum certò constaret, successuque temporum iam traderetur Vrbanum Pōtificem in Bulla ad Tolosanos S. Thomæ approbasse doctrinam, quid inde mirandùm, si vetustiores præsertim in exprimendo (quod notum erat) quinam hic numero Vrbanus fuisset, & aliqui posteriorum subinde in vestigando hoc eodem velut in re minoris momenti non tam sollicitos se præbuerunt? quid rursus si transcriptoris vel incuria Typographi, in nomine Vrbani V, loco prioris Puncti aut posterioris, parvula apposita littera I. factum est nomen Vrbani IV, vel VI, pro V.? cū tamen omnes conuenire sit satis, illum Pontificem inter Vrbanos fuisse, qui in Bulla Canonica (sic enim legi debet Barlette, *non Canonizationis*, vt perperam quidam ex ly Canon: abbreuiato mutarunt) transmissa ad Tolosanos cum translatione Corporis San. Thomæ eiusdem S. Thomæ doctrinam *tamquam veridicam seu benedictam, & catholicam sectari ac totis viribus ampliari* praecepit, vti & in quamplurimis alijs aliorum Pontificum Bullis passim solitis recitari in Veterum Scriptorum libris non semel hanc numeri varietatem contingere compertum est: & alioquin etiam Corporis S. Thomæ translatio Tolosam sub dubio reponeretur eadem ratione (qua dubitat Alua de Bulla) quia prædictæ translationis auctorem Pontificem ijdem recitati ab Alua nuncupant Vrbanum indeterminate, & vage, alij Vrbanum Quartum, alij Vrbanum Sextum, & alij Quintum, vt reuera fuit, nec tamen Alua, vel alius hucusque vnquam, de translatione dubitauit. Sed denique lector, obsecro, videas præ alijs Gabrielem Barleten (quem præ cæteris irridebat obijciens), & mendum indicatum typographi deprehendes, dum in editione Veneta loco recitato sic legitur. *Tertio per &c. Vrbanus IV*. 1. *Epist. Canonizationis &c.* quis horum verborum sensus? quis non agnoscit erratum typographi, semet, vel auctore, vel correctore tacente, prodentis?

Ad tertium, quidquid sit de minimo mendo consimili apud vnicum Aluarez ponente diem 30. Augusti pro 22 eiusdem Mensis, certum est omnes, qui nedum memorant Bullam (vt Aluarez) sed exscribunt ex integro Bullam, siue nostros, siue extraneos, quos recitauimus, vnanimi consensu conuenisse in exscri-

exscribendo eandem velut datam 11. *Kalendas Septembris Pontificatus anno 6*, qui reuera fuit annus 1368, cum antea die 11. Februarij eiusdem anni (apud Italos inchoantes à Ianuario) anni verò 1367. apud Gallos (inchoantes annum à Paschate) depositum fuisset Corpus S. Thomæ in Conuentu Fundensi Ordinis Prædicatorum, quemadmodum ex Autographo Raymondi, & Vaticani simul, & Bolandi protulimus. Et hoc dumtaxat, & nihil aliud, Lectio illa quinta recitata in Obiectione ex antiquo Dominicano Breuiario intendebat, tametsi vno solum mutato numero (vt nimis facile fit à Typographis aut trāscriptoribus) pro 67, positum esset 77, ac subinde in Lectione 9, pro anno translationis Tolosam 1369, positum esset similiter 1379, etiam Alua fatente pag. 274 *in alio antiquo Breuiario translationem factam referri anno 1369*; pro quo anno deinde cur modo in Breuiario nostro dicatur eadem translatio facta anno 1368, satis mox ante iam diximus, & supputationem vtramque subsistere in diuerso ritu Gallorum aut Italorum cum Bolando abbunde, vt arbitror, prædeclaratum est; nec aliud restat, nisi vt incogitantiam Aluæ iterum corrigamus, qui planè non vidit ex ista (si quę esset, aut quam ipsi preelusimus) contradictione apparente in tempore translationis Corporis Sancti Thomæ translationem potius ipsam (quam certè Alua non negat) non vero Bullam Vrbani (quam solam impetere conabatur) sub dubio fore vel contra ipsum in ista hypothesi reponendam.

Ad quartum, vidimus iam ex oculari testimonio Lucarini Episcopi, Romæ scribentis, extare similiter Romæ in Archiuo Vaticani Bullam eandem Vrbani Quinti incipientem, *laudabilis Deus*, vt ipse integram ex eodem Archiuo transcribit, non verò transcribit Odericus Rainaldus, quia breue dumtaxat *Compendium* Annalium Ecclesiæ se scribere etiam in Operis titulo profitebatur, neque propterea tenebatur simul cum laudata breuissime translatione Corporis S. Thomæ Tolosam, *ex Ordinatione Apostolica, & voluntate dicti Vrbani Papæ*, vt ipse loquitur, expressiùs siue prolixius (quam in his verbis indicauerat) vlteriùs eandem Ordinationem seù Bullam intexere, satis iam in Bzouio à se antea visam ex integro recitari, quemadmodum eadem ratione præteriuit exprimere alteram priorem Bullam Vrbani incipientem, *Copiosus*, quam tamen & Alua veram esse cognoscit. Sed ad quid hic plura verba consumimus? dum hæc omnia pro editione parata essent, ad manus meas delatus est liber nostri Magistri Fontanæ inscriptus, *Epinicia sacra S. Thomæ*, in quo pag. 40. post exscriptam ex integro eandem Vrbani Bullam hæc authētica attestatio subijcitur. *Ego infrascriptus fidem facio, & attestor, qualiter præsens sumptum fuit extractum, ex Archiuo secreto Vaticano, existens in libro Bullarum Vrbani Quinti anno 6. fol. 20. à tergo, & collationatum concordat &c. Ideò in fidem subscripsi & meo sigillo signaui Romæ hac die 20. mensis Decembris 1667. F. Rauissa Epis. Sydoniens Archiuij Vaticani Prefectus* Loco ✠ *Sigilli*.

Ad quintum, cum Alua iam fateatur pag. 257. *se tractatus ipsos Ioannis de Montesono inuenire non potuisse*, imprudens propterea ariolatur, dum suspicatur sic illam clausulam à Montesono fuisse productam, qui potius integram Bullam, vt nunc legitur, etiam tum Romæ, & nunc extantem, protulisse coram Pontifice censendus est; ex qua deinde de more eorum, qui obiectiones aduersariorum contra se factas in compendium restringere consueuerunt, auctor

Apolo-

Apologiæ Parisiensis sensum potius Bullæ quam verba contra se producte recensebat dicens. *secundum, quod opponitur huic nostro tertio A. est, quod Dominus Vrbanus Papa Quintus per eius Bullam Vniuersitati studij Tolosani scripsit, & voluit eiusdem Sancti Doctrinam tanquam benedictam & catholicam sequi, & teneri à Christicolis, & studiosis, & eam pro viribus ampliari*. Sic ille. Vbinam quæso hic Parisiensis professus est in hæc verba Pontificem loquutum esse, *Volumus & c.* vel dixit saltem se ex eiusdem Bulla illa verba exscripsisse? vti alioquin iuxta intentum Aluæ dicere debuisset, cum tamē potius in persona tertia de Pontifice loquens ac restringendo solummodo eorundem verborum sensum, & referendo sic dicat, *voluit & c.* immo ne dum illud verbum *sequi* in sensu passiuo (quod planè in hoc sensu Sapientissimus Pontifex non protulisset) nimis barbare vsurpauit, verum etiam loco illius Pronominis, *Vos*, quo singulos anteà desfignatos in Epigraphe litteræ idem Pontifex alloquebatur, Parisiensis in tertia persona restringens apposuit de suo illa verba, *a Christicolis, & studiosis*. Quis igitur dicat, *Clausulam istam Bullæ, prout adducitur ab isto Parisiensi, esse illam veram & legitimam* magis, quam pro ut adducitur a Veterioribus, & recentioribus, extraneis simul ac nostris, quos antè referebamus? & tamen sic dicere non erubescit Alua pag. 277. nec sui memor nec conscius consequentiæ, qua inde fit saltem etiam Bullam secundam Vrbani *veram esse & legitimam*, (quod ipse negabat) si clausula ista in eadem posteriori Bulla contenta (non vero etiam quoad sensum in alia Bulla priori) *vera & legitima est*, vt in præsenti contendit. Vide quo tandem breuia adeò mentientis vestigia deducant, &, ut alter aiebat, quomodo mendax sese velut alter Scorpius suomet veneno sic feriat.

Ad sextum, nego illa verba (*vt D. Thomæ doctrinam sectarentur & c.*) non congruere *Archiepiscopo, & Cancellario, eo quod studentes non essent*, numquid enim Doctores in Cathedris, & Pastores in templis instruendo Auditores ac Populos sacram doctrinam Doctorum sequi necesse non est? numquid vltrò subiuncta particula (*eamque studeatis totis viribus ampliare*) non proximius tangebat eosdem vel supremos in Dioecæsi Doctores, qui licet discendæ alterius doctrinæ non indigerent, possent tamen studentibus reliquis quoad speculabilia præsertim, & Laicis quoad moralia saltem, eandem pro Doctoris Pastorisve munere suadere sectandam, ac ita *totis viribus ampliare*? Apage, pudet me nugis his Aluæ adeò puerilibus, & infantilibus, immorari.

Ad septimum lepida sanè illa fabella est, quam nec Lucianus in nos, etsi tam impius in Christianos, effingere cogitasset. Quis enim nescit, de more Curiæ Romanæ, in vno simplici Pergamineo folio, non geminato, etsi peramplo, exarari solere Diplomata? quis tursus in fronte non vidit similem prolixam Epigraphen (vt illa erat) consueuisse describi? quis non legit hunc solum titulum Bullæ prioris Vrbani V. fuisse (vti & Alua transcribit pag. 270.) *Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam*? quis inficiabitur eandem priorem Bullam expeditam (vt vidimus, & ex eiusdem contextu dignoscitur) pro recuperandis Corpore, & Capite S. Thomæ è partibus Campaniæ &c. non potuisse proinde Tolosanis inscribi? quis non perpendit priorem datam sub die 17. Iunij, posteriorem vero eodem anno sub die 22. Augusti, opportunè vtramque temporibus suis vtrinque congruere, illam quidem,

tem-

tempori anteriori, quo in Campania adhuc caput S. Thomæ cum Corpore detinebatur, istam vero posteriori tempori, quo delatum apud Pontificem & Ordini Prædicatorum concessum subinde eiusdem iussu Pontificis eodem anno transferri Tolosam inceptum est? Quis non recolit oculares contestes eodem tempore translationis scribentes, vtramque distinctam Bullam (nec occultata priori, vt imponit Alua) scriptis suis inseruisse, & evulgasse; quemadmodum monumenta adhuc vetustissima manent, ne dum Tolosæ, Mediolani, & alibi, verum & Romæ in Bibliotheca Vaticana, pro vt Bolandus exinde exscribens, ac singula imprimens de recenti testatur? quis vltro non miratur Aluam non recordari, quod infra recognoscit ac confitetur, etiam Clemētem VIII. sub eodem anno 1603, & eadem die 22. Decembris, duas Apostolicas litteras de eodē Patronatu S. Thomæ pro Vrbe Neapolitana expediuisse, alteram ad Deputatos Ciuitatis, alteram ad ProRegem, & similiter Alexandrum VII. eodem anno 1660, & eadem die 7. Augusti, de eadem materia Iansenij & Augustini doctrina, scripsisse duas epistolas Apostolicas, alteram ad Rectorem Vniuersitatis, alteram ad Decanum cæterosque Magistros? quis itaque fabulam, quam de suo dumtaxat cerebro peperisse profitetur Alua, de exarata nimirum à nostris in eodem folio prioris Bullæ à tergo, sub eadem epigraphe, secunda Bulla Vrbani, experpensis hucusque non ridet, non auersatur, ac vno verbo contemnit?

Ad octavum tandem, si semel verum est Dauidem Romæum in eo libro (qui præsto non adest) illa scripsisse, vt Alua recenset, (qui non semel, immo frequentissimè, falsa retulisse conuincitur) hoc dato, inquam, concedimus ea verba Vrbani in neutra Bulla priori aut posteriori reperiri, verum incumbebat Aluæ probare (quod nullibi præstat) eadem verba non potuisse oretenus coram Cardinalibus ab eodem Pontifice pronunciari, quem alioquin constat (præter scripta in duabus prædictis Bullis) eximiè eandem S. Thomæ doctrinam repetitis vicibus commendasse, tum ex laudato Codice Vaticani narrante Pontificem in concedendo etiam Capite S. Thomæ Magistro Generali Ordinis hæc protulisse, *ecce, inquit Vrbanus, tibi tuoque Ordini reddidi corpus, & rursus ipsius tibi caput, cælestis vbique sapientiæ gazophilazium, Apostolica auctoritate concedo, In nomine Patris & Filij, Spiritus Sancti*, tum ex eodem Codice præmittente mox ante: *vbi de Concilio Vrbani V. coram Cardinalibus &c. exortus est sermo fideli & efficaci sermone comprobatus, quod S. Doctor totum solemnitatis Corporis Christi officium sub Vrbano IV. composuit: & quod non tam humano ingenio, quam diuina inspiratione dictauit, acclamantibus omnibus &c.* tum ex supra relato autographo Raymundi cap. 3. de eodem Pontifice mandante deferri corpus Tolosam ob ibi recentem *vniuersitatem, quam,* inquit Pontifex, *volo fundari in doctrina solida, & firma istius Sancti*, & in concedendo brachium eiusdem dexterum Parisijs, *vbi* inquit Vrbanus, *tot & tanta Sancto illo brachio scripserat*, tum paulo ante in eodem capite 3. sic habetur: *& addidit Dominus Papa, quod B. Thomas singularem gratiam habuit inscribendo &c. qui etiam illud Capitulum (cum Martha) de celebratione Missarum, exposuerat, quod a tempore quidem ipsius B. Thomæ Canonistæ pertractare & securè legere potuerunt, tamen communiter non sic ante*, ac si diceret (quod Romæus exinde videtur intellexisse) hoc pro exemplo adducens, tantum vnumquemque minus saltem securum esse de non recedendo à veritate, quantum à

præ-

praedicta doctrina S. Thomae recederet. Haec dixi tantummodo, ne Romaeus in hoc falsarij nomine ab Alua conuictus esse dicatur, si (vt dixi) id de Vrbano V. referebat, quod de Innocentio facilius intelligere potuisset, cum tamen Alua ipse in hoc eodem nodo 3. §. 1. econuerso sit manifeste conuictus inter caetera etiam falso retulisse Venerabilem Porrectam nostrum in proloquio *de altitudine doctrinae Thomisticae*, velut post recitatam hanc Vrbani Bullam, ad marginem apponentem: *scripta D. Thomae vocantur Dei opera & non sine speciali Dei infusione perfecta*, quod elogium, inquit Alua, *neque in Bullla vera, neque in falsa Vrbani V. inuenitur*. Sed falso, vt aiebam, haec Alua retulisse conuincitur, dum ista verba in margine Porecta ponit, non ad Bullam Vrbani, sed verius ad Bullam Ioannis XXII, vt legenti patebit, in qua re ipsa inueniri eadem verba videbis. Non igitur Aluae relationibus amplius fidendum esse iam constat.

ARTICVLVS II.

Quam falso exageret Alua euentum causae nostri Ioannis de Montesono cum Parisiensibus, vt inde eidem ac nostris imponeret praedictae Bullae commentum.

Videtur Aluae, tum nodo 3. §. 1, tum nodo 5. §. 2. adeo infeliciter cessisse causam Montesoni cum Parisiensibus, vt eiusdem euentum non semel amplificet, iactet, ac repetat pro aucupanda nimirum aliqua verisimilitudinis specie his, quae de conficta à nostris praedicta Bulla Pontificis fabulabatur. Et primo pagina 251 ex Ioanne Gersone recenset Ioannem de Montesono post suam primam defensionem Parisijs anno 1387, praessum mandato ac censuris Accademiae Parisiensis, *pollicitum fuisse ea, quae dixerat, infra triduum retractare: sed* (vt prosequitur Gerson) *Iudaei Messiam, Arcturum Britones, illum nos triduum expectamus*. Non mirum igitur (subinfert obijciens) eundem Ioannem de Montesono aufugientem Parisijs, tot turbas postmodum excitasse damnificas Ordini Praedicatorum, & quae ipse subiungit, non immerito successisse.

Secundo ad hoc producit pag. 252 idem Alua quoddam publicum instrumentum Rotomagij celebratum die 28. Aprilis 1389 per publicum Notarium G. Gualterium coram doctore Mattheo Anequetil Iudice Apostolico deputato in hac parte *per Dominum Papam* Clementem VII. &c, in quo publico instrumento nunc existente in Archiuo Parisijs, quidam Frater Ricardus Maria Ordinis Praedicatorum Couentus Rotomagensis sponte fatetur, tunc in Capitulo Generalis Ordinis impositam fuisse contributionem super capita Fratrũ pro agenda causa Romae in defensionem Ioannis de Montesono aduersus Parisienses, indictis etiam communibus precibus in Ordine pro causa eadem & deputatis selectis decem Magistris defensioni eiusdem, *quia dicebatur*, vt loquitur ille Frater Ricardus, *quod de propositionibus illis de Montesono erant aliquae, quae erant de doctrina S. Thomae*. Non mirum igitur iterum, vt concludit Alua, tam anxie Ordinem Praedicatorum in hac causa velut communi, & ne dum priuata, laborasse, *vt tota religio in capite & in membris facta fuerit sub tributo*.

Tertio his non obstantibus, vt prosequitur pagina 261, *adhuc existit instrumentum authenticum in Archiuo vniuersitatis Parisiensis, cuius titulus est. Sententia excommunicacionis lata Auenione contra Fratrem Ioannem de Montesono anno 1389,*

die 27. Ianuarij, & fulminata Parisijs die 17. Martij, illaque Auenione edita fuerat, vt in titulo dicitur, *per Guidonem Episcopum Prænestensem, Leonardum tituli Sancti Sixti, & Æmilium tituli Sancti Eusebij, Presbyteros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Iudices, Commissarios per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum nostrum Clementem diuina prouidentiam Papam VII, causa vel causis, ac partibus infrascriptis specialiter deputatos &c.* pessimè igitur religio Prædicatorum, Montesono obstricta, causa cecidit cum Montesono.

Quarto iterum infra idem Alua nodo 5. §. 2. à pag. 435. addit eodem tempore controuersiæ, etiam intermedio inter primum decretum Parisiense, & postremam sententiam Auenionēsem, plures Dominicanos fuisse coactos Parisijs retractare propositiones Ioannis de Montesono à se pro illo defensas, inter quos nuncupat Ioannem Adæ retractantem anno 1389. die 20. Augusti coram vniuersitate, Ioannem Thomæ anno 1388 die 21. Martij, Ioannem Nicolaij anno 1390. die 13 Septembris, ac præ cæteris Guilielmū Ebroicensem Episcopum ex Ordine Prædicatorum assumptum, & Confessarium tunc Regis Caroli VI, reuocantē anno 1388. die 17. Februarij in Palatio Regis &c. Apparet igitur, ut ipse intendit & infert, vndequaque infelicissime vtique hanc causam Ordini Prædicatorum tunc contigisse, adeo vt nulla in hoc Aluæ amplificatio accusanda alicui videri possit.

In oppositum tamen stat (præter duos nostros recentiores apologistas ex Gallia, quorum alter §. 8, alter lib. 4. apologetico sectione 2. ar. 2. §. 2, breuissime licet, huic ex Alua criminationi respondebat) longe antiquior eodem Alua ipse Pater Mallor libro de viris illustribus Domus Sancti Iacobi Parisijs non infelicem adeo hunc describens euentum, *cui* (vt loquebatur præcitatus secundus scriptor) *cum Parisiensis Accademiæ Doctori licuerit eius tabulas & documenta exactius, quam Petro de Alua, excutere, maior etiam fides habenda est*. Non obstantibus igitur huiusmodi amplificationibus Aluæ nequaquam adhuc admittendam infortunatam adeo hanc causam, siue Ioanni de Montesono, siue Ordini successisse.

Respondeo in hac re quædam per ordinem, eaque manifesta, lectorum oculis subijcienda esse, vt ea perpendendo diiudicent, quanta diuersitate longe deformior ac tetrior, quam re ipsa fuerit, huius euentus facies à fœdo & infido Aluæ penicillo pingatur. Et primo (vt vtar verbis eiusdem met Aluæ nobis aduersi pagina 262.) *Tempore huius controuersiæ inter vniuersitatem & Montesonum, magnum surrexerat Schysma in Ecclesia Dei, ex vna parte extabat Roma Vrbanus Sextus electus in summum Pontificem eodem anno controuersiæ: & ex altera parte Clemens VII. Auenione habitus vt Schysmaticus, & Antipapa*. Sic loquitur Alua concedens Parisienses stetisse pro Papa Schysmatico, & ab eodem delegatos fuisse tres illos Cardinales, qui Auenione postremo in Ioannem de Montesono edidere sententiam: & consentit (præter alios historicos) etiam antiquum chronicon Ordinis Prædicatorum de Vrbano VI. sic habens: *hic cum Cardinales Gallos & Vltramontanos malis moribus accusatos corriperet, ab eis derelictus est. Vnde elegerunt alium schysmaticum, quem Clementem VII. appellauerunt, & sic factum fuit schysma in Ecclesia Dei omnium pessimum, quod durauit quadraginta annos, nam Italia, Germania, Anglia, Portugalia, Ibernia, Datia, Polonia, Boemia, & Vngaria Vrbano, Francia vero Clementi obediebant &c. & Magister Raymundus Or-*

dinis

dinis Generalis Romæ adhæsit Vrbano, & successoribus. Hæc quæso Lector attendas, nec puto miraberis, quæ his infortunatis temporibus contigerunt.

Secundò igitur hoc eodem tempore noster Ioannes de Monresono, publicè Parisijs legens, 14 protulit propositiones, quę per extēsum adhuc leguntur in Apologia Parisiensi impressa ad finem Magistri Sententiarum, quæque proinde totius acris adeo & tam amarulentæ controuersiæ occasio fuere; Parisiensibus quidem contendentibus primo illas à Montesono Parisijs reuocandas esse, renuente vero id agere Montesono, & ideo illis vltro tentantibus ab Ecclesia proscribi (quod consequi vnquam non potuerunt) hoc vero pro earundem defensione appellante Pontificem Romæ, velut ex approbata mox ante S. Thomæ doctrina deducerentur. Inter quas illæ præsertim, quæ peius à Parisiensibus habebantur, scilicet notam hæresis inurentes piæ nunc communiori sententiæ in materia Deiparæ, sanè pro vt tales, cum tali censura, Sancti Thomæ non erant (qui non ita vsus censuris huiusmodi, me quidem iudice, reperitur) tam etsi Montesonus quoque (vt legitur in prolixiori apologia Parisiensi existente in archiuo Parisijs, & ab Alua recitata pag. 432.) circa 11 propositionem censuram huiusmodi continentem, *dixerit in consistorio de hac propositione, quod ipsam proposuit tanquam opinabilem & ibi vsus fuit isto termino expressissime &c. & postquam allegauit plures Doctores similiter tenentes &c. inter quos quidam tenent quod oppositum dicere est hæresis, intulit quod hoc tenentes tenebantur reuocare, si ipse tenetur &c.* & infra, *similiter de 12 & 13 propositione dixit in consistorio quod eam proposuit tanquam veram sine pertinacia &c.* Hæc in sui defensionem Montesonus. Vtique è San. Thomæ doctrina desumptæ erant in re (licet in verbis aliquibus discreparent) tres aliæ propositiones Montesoni sexta in ordine, septima, & octaua, Creaturam aliquam necessariam in essendo asserentes, (necessitate scilicet physica non logica, vt omnes nostri interpretati sunt ac defendunt) vnde nec eius Apologiæ Parisiensis auctor conclusione sua 4. & 5. id negare ausus est, nimirum ita asserere S. Thomam lib. 2. Contra gentes cap. 19, & licet referendo aliorum sex impugnationes eiusdem doctrinæ concludat idem Parisiensis, *Prædictam S. Thomæ doctrinam secundum quosdam* (vt ipse loquitur) *esse in fide erroneam seu in aliqua sui parte de huiusmodi errore suspectam. In hoc tamen* (continuo subdit) *in hac conclusione non assertiuè sed solum recitatiuè loquimur: dicunt enim aliqui &c.* & prosequitur recitare, vt aiebam, præindicatas sex impugnationes eiusdem &c; de quibus tamen sic impugnantibus hanc San. Thomæ doctrinam, audi quid Caietanus post centum & amplius annos à prædicta controuersia, videns suo tempore (cum prius nec impressa fuisset) affixam simul cum Magistro Sententiarum hanc Parisiensem apologiam, quid, inquam, scripserit p. p. q. 9. ar. 2. post recitatam ibidem & defensam eandem omnino S. Thomæ doctrinam. *Dicere autem*, inquit, *quod repugnat fidei, summa est ignorantia, qualis moderno tempore regnare videtur apud quosdam Parisienses, qui præfatum S. Thomæ capitulum secundi Contra gentes, vt suspectum habent: sed hos cum sua ignorantia relinquamus. Non enim sunt digni, de quibus verba fiant in re tam ardua &c.*

Tertiò inde, & si daremus (quod infra negabimus in solutione secundi) integrum Ordinem Prædicatorum se obstrinxisse repellendæ, (vt tentabatur à quibusdam paucis Parisiensibus) Ecclesiasticæ proscriptioni omnium prædi-

ctarum Montesoni propositionum, certum est adhuc nostros non successisse, nisi quod iustum erat (& re ipsa apud Pontificem Romæ & Ecclesiam assecuti sunt) scilicet approbatam antea S. Thomę doctrinam defendere, ne censura aliqua tangeretur &c. Vnde etiam fatente Alua pag. 258. adhuc in libro decretorum vniuersitatis Parisijs folio 17. de Dominicanis adiunctis Montesono sic dicitur: *adiuncti sunt sub hac tamen protestatione (ne quid de auditis omittamus) quod non nisi propositiones veras, aut quæ B. Thomę doctrinam tangere possunt, prosequi intendunt &c*, &, vt antea idem Alua retulerat pag. 252, in illo eodem publico instrumento Rotomagij celebrato, & adducto in obiectione secunda, de decem selectis Magistris Dominicanis sic dicitur, *qui debebant accedere ad Curiam Romanam pro sustinenda doctrina S. Thomæ contra vniuersitatem Parisiensem, vt dicebatur, quod de propositionibus illis de Montesono erant aliquæ, quæ erant de doctrina S. Thomæ*. En vides solum cæteros Dominicanos pro doctrina S. Thomæ stetisse, propter quod postea auctor apologiæ Parisiensis (quæ legitur nunc in fine Magistri Sententiarum) post suum tertium articulum contra se producens primam obiectionem Montesoni, *quia aliquæ conclusionum suarum trahuntur ex doctrina S. Thomæ &c*. Respondet his verbis: *ad illa autem faciliter respondetur, & ad primum respondet vniuersitas in suis litteris patentibus, Nos, inquit, millesies diximus, & vt videmus non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus, sed hunc, eiusque fautores, doctrinam eius ad distortum fideique absonum sensum adaptantes. Et hæc claré patebunt ex dicendis in secundo & 3. Capitulo, vbi manifestè probabitur, quod prædictæ erroneæ conclusiones non trahuntur ex doctrina S. Thomæ, sed magis contrariantur eidem*. Hæc ille, in quibus tamen quam sibimet postea idem contrarietur, dum concl. 4. & 5. rectè supponit doctrinam San. Thomæ esse, in 2. contra gentes cap. 19, Creaturam aliquam necessariam in essendo dari (vti similiter Montesonus asserebat propositione 6, 7. & 8.) hoc tamen non obstante saltem recitando impugnationes aliorum, & censuras, easque prosequendo, impugnat eandem doctrinam, quam, inquam, in hoc sibimet contradicat, poterit æquus arbiter iudicare.

Quartò ex hac parte saltem nec improbandus videbatur prædictus ipse Ioannes de Montesono, si aduersus prædictos exigentes à se reuocationē omnium dictarum suarum propositionum, quoad istas saltem in eisdem inclusas, seipsum defendere ex approbatione doctrinæ S. Thomæ Parisijs etiam (antequam appellaret Pontificem) conatus est, & præter recitatam ibi approbationem Vrbani V. produxit in medium antiquiorem litteram Stephani Episcopi Parisiensis (de qua in 1. q. iam egimus) quemadmodum fatente Alua nodo 2. §. 1. pag. 195. in 3. Originali manuscripto existente in Archiuo Parisiensi sic legitur adhuc: *& dictus Magister de Montesono tenens in suis manibus quasdam litteras &c. sigillo Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi sigillatas &c, quas dictus frater Ioannes de Montesono obtulit Deputatis &c*; & cum ipse paratus esset easdem suas conclusiones defendere, inter Deputatos *Magister Petrus De Aliaco* (vt in eodem instrumento recitato apud Aluam eodem loco subiungitur) *Magister Petrus de Aliaco protestatus fuit, quod de dicto facto se non intromittebat, aut intromittere aut arguere volebat, nec vnquam fuerat Deputatus ad disputandum contra sæpe dictum Fratrem de Montesono. Simili modo responderunt Magistri &c*. Sic apud Aluam pag. 195. Quid ergo inter hæc positus noster tunc Ioannes de

Monte-

Montesono agere poterat, vel debebat? Cum in censura suarum assertionum saltem ex parte dignosceret tangi approbatam antea, tum Parisijs, tum Romæ, ab Apostolica Sede doctrinam S.Thomæ, & alioquin incompetentes quo ad hoc iudices (quibus subijci cogebatur) sibimet aduersi, vt percipiebat, sola sua Opinione contenti disputātem eundem audire vel paratum rationem reddere recusarent? Nec studio sanè partis præoccupatus aduersæ negabit, vt reor, Montesono hac stante conditione rerum licuisse appellare Pontificem, eumque legitimum tandem exorare Romæ, non Auenione Schysmaticum, cui aduersa pars adhærebat.

Quintò, sic equidem præstitisse Montesonum subiungimus. Nempe eodem anno 1387, quo fatente Alua cępta est prædicta controuersia, si verum est, quod eodem Alua referente aiebat Gerson, *Ioannem de Montesono pollicitum esse ea, quæ dixerat, infrà triduum reuocare*, nimirum, vt interim discedendi Parisijs aditum obtineret, (discessum hunc eidem consulente & Parisiensi Episcopo, vt ex Chronico Baiorensi probat nouissimè Fontana ad annum 1387) Romanumque adeundi Pontificem, eodem, inquam, anno 1387. consequens fit eum Romæ fuisse, & post porrectum Romanæ Curiæ libellum supplicem (seù vt nuncupant memorialem) breuissime suæ defensionis ac causæ exhibuisse rationes, adeò humaniter à Summo Pontifice exceptum, vt (dimisso quocumque alio in hac materia tractatu, quem nec se vllibi inuenisse Alua fatetur pag. 257.) adhibitus sit egregio operi, eique multiplici componendo in defensionem eiusdem veri Pontificis Vrbani VI. aduersus Antipapam Clementem, cæterosque Schysmaticos in Gallia sectarios eiusdem, quod reipsa strenuè statim aggressum esse, & peregisse conuincitur ex subsequenti evulgatione ad annum 1389, vt inter cæteros recognoscit ac laudat Odericus Rainaldus Congregationis Oratorij in continuatione Annalium Baronij ad annū 1389. num. 15. de priori sic dicens: *Edidit hoc anno 1389 Aquis in Prouincia Ioannes è Montesono Theologus Ordinis Prædicatorum egregium Opusculum aduersus Schysmaticos, quod ab ijs verbis ducit exordium. Nouissimè vero omnium &c. aggreditur dein probare Vrbanum, etsi vrgente metù, liberis Cardinalium Votis creatum Pontificem, ex ipsis Schysmaticorum dictis &c. In tertia p. hanc sententiam fusè probat. Dominis Cardinalibus iudicantibus definitiuè electionem Papæ &c. Demum refellit aduersariorum argumenta.* Simul cum hoc Codice subdit idem Odericus Rainaldus num. 17. eodem anno edidisse & aliud opus pro eodem Summo Pontifice Vrbano, nempè, inquit: *egregium aliud Commentarium composuit idem Ioannes à Montesono inscriptum. Correptorium contra epist. Fundamenti Schysmatis, distribuitque in septem partes*, Fundamenti scilicet epist. erat obiectio quorundam Cardinalium Schysmaticorum vulgata aduersus verum Pontificem Vrbanum, quemadmodum prædictarum singularum partium argumentum indigitat Rainaldus ibidem concludens num. 17. his verbis. *Confudit admodum Schysmaticos hac Ioannis à Montesono disceptatio, cuius vim varijs argumentis elidere studuerunt.* Sed frustrà iterum, vt infra repetit idem Rainaldus ad annum 1391. numero 24. dicens: *hoc anno edidit egregium Commentarium quinque Dialogorum libris comprehensum Ioannes à Montesono Ordinis Prædicatorum, quem ad Cardinalem Retinum inscripsit, & multa in primo libro præfatus probat in secundo Cardinales Transalpinos ab Ecclesia vere præcisos esse &c.* Et post recitatum satis prolixum eiusdem fragmentum

mentum num. 26. subdit Rainaldus: *demonstrat etiam pluribus Conciliorum, & Pontificum adductis sanctionibus idem auctor Cardinales nulla auctoritate ad ferendā in Vrbanum sententiam instructos fuisse &c.* Hæc ille de triplici illustri Opere tunc evulgato à nostro Ioanne de Montesono, quæ rursus extant etiam in Bibliotheca D. D. Cardinalis Barberini numero 1304. & in Bibliotheca D. D. Caroli de Monchal, Codice 223. agitque de eisdem Philippus Labbe in sua Bibliotheca manuscriptorum pag. 205. Cum igitur ante annum 1389. (quo duo priora Opera evulgata sunt) Montesonum scripsisse eadem necesse sit, & solum anno 1389. fateatur Alua pagina 261 (ex instrumento Vniuersitatis Parisiensis) tres Cardinales ab Antipapa Clemente deputatos in eundem Montesonum suam tulisse sententiam, manifestæ falsitatis conuincitur, quod postea imponit idem Alua pag. 262. *Montesonum cernentem consequenter acrem excomunicationem contra ipsum promulgatam, conuertisse calamum contra Clementem;* Immo ex aduerso clarescit eosdem Cardinales (contra quos pro vero Pontifice scripserat Montesonus) ideirco exasperatos ex priori per Montesonum evulgata defensione veri Pontificis, eādem postea aduersus Montesonum pro Parisiensibus sibi fauentibus tulisse sententiam: quod nemo prudens valdè in proposito animaduertendum esse negabit.

Sextò, vt videas quam postea tæduerit etiam Parisienses hostiliter adeò anteà se habuisse in ea Montesoni causa aduersus nostros Professores, & Dominicanos Parisijs, nolo id ex testimonio domesticorum ostendere, sed vnius potius ex illis præcipui, qui nostris eisdem in eadem causa aduersati sunt, nempe Gersonis, qui in epist. 2. ad Collegium Nauarræ de seipso præmittit. *Dum damnatio Montesoni deferretur in Curia, ego ipse Bacalaureus, cursor tunc existens, cum cæteris praecellentissimis, atque sapientissimis Viris ab Vniuersitate legatis præsens interfui*, nempe apud Clementem VII. Auenione sedentem. Et tamen de eisdē nostris hac de causa tunc reiectis ab Vniuersitate sic habet. *Cæterum memoria teneo, cur & qualiter primitus ab Vniuersitatis consortio via quadam indirecta segregati sunt Fratres prædicti &c. Cogor illam deflere scissuram miserabilem & mutilationem luctuosam partis non modicæ Vniuersitatis Parisiensis, à qua segregati sunt. O vtinam omnes attenderent, quanta qualisque iactura spiritualis fuerit, tot hactenus sermones, tot lectiones, tot salubres instructiones in Vniuersitate & alibi cessasse. Oblatrabunt, scio, si ad quosdam hæc scripta delata fuerint, indignè ferentes, immo pro scelere, vel mutabilitate deputantes, quod pacem Iacobitarum videar optaße, aut pro ea scripsisse: Sed libera voce fatebor, nec illud vnquam pudori deputabo, me nunc & prius olim semper conciliationem ipsorum, etiam in medijs litibus, optauiße.* Hæc ille. Neque in hoc solus fuit Gerson, verum etiam instrumentum publicum Vniuersitatis editum postea anno 1403. existens in Archiuo Parisiensi (vti nec Alua inficiatur pag. 259.) recenset pro nostris *Scripsisse Christianissimum Regem Carolum VI, & prætereà* (subdit) *scripserunt Illustrissimi, & potentissimi Principes Domini Burgundiæ, & Borbonij & suos miserunt Legatos &c. & magno zelo Dominus noster Papa Benedictus, cui tenemur obnixe* (nempe Benedictus XIII. Schysmaticus, cui Gallia adhærebat) *olim dum esset in Minoribus constitutus, & Legatus in Francia, ad hanc vnionem anhelabat, & similiter plurimi è Dominis Principibus &c.* Hæc ibi, vt videas, quod præmittebam.

Septimò, tot non obstantibus excitatis turbis aduersus nostros, mox postea

ftea anno 1403 Vniuerſitas eadem Pariſienſis in eodem publico reconciliationis inſtrumento paulò antè relato eoſdem noſtros ingenuè commendare non recuſauit, aiendo: *Habemus postremò prè oculis Doctores praexcellentiſsimos eiuſdem Ordinis Prædicatorum, qui & Eccleſiam Vniuerſam, & noſtram Vniuerſitatem de fructu Operum ſuorum illuſtrarunt, & Deo propitio illuſtrabunt &c.* & licet (referente Alua) ibidem quædam adnecteretur conditio, de iuramento præſtando à quolibet ſuſcepturo ibidem gradus aut lauream ſuper altero præcedenti Vniuerſitatis decreto ſeruando, adhuc tamen hanc ſubſequenter conditionem ſublatam fuiſſe iuſſu Alexandri ſummi Pontificis ad annum 1409. notat nuper Fontana ad eundem annum, probatque ex Apoſtolicis litteris ſeruatis adhuc in Archiuo Ordinis, & reipſa in praxi hanc cõditionem dimiſſam fuiſſe ſubindicat Gerſon, tum in eadem epiſt. ad Collegium Nauarræ dicens, *Cauſatos eſſe Fratres prædictos ſe à ſuperioribus licentiam ad huiuſmodi præſtationem iuramenti nedum petiiſſe, vel habuiſſe*, tum p. 4. ſuorum Operum fol. mihi 52. in alia epiſt. Brugis ſcripta ſimiliter addens: *ſuper aliàs publicatis, & delatis nulla fit executio &c.* Quemadmodum etiam reipſa Capreolus in eadem Prouincia Toloſana ſcribens poſtmodum ad annum 1416. eandem immo aſſertionem de Creatura aliqua neceſſaria in eſſendo defendit, & alij paſſim proſecuti ſunt.

Octauò, tandem ex recitatis hucuſque lucideque probatis prudens quilibet dijudicabit, quam lædat iniuſtè noſtrorum famam idem Alua nodo 2. §. 2. ex Schyſmaticis etiam ſeù fautoribus Clementis VII. in nos iurgia, ſatyraſque tranſcribens, tum ex Auctore nimirum libri inſcripti de geſtis Clementis VII. aiente eo tempore controuerſiæ prædictæ, *Dominicanos paſſos fuiſſe damna, plurima & infinita, ne dum in perſonis, ſed etiam in bonis. Ac, vt de iniurijs, opprobrijs, contumelijs, irriſionibus et detractionibus taceamus, pro tunc factos fuiſſe tanquam opprobrium hominum, et abiectionem plebis; durauiſſeque tempeſtatem huiuſmodi per plures annos, nec fuiſſe, qui eos adiuuarent* (cum tamen ſextò loco viderimus quot primates ac Principes cum Pontifice laborarint pro eiſdem) tum ex Thoma Valſingamo in Hiſtoria Anglicana addente, *præcepeum eiſdem fuiſse, ne de cætero quemquam ad Ordinem ſuum admitterent, ſub pœna capitali, vt poſt hos, qui modo viuunt*, inquit, *nullus eſset, qui eorum Ordinem continuaret* (cum tamen conſtet perenniter in eadem Prouincia perduraſſe,) *tum ex Annudao Salyo Theologo Heterano, ſeù potius Theophilo* (inquit Alua) *in libello de retinendo titulo immaculatæ, impreſſo Coloniæ Agrippinæ 1651. inter alia ſcandala* orta ex prædicta controuerſia referente illud, quod Carolus VI. Francorum Rex dicatur *Guilielmum de Bolene Epiſcopum Ebroiſenſem Ordinis Prædicatorum, et regium Confeſsarium abdicaſſe pepuliſſeque tamquam infamem, eo quod Ioannis de Monteſono defenſionem ageret, ac decreuiſſe, confirmaſſeque numquam ſe deinceps ex tali Ordine electurum aliquem, qui ipſi eſſet à Confeſsionibus.* Cum tamen oppoſitum ex reuocatione eiuſdem recitata ab eodem Alua nodo 5. §. 2. pag. 435. habeatur, & ex relatis à nobis ſextò loco mox ante, & idem ipſe delarnatus Theophilus Raynaudus in Opuſculo de iuſta, vel iniuſta confixione librorum, non pauca ſcribit, quæ retundendæ cuilibet ex Pariſienſium cõtumelijs illatis tunc velt entatis in noſtros, præter à nobis præobſeruata, ſuperabunde ſufficerent, ſcilicet (vt ille refert) etiam poſt mortem inſignis Martyris in Anglia Thomæ Cantuarienſis relati inter Sanctos ſtatim poſt biennium, ab Alexãdro III. quadraginta & octo poſt

annos

annos *inter Parisienses Doctores* adhuc disputatum fuisse *an prædictus Thomas damnatus foret* (vt scribit Samuel Danielis in vita Enrici II. & quemdam Rogerum Normanum effrontissime scripsisse, iuste ob rebellionem in Regem interfectum esse; nec minus postea in causa diuortij inter Enrieum VIII. & Catharinam à Pontifice reprobata, quamplures eiusdem Accademiæ Parisiensis Doctores contra Pontificem pro diuortio stetisse, referentibus Ermundo Campiano in libello de diuortio, & Sandero libro 1. de Schysmate Anglicano, & alijs: & demum Orlandinus primus historicus Societatis lib. 15. ad annum 17. eiusdem Societatis exscriptum habet probrosum in tam venerãdam Societatem Iesu, eiusdem Parisiensis Vniuersitatis decretum; vt videas qua ratione de huiusmodi casibus Accademiæ Parisiensis suosmet limites transilientis ritè scripserit Gabriel Vasquez ad p. p. disp. 188. c. 2. & 3. p. disp. 67. c. 5. *Parum curandum de huiusmodi Censuris Parisiensibus, siquidem Parisijs multa aliæ propositiones damnatæ fuerunt, quæ talem notam non merebantur.* His proinde aut huiusmodi immeritis infortunijs aptari valeret, quod olim Tertullianus in Apologetico, siue Chrysostomus Homilia 66. ad Populum, de Senatu Romano resistente proponenti Tiberio Christum, aiebat: *Hoc et ipsis nolentibus dispensatum est, ne mortali decreto Christi prædicaretur diuinitas; ne vnus de multis putaretur.*

Ad primum igitur admisso testimonio Gersonis, etsi fateatur, vt vidimus, se inter legatos aduersus Ioannem de Montesono fuisse, quid aliud infertur Montesonum præstitisse discedendo Parisijs, nisi se subduxisse iudicio eorum, quos studio partis & æmulorum experiebatur præoccupatos alieno, atque in iudicanda vlteriùs S. Thomæ doctrina (antea per Ioannem XXII, Vrbanum V, aliosque Pontifices approbata) incompetentes iudices agnoscebat? quemadmodum satis hucusque ex gestorum serie demonstratum est.

Ad secundum consulat, cuicunque placet, in eodem Alua eadem pag. 252. illud idem publicum instrumentum Rotomagij conscriptum, & has in eodem contradictiones inueniet, circa assumptam ab alijs Dominicanis priuatam causam Montesoni, mox scilicet referri, *Ex testimonio Fratris Nicolai Guahen id actum esse in Capitulo Generali in Prouincia Tolosana in quodam Conuentu, huius nomen ignorat*, mox ex testimonio *Fratris Ricardi Martæ Rotomagensis sic in Capitulo Generali de Lugdulnno fuisse ordinatum*, mox infra, *in Capitulo Generali apud Tolosam*, mox, *in Capitulo Prouinciali celebrato apud Fontenay in Pictauia in Diocæsi Maliacea*, & quod magis mirandum est, hæc singula tam sibi contraria solum de auditu vnius Frater Ricardus in eodem instrumento testatur; cum reuera compertum sit nunquam per Capitulum Generale Vniuersim Ordinem te dictæ causæ immiscuisse: adeo vt (etiam apud Aluam immmorem sui pag. 258.) Vniuersitas ipsa Parisiensis in libro Decretorum suorum fol. 17. loquens de Dominicanis fauentibus Montesono, in hunc modum effata sit, *an totus Ordo adhæsit sit nondum scimus*, & in instrumento reconciliationis celebrato anno 1403. (eodem Alua fatente pag. 259.) memorauerit solum *Fratres Prædicatores deputatos pro Prouincia Franciæ*, & Pater Mallet libro de Viris Illustribus domus Sancti Iacobi, supponat solum à tota familia Sancti Iacobi fuisse susceptas defendendas Montesoni assertiones. Et demum data quacunque ex aduerso hypothesi, quid aliud sequitur, nisi quod tertio loco euincebamus,

nostros

nostros tunc solum toties approbatam S. Thomæ doctrinam sartam, tectamq; etiam in illa controuersia (sicut reuera semper inconcussa permansit, vt vidimus) tutari iure ac merito voluisse?

Ad tertium, si Decretum illud Romæ, vel saltem à Cardinalibus à Romano Pontifice delegatis prodijsset (vti à Schysmaticis prodijt) Montesoni assertiones, (non absolutè) sed vt censura notantes oppositas, fuisse proscriptas (indemni manente adhuc S. Thomæ doctrina) non immerito diceremus. At vero non mirum ab illis, in quos tam acriter, vt Schysmaticos, libellum duplicem Montesonus evulgarat pro defensione veri Pontificis, ex aduerso sententiam minus congruam excepisse, quemadmodum ab eisdem (vt vidimus n. 5.) vero quoque Pontifici Vrbano VI. *velut intrusoin Ecclesiam*, reluctando in suis epist. (cum deploranda fidelium pernicie) non parcebatur. Verumtamen si hæc alicui non sufficere viderentur, iste si rursus velit intueri, an decori Ordinis nostri, vel Montesoni, præfata Schysmaticorum censura derogarit, legat Pirrhum in Sicilia sacra notitia 1. Ecclesiæ Catanensis sub num. 36. & videbit eundem nostrum Ioannem de Montesono die 18. Iulij anno 1393. (ante quem annum à Schysmaticis censura prolata erat) institutum subinde fuisse à Romana Sede Collectorem spoliorum ac iurium spectantium ad Apostolicam Sedem in Regno Siciliæ, vt habent etiam Ambrosius de Altamura, & Fontana de Montesono prædicto.

Ad quartum similiter (si vera forent illa, quæ in solo Alua nunc legimus, cui quam minus fidendum veniat, satis tum hìc tum alibi experti sumus) indoleremus & nos cum præcitato Gersone numero 6. per vim æmulorum quorumdam Parisiensium Antipapæ Schysmatico tunc adhærentium, nostros immeritò ea passos esse, non secus ac de iudicio in Divum Chrysostomum olim aiebat Photius Codice 19. *in quo & testes & Accusatores, & Iudices, & omnia erant, euentusque docuit, quid ex malignitate contingeret.* At verè in eo tam diro, omniumque miserrimo Ecclesiæ Schysmate, alia longe potiora peiorave, quam nostra, cæterorum detrimenta fidelium deflenda sunt, quæ tamen gemitibus præstat magis obtegere, quam aperire, premere magis quam promere, plangere magis, quam pandere, de eaque simul communi temporum ac Primarum Ecclesiæ infelicitate concludere, cum Augustino in psalmum 57. *hyemales aquæ erant, semper manere non poterant, necesse erat vt decurrerent, necesse erat vt defluerent in locum suum &c. & tandem tamquam aqua decurrens ad nihilum deuenerunt.* Et pro re præsertim nostra repeteret, quæ in simili omnino, mox ante, quorundam Parisiensium in nostros persequutione dicebat Alexander IV. in datis ad Episcopum Parisiensem anno 1261. *Quietis turbatores, ac laudabilium operum, quibus Fratres Prædicatores feruenter inuigilant, nefarij detractores, illorum famam offuscare, & litteras, &c. ac pium, & sanctum Ordinem eorum quasi quoddam sydus in Ecclesia Dei refulgentem, qui a longis retro temporibus per Sedem Apostolicam solemniter approbatus fructus desiderabiles, & felices continua facunditate producit, odibiles reddere moliti sunt, illa ducti credulitate nequissima, quod doctrina catholica & salubris prædictorum Fratrum Deo gratissima & delectabilis] cum timentibus contemnatur, ac indè inualescat hæreticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter, & omnimodè confutanda dicti Fratres, velut strenui pugiles Orthodoxæ fidei, sunt ita vigiles, & intenti,*

quod ducunt pro delitijs, si hac de causa aliquando bibant calicem passionis &c. Hæc ille pro nobis.

QVÆSTIO QVARTA.

De approbationibus Crucifixi, Beatæ Virginis & Principum Apostolorum.

POst antiquissimas doctrinæ S. Thomæ approbationes diplomatibus, siue authenticis innixas litteris, inde de antiquis alijs approbationibus agendum est, quæ vel reuelationibus cęlitum, vel approbantium oretenus pronunciatis subnixæ sunt: & primo de cęlitum reuelationibus differemus, tum Crucifixi, Beatæ Virginis, & Principum Apostolorum in hac quæst. tum Sanctorum Augustini, & Francisci in sequenti, quas singulas à nobis fictas esse criminatur Alua, cum tamen verius criminari potuisset *Ioannem de Rupe scissa* (cuius institutum Trithemius habet, sed nos honoris causa reticemus) qui, vt Trithemius loquitur, *scripsit in vinculis ad quemdam Cardinalem Reuelationes suas librum vnum*, quas anteà *prædicere quasi Propheta exorsus, in carcerem à Ministris sui Ordinis coniectus erat, & inuentus est Spiritus mendax in Ore eius.* Hæc Abbas Trithemius; præter alia, quæ Papæbrochius è Societate passim contra Arturum de Monasterio recenset ac reprobat.

ARTICVLVS PRIMVS.

An reprobari possit Historia Diuum Thomam à Christo Domino audiuisse
Benè scripsisti de me Thoma.

VIdetur sic posse reprobari vni ferè Petro de Alua nodo 6. §. 1. per totum. Et primo ex dissonantia Testium, seù Scriptorum, id probare contendit; quia noster Gabriel Barlethen in sermone de S. Thoma sic loquitur: *cum scripsisset de Corpore Christi &c. posuit Opus super Altare Neapoli &c.* Guilielmus Pipinus in sermone de eodem San. Thoma post recitatam similem approbationem Neapoli circa alia opera S. Thomæ, subiungit approbationem Officij de Corpore Christi contigisse Parisijs, dicens: *Similis responsio illi facta est in Conuentu Parisiensi, dum scilicet completo officio sacramenti Altaris obtulit codicem, in quo dictum Officium continebatur, super altare &c.* Franciscus Syluius Oratione 2. de S. Thoma secernens hanc approbationem Officij de Sacramento Altaris ab altera approbatione aliorum Operum San. Thomæ, inquit, *aliam Neapoli contigisse Crucifixus ad perpetuam rei memoriam asseruatus probat*, & supponit istam de Sacramēto altaris contigisse in Ciuitate Vrbetana, *in qua*, inquit, *Officium illud anno Domini* 1264. *scriptum fuit.* Michael Plodius lib. 1. Col. 154. (cui adhæret Nazarius de scriptis S. Thomæ fol. 75.) ait, *ter approbatam fuisse Doctrinam S. Thomæ, Parisijs quidem doctrinam de Sacramento, in Ciuitate Vrbetana, & Neapolitana Doctrinam tertiæ partis summæ*: Et demum, quod peius est, Baptista Fulgosius lib. 1. fol. 109. *Neapoli*, inquit, *id contigisse, cum Thomas librum tenens, quem aduersus Græcorum errores scripserat, Christum oraret, vt se moneret, si qua in parte eius libri errauisset.* Ex his igitur concludit Alua pag. 468. veluti illudendo, *quomodo vnum & idem Officium Sanctissimi Sacramenti potuit Angelicus Doctor compaginare in tribus diuersis Ciuitatibus adeo distantibus, Parisiensi, Vrbetana,*

Digitized by Google

tana, & Neapolitana? quomodo secundum aliquos approbauit Crucifixus Tractatum contra errores Graecorum, secundum alios summam Theologiae, secundum quosdam Officium Sanctissimi Sacramenti, secundum nonnullos omnia eius opera, & secundum omnes quaestionem illam de existentia accidentium in Eucharistia?

Secundò id probare prosequitur ex dissonantia etiam inter Sanctum Vincentium Ferrerium in sermone de S. Thoma, & Divum Antoninum p. 3. historiae titulo 23. cap. 7. §. 7. quorum secundus profitetur apertè se ibi loqui de approbatione sequuta Parisijs occasione exortae controuersiae inter Parisienses *circa modum existentiae accidentium in Eucharistia*, & primus similiter (vt supponit Alua) de eadem occasione Parisiensis dissidij loqui videtur, dum inquit: *Cum scripsisset super materiam accidentium Sacramenti altaris, in quo illa accidentia existunt, posuit se in extremo altaris orans &c.* Et tamen, vt subiungit Alua. Sanctus Vincentius ibidem affirmat, quod tunc dixerit illi Crucifixus, *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Sanctus Antoninus ibi non dicit Crucifixum illi fuisse loquutum, sed visibiliter Christum Dominum stantem super quaternionem ei apparuisse, nec dixisse, *Benè scripsisti de me*, sed: *Benè de hoc Corpore mei Sacramenti scripsisti &c. sicut ab homine in hac vita potest intelligi & humanitus definiri.* Sanctus Vincentius affirmat hoc euenisse propè eius obitum, Beatus autem Antoninus, quod quando erat iuvenis, & legebat Parisijs &c. *Ad conciliationem ergo omnium praedictorum* (concludit Alua pag. 471) *fatendum erit Christum Dominum non semel, nec bis, sed quinquies sub diuersis formis ac figuris, in diuersis Ciuitatibus aut locis apparuisse, necnon etiam diuersis verbis approbasse opera S. Thomae. Primo tractatum illum de existentia accidentium Parisijs visibiliter apparendo super Quaternionem. Secundo officium Corporis Christi (vt postmodum idem subdit Sanctus Vincentius) in Ciuitate Vrbetana, etiam visibiliter apparendo in forma pueri super librum. Tertio librum scriptum contra errores Graecorum (vt indicare videtur Antoninus eodem cap. 7. §. 11.) scilicet Neapoli. Quartò tertiam partem summae Theologiae (quam similiter memorat loco citato Divus Vincentius). Quintò denique omnia eius Opera vel Neapoli, vel alibi, vt Salmanticenses, Ignatius Galuan Tomo 1. libro 3. c. 2. Petrus Niger in Clypeo Thomistarum, & alij contendunt.*

Tertiò prosequitur Alua cum Ioanne Launoi in quodam manuscripto idem suadere ex eo quod solum ab anno 1387. (quo prodijt ea magna controuersia Ioannis de Montesono cum Parisiensibus) dum venarentur Thomistae approbationes Doctrinae S. Thomae, tunc etiam ista approbatio sequuta Neapoli producta fuit, non memorata antea in Antiquioribus Historijs Vitae S. Thomae (quas saltem plerasque recenset Alua pag. 473. (*sed solum extracta primum in publicum*), vt loquitur idem Alua pag. 468 (*à Sancto Vincentio Ferrerio Valentino, qui floruit circa annum 1420, & fuit cumtemporaneus Ioanni de Montesono, immo & eiusdem Regni vel Territorij Alumnus.* Inde eandem prosequutus est Divus Antoninus scribens ad annum 1445, & inde alij. Non mirum igitur, vt concludebat idem Ioannes Launoi, & repetit Alua eum ipso, hanc historiā de Crucifixo loquente San. Thomae Neapoli (etiamsi *pia* vocetur à Beato Pio V.) Piam quidem non tamen veram, sed falsam, & suppositiam esse.

Quarto tandem, nam loquendo adhuc de altera apparitione Christi Parisijs sub forma pueri super Quinternionem S. Thomae conscriptum de existentia accidentium &c. (quae longè minor quam approbatio Neapolitana fuisset)

set) & ista adhuc Parisiensis apparitio non obtinet (inquit Alua) antiquiorem historiam id attestantem, quam vitam S. Thomæ manuscriptam existentem in Monasterio Canonicorum Sanctæ Crucis Coloniæ, cuius auctor fuit quidam Humbertus Ordinis Prædicatorum (vt Alua supponit) in cuius postrema parte habente cap. 56. de Miraculis S. Thomæ, eisdem verbis (ac postea transcripsit D. Antoninus vbi supra) in capite 53. per extensum eadem Parisiensis apparitio narratur. Verum sistendo in ista antiquiori Historia (vt subsumit Alua pag. 475.) recensente hanc vnam approbationem (non tres) doctrinæ S. Thomæ (non cuiuscunque vel vniuersim) sed solum de materia accidentis, per Apparitionem Christi sub forma Pueri, non per loqutionem imaginis Crucifixi, adhuc, inquam (vt ibidem legenti patebit) in ista Historia, *Nullus testis ocularis hoc iuridice attestatus est, sed dumtaxat quidam Frater Martinus Scholaris, ac per consequens iuvenis, hoc audiuit à quodam incognito alio Fratre, & à Martino diuulgatum est ad alios. Si non operetur igitur Pietas Christiana* (concludit Alua) *testimonium hoc nimis periclitabitur etiam apud S. Thomæ deuotissimos*, ac per consequens hæc adhuc antiquior Historia (*quam Alua se credere* ait, *esse illam piam Historiam, de qua egit Summus Pontifex Pius V. in sua Bulla, quia aliam antiquiorem non inuenit*) hæc, inquam, adhuc antiquior historia *Pia* vtique (vt à Beato Pio Quinto vocatur) non tamen vera reputari poterit, vel debebit.

In oppositum tamen est, quod vt loquitur Sapientissimus noster Magister Ioannes à S. Thoma disp. 1. Prolegomena in 1. p. ar. 2. §. quartus modus, *Acceptauit Ecclesia & summo honore venerata est traditionem illius Historiæ, quæ testatur Crucifixum suo diuino ore scripta D. Thomæ comprobasse*, & interiecta recitatione Historiæ, *Mirum est*, addit, *quantum in omnium animis & corde totius Ecclesiæ fixa sit huius Historiæ veritas &c.* & mox infra concludit, *adeò inualuit apud omnes fideles approbatio hæc de D. Thomæ Doctrina facta à Christo Domino, vt non nisi ingenti temeritate negari aut in dubium reuocari possit*.

Respondeo non licere vtique amplius sine temeritatis nota negare San. Thomam à Christo Domino audiuisse (*Benè scripsisti de me Thoma*) vt Pia prædicta Historia attestatur, quidquid sit quot vicibus id contigisse dicatur approbatio prædicta. Tribus enim vicibus euenisse huiusmodi reuelatio, vt video, circumfertur. Prima vice Parisijs, cum S. Thomas quinternum de existentia accidentium sine subiecto in Sacramento ad instantiam Parisiensium scripsit, & super altare locauit. Secunda vice in Ciuitate Vbertana, cum de mandato Vrbani IV. Pontificis Offitium Corporis Christi composuerat. Tertia vice Neapoli, cum postremæ parti summæ Theologicæ non longè ab obitu insudaret, seù, vt addit Biescas dubio 8, cum Neapoli discessurus esset ad Lugdunense Concilium. Et primam quidem & postremam tertiam approbationem manifeste secernit, & ex proposito enarrat Gulielmus Thocus, (qui S. Thomam viuentem vidit, & docentem audiuit, vt infra patebit) illam quidem in cap. 9. vitæ S. Thomæ, istam vero in cap. 6. eiusdem vitæ, quemadmodum apud Bolandum ad diem 7. Martij per extensum legi potest. Idem repetit Bernardus Guidonis in Vita similiter S. Thomæ c. 24. & sequentibus consulendus apud eundem Bolandum, qui pag. 655. Tomo 1. Martij de eodem Bernardo sic habet, *Bernardus Guidonis ex Ordine Prædicatorum Episcopus Tudensis in Gallitia, dein anno 1324 institutus in Gallia Narbonensi Episcopus Lodeuensis, mortuus*

tuus 13. Decembris anno 1331) vt videas hunc quoque Bernardum contemporaneum fuisse cum prædicto Gulielmo Thoco tempore Canonizationis Sancti Thomæ promotæ ab eodem Thoco, & sequutæ anno 1323. Post istos ferè eisdem verbis vtramque distinguit ac describit Diuus Antoninus sequenti sæculo florens ad annum 1445, primam quidem p. 3. historiæ titulo 23. cap. 7. §. 7, postremam vero seù tertiam infra in eodem cap. §. 11. vt legenti patebit, indeque cæteri posteriores (qui id attigerunt) vtramque ad minùs recognouerunt, vt nouissimè etiam Ioannes à S. Thoma vbi supra perpendit. De secunda autem, seù intermedia, primus (quem ego viderim) scripsit Diuus Vincentius Ferrerius florens quidem post Thocum & Bernardum, sed ante Diuum Antoninum, scilicet ad annum 1419: Hic enim Diuus Vincentius in sermone S. Thomæ, præmissa(ordine dignitatis) illa, quæ tempore postrema fuit, scilicet reuelatione facta Neapoli ,*cum* (inquit) *Beatus Thomas scribebat vltimam partem &c. quam non perfecit morte præuentus*; de secunda deinde loqui visus est ita subdens : *Idem de Officio Corporis Christi, quod de mandato Dom.ni Papæ ordinauit, quo completo librum super altare posuit, & ipso orante Christus in forma Pueri super librum se posuit dicens, quod illa ordinatio erat sancta & bona, quantum intellectus humanus posset comprehendere*. Similiter fatente Alua nodo 17. §. 1. pag. 733 in antiqua vita S. Thomæ existente in Monasterio Sancti Saluatoris Vltraiecti, de hac sic habetur: *legitur etiam quod eum rogatus fecisset libellum de Sacramento &c. eum posuit super altare orans &c. & audiuit vocem dicentem sibi: Thoma Deo dilecte, librum, quem de me fecisti, secure manifesta, quia quidquid ibi dictum est, non à te, sed à Spiritu Sancto, qui tecum est, dictum est, & non melius in hoc Mundo dicere posses. Hæc vidit, & audiuit à longè stans quidam Frater Sanctus nomine Bileles*. Sic Alua transcribit. Cum vero, vt bene perpendit Franciscus Syluius Oratione secunda de S. Thoma, *Offitium illud anno Domini 1264. in Ciuitate Vrbetana scriptum fuerit, vbi tunc temporis Theologiam publicè profitebatur Thomas, & in eius dictione fertur accidisse miraculum Corporalis sanguine tincti*, Hinc, vt reor, intulit Plodius noster lib. 1. Columna 154. hanc alteram etiam Vrbeuetanam approbationem, & cum Plodio Nazarius in opusc. de scriptis S. Thomæ fol. 75. dicens, *tribus vicibus in locis, temporibusque diuersis Angelici Doctoris Doctrinam fuisse à Christo Domino approbatam*. Et ommissis alijs, nuperrime noster Gonet Canone 6. de Laudibus S. Thomæ simul has prædictas tres Christi attestationes designaris prædictis distinctis vrbibus, Parisiensi, Vrbeuetana, & Neapolitana confirmat. Non negarim tamen ipse, nec, vt reor, alij negabunt, Neapolitanum miraculum velut insignius ac celebrius Vrbeuetano vel Parisiensi (licet illa alia non excludendo) frequentius etiam ab extraneis Scriptoribus commemorari, inter quos etiam Robertus Camciolus de Licio Ordinis Minorum Episcopus Aquulæ sermone de S. Thoma impresso postea Antuerpiæ anno 1490 sic habet : *dum S. Thomas in Conuentu Neapolitano tertiam partem scriberet, nocte quadam ad orandum, sicut consueuerat, ad Ecclesiam in Cappella Sancti Nicolai descendit, & dum ibi oraret ante imaginem Crucifixi, Frater Dominicus de Caserta Conuersus, qui erat Sacrista, Vir vtique magnæ deuotionis, & sanctitatis, sanctum Doctorem curiosius obseruans vidit ipsum miro modo in oratione suspensum, & corpore eleuatum à terra, audiuitque à Crucifixi imagine procedere vocem dicentem sibi. Thoma bene de me scripsisti &c.* His stantibus, vt dixi, quidquid sit de illa peculiari difficul-

difficultate, an duabus vel tribus vicibus id euenerit &c, sat erit nobis absolutè non licere sine temeritatis nota negare D. Thomam (dum vltimam partem summæ deduceret) ab imagine Crucifixi de suis Operibus Neapoli audiuisse. *Bene scripsisti de me Thoma*.

Et primo, id stabilitur demoliendo præcipuum fundamentum suspicionis aduersariorum, perperam supponentium hanc reuelationem, seù approbationem non nisi ab anno 1387. (quo contigit controuersia Ioannis nostri de Montesono cum Parisiensibus) auditam esse. Constat etenim Gulielmum Thocum in Processu Canonizationis S. Thomæ cap 7. attestari, *se vidisse Fratrem Thomam scribentem super librum de generatione, & corruptione, quod credit fuissé vltimum opus suum in Philosophia, & audiuit eum legentem &c.* Consequenter, cum S. Thomas obierit anno 1274, constat hunc Thocum florere cæpisse ad minùs ad finem eiusdem sæculi, antè annum 1300, & sine dubio scripsisse ad minus ante annum 1323, quo anno postea sequuta est Canonizatio eiusdem S. Thomæ. At hic ipse Gulielmus Thocus (vt mox anteà prætangebamus) in vita S. Thomæ, quæ etiam apud Bolandum legitur, ne dum cap. 9. per extensum enarrat apparitionem Christi Parisijs approbantis Quinternum scriptum S. Thomæ, *ad quod prodigium intuendum*, inquit, *priorem Conuentus & plures alios Fratres, illi, quibus reuelatum erat hoc mirabile, pro testimonio vocauerunt, qui venientes viderunt, & pluribus alijs retulerunt, inter quos fuit Pater Martinus Schola de Prouincia Hispaniæ*, verum etiam cap. 6. describit alteram approbationem Crucifixi Neapoli dicentis, *Bene scripsisti de me Thoma*, addito in testem ocularem eiusdem miraculi Fratre Dominico de Caserta tunc Sacrista Conuentus, cum circumstantia temporis, quod *illis diebus Thomas scribebat tertiam partem summæ de Christi passione, & Resurrectione, post quam Scripturam parum scripsit &c.* De quo Beato Dominico legendus nuper Fontana in *monumentis &c.* ad annū 1270. cum Bzouio &c. Longè igitur ante annum 1387. (quo Montesoni controuersia exorta fuit) hæc mirabilis Historia agnoscebatur. Idem dicas de Bernardo Guidonis, quem similiter floruisse vidimus ex Bolando circa annum 1323. (quo S. Thomas Sanctorum numero adscriptus est); & tamen eandem Historiam & iste habet ac Thocus, vt notat etiam Bolandus ad cap. 6. Thoci littera A. scilicet ne dum cap. 24. habet apparitionem Christi Parisijs, vt patet ex dicti Capitis Titulo apud Bolandum eundem, verum etiam idem Bernardus enarrat Miraculum Crucifixi Neapoli ex testimonio Dominici de Caserta, quemadmodum animaduertit Bolandus ibidem. Iterum igitur ex duobus contestibus, hisque fide dignissimis, altero quidem Episcopo, altero etiam mirabili apparitione S. Thomæ decorato, vt ad eius vitam cap. 5. iterum Bolandus admonuit, ex his inquam duobus conuincuntur Alua, & Launoi falsitatis manifestæ, immo importatæ calumniæ Dominicanis, quod solum ab anno 1383. anteà ignotam Historiam ipsi de suo cerebro fabricarint.

Secundò inde his bene visis ac rite perpensis à B. Pio V. (post quam simul viderat iamdiù indicatam huius miraculi approbationem in Bulla Vrbani V. hac de causa appellantis B. Thomæ *doctrinam benedictam &c.*) non mirum, inquam, postea B. Pium V. in sua Bulla Generali ad totam Ecclesiam incipiente, *Admirabilis Deus*, inter alia, concessisse etiam indulgentiam visitantibus *altare in Ecclesia S. Dominici Neapolitani situm* (vt summus Pontifex loquitur) *in quo scripto-*

scriptoris Angelici Doctrina Saluatoris Crucifixi ore (sicuti pia testatur historia) mirabiliter probata fuit. En approbatio: ex quibus verbis sic nobis liceat ratiocinari, quandocumque Apostolica Sedes aliquod miraculum alicuius Sancti in particulari recognoscit, vt notum, & recipit, immo ex eiusdem miraculi veritate concedit indulgentiam alicui immagini, vel sacello, in quo illud contigisse supponit (neque alioquin Ecclesia declarat posse etiam oppositum dictae historiae vel assertionis sine censura teneri) tunc non nisi profectò cum temeritatis nota licebit asserere (praesertim priuato) falsum esse miraculum, seu historiae de eodem miraculo negare veritatem, aliter nimis temere pleraque huiusmodi miracula negarentur. Sed Apostolica Sedes id egit in proposito recognoscens *ex pia historia* (vt iam adduximus) huius miraculi veritatem, & approbando pronuncians, *in eo altari Scriptoris Angelici doctrinam Saluatoris Crucifixi ore mirabiliter probatam fuisse*, immo ex eiusdem miraculi veritate concedens eidem Altari indulgentiam, vti iam vidimus. Nonnisi igitur cum temeritatis nota licebit alicui (priuato praesertim) negare miraculum, seu historiae de eodem miraculo veritatem.

Tertiò quia vt omnes modo Scholastici Doctores conueniunt, & repetit adhaerens caeteris etiam Cardinalis de Lugo assumptus e societate, disp. 20. de fide sect. 3. num. 96. *Temeritatis censuram meretur, qui negat historias pias communiter ab Ecclesia receptas & propositas*. Sed haec apposite *pia historia* (vt à B. Pio V. vocabatur & de qua nos loquimur) iam communiter ab Ecclesia recepta est & proposita, cum (vti & Alua fatetur ac loquitur, hoc eodem nodo 6. §. 1. pag. 463.) praeter Breuiarium Ordinis Praedicatorum, *etiam in communi Breuiario Romano in secunda lectione secundi nocturni ad finem contineatur haec reuelatio, miraculum seu approbatio, sic. Neapoli cum ad immaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit. Bene scripsisti de me Thoma &c.* ergo iam temeritatis censuram meretur, qui hanc ipsam piam historiam (de qua nos loquimur) ausus fuerit abnegare.

Quartò omisso, quod refert Angelus Roca in libello de Bibliotheca Vaticana, & de operibus Sixti V. pag. 236, scilicet Sixtum V. ad publicam contestationem in Bibliotheca Vaticana voluisse depingi D. Thomam cum S. Hieronymo, sinistra manu Ecclesiam gestantem, dextera vero, qua scripsit, magnum luminis splendorem in eam ipsam Ecclesiam immittentem, cum hac inscriptione, *S. Thomae de Christo scripta à Christo Crucifixo probantur*, hoc, inquam, omisso, seu vix praelibato, subnecto geminas alias Bullas Summi Pontificis Clementis VIII. in quarum prima de S. Thoma sic loquitur: *Cuius doctrinae tantum fuit tributum, vt Christianae eruditionis sua diuinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me Thoma scripsisti*: In secunda eiusdem S. Thomae *librorum ingentem numerum* laudans, vniuersim de eisdem, ita concludit, *& quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audiuit*. Euge, iam vides hic de absolutis hisce Summis Pontificis verbis dici non posse, quod de Pio V. aufugiendo Alua dicebat, *Pontificem se remittere dumtaxat pietati historiae &c.* non, inquam, in praesenti praesertim, id dici potest, cum absolutè hic Summus Pontifex, non semel sed iterum, totum id asserendo & proponendo pronunciet, vt verum, quod in proposito praedicta historia referebat, & ex quo eandem iam Pius V. approbarat vt piam. Constat autem haudquaquam posse ab ingenti

genti temeritate liberari illum qui audeat reprobare vt falsum illud ipsum, quod summus Pontifex è Cathedra docens atq; instruens Ecclesiam recognoscit & proponit vt verum. Non poterit igitur ab ingenti temeritate liberari quicumque id, quod retulimus, iuxta verba Summi Pontificis sit in posterum reprobaturus.

Quintò tandem, ne videamur nostro nos, vel nostratum solummodo iudicio fidere, volo iudicio stemus ad minus duorum è societate Doctorum, quorum alter Eminentiam purpuræ doctrinæ celebritate superauit, alterius calamo Societas Iesu de suis venditijs obstricta est. Illum dico Cardinalem Ioannem de Lugo Hispalensem tot operum auctorem, hunc dico Albertum de Albertis in Lydio Lapide aduersus Scioppium, ille quidem interrogatus in terminis de casu nostro respondet disp. 20. de fide sess. 3. num. 96. his verbis: *Temerarius etiam est, qui negat historias pias communiter ab Ecclesia receptas et propositas, verbi gratia, quod Christus B. Thomæ Aquinati dixerit: Bene scripsisti de me Thoma.* Audis sententiam huius? accipe nunc verba secundi. Albertus de Albertis Societatis Iesu in Lydio Lapide parte 2. cap. 7. aduersus quemdam hominem suspectum de hæresi (vt ipse ostendit) qui audiens hanc piam historiam, in quodam familiari colloquio respondit, *Quid mihi fabulas Æsopi narras?* Sic ipse iuste indignabundus inuehitur. *Quot in vno crimine agglomeras crimina? nonne certissimum in primis est eiusmodi cælestis cum Thoma colloquij historiam ab vniuerso Patrum Dominicanorum cœtu velut compertissimam haberi, & prædicari & per ora omnium vulgari, & quidem meritissimo? &c. quid, quod hæc ipsa tam magna iniuria in omnes æque Pontifices Maximos, quorum auctoritate illa historia tum in ipsum consecrationis D. Thomæ diploma, tum in Romanum Sacrarum precum Breuiarium ad huiusmodi festum ornandum relata, totique Christianæ Reipublicæ, vt rata & fixa ad credendum proposita est, haud dubiè redundat? quid enim Apostolicæ Sedi fœdius; tibi vero antiquo Lutheri stabulario quid congruentius potest accidere, quam eandem illam Sedem, tamquam Æsopicarum fabularum inuentricem, altricemque mentiri? immo vero non solum Pontifices Maximos eiusmodi fabulæ conuitio, sed totam etiam Christi Ecclesiam cunctosque Ecclesiæ filios, quibus eadem illa historia extra controuersiam omnino prospecta est, turpissime vulneras: & quisquam amplius de tua hæretica impudentia, atque impietate ambigat? Sed quæro præterea ex te, non ne, qua fronte historiam indubitatam totiusque Ecclesiæ calculo confirmatam, tu proprio tuæ erraticæ intelligentiæ flata vertigine in fabularum censu habes, eadem & cætera quoque D. Thomæ prodigia atque miracula, quin etiam & reliquorum insuper e Dominicana familia Sanctorum omnium, ne dum Aquinatis, diuina facinora, cælestesque prærogatiuas in Millesiarum fabularum numero nihilo verecundius, eademque norma, repones? Quippenè? quanto procliuius aliorum pariter Diuorum, non tantum Dominicanorum è cætu, sed quibuscumque alijs quoque Ordinibus heroicas virtutes, dicta & facta, diuino prodigio nobilitata, fabulositatis damnabis? quam prono lapsu parique calumniandi lubentia, & cæteros quoque Ecclesiasticos annales, quibus minus ponderis, minus fidei atque auctoritatis inest, vt inanes, vt fluxæ fidei, vt è somnijs meris conflatos eleuabis? & parum ne hæretici furoris tui, atque impietatis hinc se erumpit?* Hactenus pro nobis ille.

Ad primum igitur, iam vidimus Gulielmum Thocum, Bernardum Guidonis, D. Antoninum, & alios, qui & antiquiores fuerunt, & historici, non concionatoris, munere fungebantur, ne dum in historia absolutè, sed etiam in circumstan-

cumstantijs eiusdem adinuicem conuenisse, quidquid esset de tribus alijs (quos Alua hinc inde vænatus est) quique nedum posteriores illis fuerunt, verum etiam compendio memoriter restringentes (more Oratorum non historicorum) miracula Sancti, non mirum inde si in circumstantia aliqua disconuenissent, quod tamen haud facile adhuc concedendum esse perspicies, si ex Chrysostomo recolas homilia prima in Matthæum, *aliud esse diuerso modo quid dicere, aliud aduerso*, ac vnum in præsenti obseruaueris, videlicet scriptum de accidentibus Sacramenti (de quo Parisijs) & officium Sacramenti (de quo Oruieti) in materia ad inuicem & in obiecto de corpore Christi, atque in Sacramenti nomine conuenire, & rursus doctrinam eandem de accidentibus insertam deinde fuisse à S. Thoma in quęstionibus de Sacramento Eucharistiæ versus finem vltimæ partis summæ; inde factum est hoc, vt etiam D. Vincentius volens primo referre miraculum Crucifixi Neapoli protulerit illis verbis, *cum scripsisset super materiam accidentium Sacramenti Altaris &c*; & tamen non intellexerit nisi de scriptione 3. p. (in qua illa quoque materia accidentium inserta est) ideoque ibidem continuo D. Vincentius veluti id exponens manifeste concludit: *tunc B. Thomas scribebat vltimam partem summæ, in qua tractabat de prædicta materia accidentium, quam partem summæ non perfecit morte præuentus*. En manifesta explicatio, ex qua etiam mox resolutio secundi argumenti patebit. Iuxta hanc igitur materiæ conuenientiam, in tribus licet distinctis locis, Barleten dicebat, *cum scripsisset de Corpore Christi &c. posuit super Altare Neapoli*, quia vtique in 3. p. tunc agens de Sacramento Eucharistiæ scripserat etiam de Corpore Christi, & si officium Corporis Christi antea Oruieti composuisset, quemadmodum postea recte Syluius intendit: Pipinus vero hinc longe minus distinxit quinternum Parisijs scriptum de accidentibus Eucharistiæ ab Officio Corporis Christi, quod sine dubio in Vrbe Oruietana adornauit, & Plodius eodem modo (breuitati magis indulgens quam claritati) subiunxit, *in Ciuitate Oruietana, seu Vrbiuetana, & Neapolitana, fuisse approbatam doctrinam* 3. p, quia videlicet S. Thomas 3. p. Neapoli tunc componebat (licet non sola approbata sit; vt ex præallata Bulla Clementis habetur), & in quæstionibus 3. p. de Sacramento Eucharistiæ dearticulata eadem Doctrina est, quam in compendio veluti in officio corporis Christi antea S. Thomas in Vrbe Oruietana restrinxerat. De Fulgosio vero (qui nec noster est, nec adeo sacris intentus) non multum nostri curabunt, si ex eo allucinatus esse videatur, quod Antoninus vtique eodem cap. 7. S. 11. (vt supra retulimus) de S. Thoma, antequam hanc approbationem Neapoli audiret, & prius quam Neapoli pro petendo Lugdunensi Concilio discederet, pro vnione ibi intenta Græcorum, præmittebat, quod etiam *de mandato Vrbani IV. fecerat librum contra errores Græcorum*; non tamen inquit D. Antoninus hunc vnum fuisse librum, qui tunc Neapoli approbatus sit.

Ad secundum, mox ante ostendimus D. Vincentium in verbis ab Alua perpensis, non de Parisiensi, sed de Neapolitano miraculo locutum esse, etiam si præmiserit, *quod tunc S. Thomas scripserat de materia accidentium*, quia scilicet de hac materia vtique scripserat in 3. p. vt statim ibidem se explicat in hoc eodem sensu Vincentius, iuxta mox recitata subiungens: *Tunc B. Thomas scribebat vltimam partem, in qua tractabat de prædicta materia accidentium*. Cum igitur hic

D. Vincentius agat de miraculo Neapolitano, D. vero Antoninus de Parisiensi, non mirum inde, si in reliquis diuersi miraculi circumstantijs (quas Alua affectate percutrit) non conueniant hi duo, sed discrepent, nec tamen adinuicem contradicant (vt eos Alua malitiosè traducit) cum contradictio ex philosopho sit affirmatio & negatio eiusdem de eodem secundum idem, non vero diuersorum, ac ideo singula, quæ inferendo multiplicantur ab Alua, vno hoc responso euanescunt.

Ad tertium, negabit nemo nostrum Martinez à Prado in sua notitia veridica capite secundo §. 14. (vt refert & conqueritur Alua pag. 454.) aduersus eundem Aluam iure merito indignari, quod *nec Sanctis, id referentibus, parcat &c.* non parcit etenim hoc tertio loco vel D. Vincentio Ferrerio, quem ideo describit *contemporaneum cum Ioanne de Montesono fuisse, immo & eiusdem Regni, vel territorij*, vt inde, verisimile appareret eundem Sanctum (quem inquit primum hanc approbationem doctrinæ San. Thomæ in publicum protulisse pro defensione eiusdem doctrinæ S. Thomæ aduersus quosdam Parisienses, cum quibus tunc anno 1387. Ioannes de Montesono litem agebat) idem miraculum velut implanatorem populorum confinxisse. *O præcidendam linguam à medicis! ò insanum curandum caput!* exclamaret D. Hieronymus Epist. 53. Sed vere nec somniauisset huiusmodi scelus Alua, vel culpam, si legisset illos, quos nos attulimus, histotiographos longe anteriores Vincentio, Thocum scilicet atque Bernardum idem miraculum attestantes, longe ante annum 1387 (quo illa controuersia Montesoni exorta est) nempe ad annum 1323, quo consecratio S. Thomæ promota ab eisdem sequuta est.

Ad quartum, non indigemus nos recitatis ab Alua, cum habeamus duos illos tam antiquiores historiographos sacros, ne dum Parisiense miraculum (vt in historia relata ab Alua) sed etiam Neapolitanum recensentes, & quo ad Parisiense (cum ea Colloniensis historia apud Aluam quo ad hoc ferme cum historia Thoci conueniat) non vnus Pater Martinus Scola pro teste refertur, & si hic vnus proprio nomine nuncupetur: immo subsequentes singuli congeruntur, nempe *Doctorem orantem* (inquit historia etiam apud Aluam) *cum socius eius cum aliquibus alijs Fratribus obseruarent, subito viderunt ipsum Christum antedictum Doctorem &c.* (en plures testes) & interiecta narratione miraculi, pergit: *ad quod prodigium intuendum Priorem Conuentus, & plures alios Fratres, quibus reuelatum erat hoc mirabile, pro testimonio vocauerunt* (en alios) *qui venientes viderunt, & pluribus alijs retulerunt, inter quos fuit Frater Martinus Scola de Prouincia Hispaniæ Vir magnæ deuotionis & famæ.* En vtique hunc vnum tantummodo nominatum, & de hoc eodem, paulo infra, subiungit: *Qui eam mirabilem visionem in Conuentu S. Maximini prædicto Fratri, & eius socio, qui pro Canonizatione prædicti Doctoris ad Curiam accedebant, coram pluribus retulit & certa attestatione firmauit.* En ipsi Thoco (qui apposite pro canonizatione promouenda Romam adibat) iste Pater Martinus tunc adhuc existens in Conuentu S. Maximini totum hoc Parisiense Miraculum sua ætate sequutum (dum ipse Martinus Parisijs esset) quoad singula ennarrauit, simul afferendo in contestes occulates omnes fere Fratres Conuentus Parisiensis (quorum plerique superstites esse poterant adhuc, vt ipse P. Martinus erat) nec non plures sæculares Parisienses in contestes auritos evulgatæ tunc statim attestationis eorundem. Quomodo igitur

his

Digitized by Google

his stantibus Thocus constanter adeo idem miraculum scripris suis editis evulgare tentasset, aut verisimile reddere potuisset, si rot prædicti Parisienses aduocati in conrestes, ne dum auritos, sed oculares, & insuper superuiuentes, falsitatem eiusdem miraculi (si non ita re ipsa fuisset) tam de facili redarguere potuissent? Sanè hic repeti poteranr aduersus Aluam recitata postremo Alberti verba aduersus Sciopium, si ea iterum in præsenti exscribere non tæduisset, ne diutius à tutandis reliquis approbationibus, vellicatis ab eodem Petro de Alua, detineremur, & vt interim Lectorem nostrum remitteremus ad Sapientissimum Magistrum Ioannem à S. Thoma dispu. 1. ad prolegomena de approbatione Doctrinæ S. Thomæ ar. 3. ante 3. Conclusionem §. *dices*, tribus modis optime explicantem, quomodo ex hac Christi Domini approbatione non sequatur adhuc Sancti Thomæ doctrinam velut de fide approbaram esse, quemadmodum aliqui forsan ineruditi in præsenti nobis (sed perperam) obijcere cogitarent.

ARTICVLVS II.

An similiter negari liceat Beatam Virginem S. Thomæ apparuisse, eumque de suæ integritate doctrinæ certum effecisse.

VIdetur id licere negari eidem Petro de Alua nodo 8. §. 1. per totum, primo quia sicut ad annum 1387 exorra est Parisiensis controuersia illa Ioannis de Montesono cum Vniuersitare Parisiensi circa defensionem doctrinæ S. Thomæ, ita ad annum 1475 exortæ sunt in partibus Lombardiæ magnæ illæ controuersiæ Vincentij Bandelli Ordinis Prædicatorum circa eandem defensionem doctrinæ S. Thomæ, & sicut ideo supra dicebat Alua approbationem illam doctrinę Angelicę ex ore Crucifixi solum ab illo anno 1387 prodiisse, ita hic idem inquit approbationem doctrinę eiusdem ex ore B. Virginis solum post annum 1480 adinuentam esse, ideoque concludit quod sicut de illa priori ea de causa suspicio exoriebatur, ita à fortiori de ista longe posteriori, quæ integro sæculo post illam reperta fuit, longe maior suspicio haberi poterit ac debebit.

Secundo, quia illam priorem ad minus recensebant D. Vincentius Ferrerius. D. Antoninus, & alij, vt vidimus, immo & duo summi Pontifices Pius V, & Clemens VIII. collaudabant, vt supra relatum est, istius vero nemo omnino prædictorum mentionem egit; immo nec Girardus Renerius nec Raphael de Pornasio, qui pro defensione S. Thomæ ante Bandellum collegerant plures alias approbationes doctrinæ eiusdem. Signum igitur euidens est hanc posteriorem ad minus fictitiam esse.

Tertiò, ne quis occurrat aiendo, & istam posteriorem agnitam & memoratam à D. Vincentio Ferrerio (qui floruit ad annum 1419) in sermone de S. Thoma illis verbis, *apparebant ei Angeli Sancti, Apostoli Petrus & Paulus, & aliquando ipsissima Dei Mater cum Filio, illumque de veritate instruebant*; in aduersum opponit Alua, tum quod Poza iam dixerit, *verba ista forte fuisse adiecta Sermoni Vincentij*, tum quod *de veritate instruere in aliquo particulari non est approbare totam doctrinam*. Remanet igitur adhuc quod dicebatur, solum ab anno 1480, in officio Missæ pro festo San. Thomæ edito per Bandellum in præfatione effictam

hanc esse, & publicatam, indeque eam posteros ebibisse.

Quartò, nam Porrecta noster Ordinis Prædicatorum in proloquio ad p. p. B. Thomæ agens de hac ipsa approbatione sic habet: *vt communiter in Ecclesia legitur, & à Papa Iulio III. approbatur, Beatissima Dei mater Maria Diuo Thomæ quadam vice apparuit, & ipsum de sua vita & scientiæ integritate certificauit:* hæc ille, quæ postea fermè transcripserunt, Nugnus in tertiam partem ab initio, Franciscus Syluius Orat. secunda de S. Thoma, & alij. Sed (hic statim subsumit Alua pag. 515) *huius Iulij Tertij approbationis authenticum testimonium nullus hucusque vidit, nec ostendit, & credo, quod vix aut nunquam inuenturi sint. Vellem videre verba, vel aliquod rationabile fundamentum.* Igitur interim (vt paulo ante pag. 514. inferendo dicebat) concludi poterit, *hanc approbationem finxisse Vincentium Bandellum de Castro nouo, qui primus illam publicauit &c.* vt antea relatum est.

Quintò deniq; alter aliquis post Aluam obijcere fortasse potest ex eo, quod nec in Bulla, nec in Processu Canonizationis, qui nunc editus legitur apud Bolandum ad diem 7. Martij, nulla huius apparitionis Deiparæ mentio habeatur. Non videtur vero dimittenda fuisse ibidem, si vera fuisset. Non vera igitur, sed suspecta potius alicui exindè videri potest.

In oppositum tamen est, quod præter Diuum Vincentium Ferrerium in sermone de S. Thoma, Venerabilem Porrectam nostrum in proloquio ad p. p. & vno verbo integrum Thomistarum Torrentem, & tot alios extraneos id attestantes, peculiariter etiam è societate Granadus in disp. prolegomena ad summam Theologicam cap. 3. de S. Thoma, id velut notum, ac certum adducit his verbis: *Et Beata Virgo Maria in quadam apparitione Doctrinam S. Thomæ Filio ipsius acceptam esse testata est*; Et Cosmus Alamannus ex eadem societate in Præfatione Summæ Philosophicæ, *D. Thomæ Doctrina*, inquit, *Deiparæ Virginis Oraculo confirmata*, & societatis Scriptor similiter Bolandus ad diem 7. Martij pag. 760 de S. Thoma sic habet: *à Deipara apparente fit certus de Vita, & Scientia*; nec vllus alter hucusque (præter vnum Pozam damnatæ memoriæ, & cum eo Aluam, qui in suo proscripto libello hunc eundem lapidem reuoluere conatus est) nullus, inquam, alter hanc Beatæ Virginis reuelationem reuocare sub dubio auditus est. Non videtur igitur licere amplius eandem tam vniuersali approbatam consensu, vt Alua præstitit, reprobare.

Respondeo non ita licere vtique hanc Beatæ Virginis apparitionem, seù reuelationem factam S. Thomæ, vt relatum est, abijcere, vel refutare. Nam vt manifestè in primis falsitatis conuincatur Alua, dum calumniatur *hanc finxisse nostrum Vincentium Bandellum de Castro nouo*, sat erit aduertere, quod alibi sæpe repetebat idem Alua, præsertim (vt alia loca dimittam) nodo 4. §. 1. *Anonymum, qui scripsit anno 1475* de Controuersia exorta tunc in partibus Lombardiæ, *fuisse Bandellum, qui occultato proprium nomen sub Larua illa edidit tractatum eundem*. At vero hic ipse Anonymus in hoc eodem tractatu tunc edito fol. 125. (vt idem Alua in hoc eodem nodo 8. fatetur pag. 114.) adducturus hanc eandem reuelationem, seù alloquutionem Beatæ Virginis ad S. Thomã, præmittebat in testimonium eiusdem antiquiorem longè Historiam Vitæ eiusdem S. Thomæ, quæ legebatur, dicens: *Doctor iste sæpe, vt in eius Historia legitur* (audi) *ipsius Matris Dei familiari demulcebatur eloquio*. Quomodo igitur

idem

Digitized by Google

idem iste Bandellus nunc primus auctor ab eodem Alua supponitur, aut accusatur, velut qui eandem reuelationem siue eloquutionem Virginis finxerit, aut evulgarit?

Secundò, vt appareat etiam de qua antiquiori Historia hic ipse auctor loqueretur, & quam longè antea per integrum sæculum cum dimidio, antequam controuersiæ illæ anni 1475 in partibus Lombardiæ exorirentur, hæc eadem approbatio Doctrinæ S. Thomæ per Beatam Virginem evulgata sit, præstat adire sæpè laudatum Bolandum ad diem 7. Martij, & ibidem legere Gulielmū Thocum in Vita San. Thomæ cap. 7. simul ex testimonio Beati Rainaldi socij S. Thomæ id referentem his verbis: *Aliud grande prodigium prædictus Socius eius retulit de prædicto Doctore, quod in vltimis constitutus reuelauit ei pro Dei laude, & eius consolatione. Quod Beata Virgo Gloriosa Mater Dei ei apparuit, quæ ipsum certificauit de Vita sua, & scientia.* En reuelationem Deiparæ. Et forsan id ipsum, reipsa continetur in testimonio eiusdem Rainaldi recitato etiam in processu Canonizationis cap. 7. ab illo versu: *quod eius scientia non fuerit à naturali ingenio acquisita, sed per reuelationem &c. eo quod quando in aliquo dubitabat, recurrebat ad Orationem, & perfusus lacrymis de ipso dubio reuertebatur clarificatus, & doctus: & hoc testimoni um retulit ipsi testi, & multis alijs publicè in Scholis dictus Frater Rainaldus.* En consonantiam testimonij Beati Rainaldi collaudati postea etiam in Bulla Canonizationis sub titulo, *Confessoris eiusdem Sancti Ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audiuerat.* Constat autem (vt supra præmisimus) Gulielmum Thocum, qui fuerat auritus discipulus S. Thomæ (ex eodem cap. 7. processus Canonizationis) hanc Historiam scripsisse, & evulgasse, si non longè ante, ad minus ad annum 1323 quo postea Canonizatio San. Thomæ sequuta est. Antequam igitur anno 1475 controuersiæ illæ (memoratæ ab Alua) in partibus Lombardiæ exorirentur, iam per integrum sæculum ad minus cum dimidio, eadem reuelatio Beatæ Virginis evulgabatur, & (vt reor ex ante perpensis) approbata, vel ad minus communiter recepta erat.

Tertiò hinc euanescit, quod suspicabatur Poza in memoriali ad iudices veritatis, scilicet verba tangentia hanc reuelationem (quæ in sermone de S. Thoma apud Divum Vincentium Ferrerium leguntur) *fortè addititia esse*, euanescit, inquam, suspicio hæc, cum longè ante in Vita edita S. Thomæ, vt vidimus, eadem reuelatio legeretur: vnde immò ex qualitate personæ, tum Diui Vincentij, tum Beati Rainaldi, tum Gulielmi Thoci id contestantium sic argui potest. Non est sane verisimile tres viros, quorum alter Sanctorum albo adscriptus est, alter Beati titulo decoratur, alter Sanctorum similiter apparitiones meruisse, vt suprà diximus, celebratur, non, inquam, verisimile est hos viros miraculum falsum finxisse pro vero, aut dubium evulgasse pro certo. Sed trium prædictorum, qui hanc mirabilem apparitionem Deiparæ, & alloquutionem ad S. Thomam primitus evulgarunt, alter quidem, scilicet Vincentius Ferrerius, iam inter Sanctos relatus est, alter scilicet Rainaldus, antiquo Beati titulo legitur insignitus, & demum tertius, scilicet Gulielmus Thocus (vt notat Bolandus pag. 655 ex Bernardo Guidonis in fine Miraculorum) ille idem est, de quo in eadem Vita S. Thomæ cap. 5. in confirmationem Historiæ ab eodem scriptæ sic dicitur: *post Orationem dormienti Fratri Beatus Thomas apparuit &c. quem cum vellet Frater interrogare de tota sua Historia, si contineret*

in

in omnibus veritatem, tres globi luminis in splendore æquales, sed vnus erat super duos, apparuerunt subito ante ipsum. Tunc Frater memor, quod legerat, dixit; docuisti Magister, & scripsisti, quod Sancti triplicem visionem habuerunt de Deo, aliquam sensibilem, aliquam imaginariam, aliquam intellectualem: intelligens prædictus Frater hanc triplicem modum visionis prædictos tres Globos luminis designare. Qui (scilicet B. Thomas) *respondit. Verum est, & statim disparuit.* Hæc ibi, præter alteram visionem eiusdem S. Thomæ repetitam eidem Thoco, quæ legitur in eadem vita cap. 7. Non igitur verisimile est hos tres & huiusmodi Viros simul (in contestando hanc Deiparæ reuelationem, vel alloqutionem ad S. Thomam) aut miraculum falsum effinxisse pro vero, aut dubium evulgasse pro certo. Addi poterat & Bernardus Guidonis bis Episcopus, & contemporaneus Thoco, vt obseruauimus supra, qui omnia habet in sua Historia, ac habeat idem Thocus, quemadmodum idem Bolandus aduertit, sed quia in Capitum titulis (qui hac de causa soli plerumque apud Bolandum describuntur) id extense non legimus, ideo eiusdem verba recitare non licuit.

Quartò nam eadem hæc mirabilis apparitio, & alloqutio Deiparæ ad Thomam, ne dum modo in Breuiario nouo Ordinis reformato, & approbato per Clementem VIII retinetur, ac canitur in Ecclesia publicè in festo Sancti Thomæ, illis verbis Responsorij V, *Dei Mater mulcet alloquio;* verum etiam (vt agnoscit Alua nodo 14 §. 1.) Antiphonæ & Responsoria, quæ modo canuntur, cum illis, quæ canebantur in Officio edito ante annum 1475, inuicem collata conueniunt, & consequenter id ipsum ad minus ab eodem anno 1475 vsque modo per duo integra sæcula, & amplius, idem miraculum publicè canebatur, & canitur in Ecclesia, atque in Ecclesiastico Officio legebatur ac legitur. Sed, vt semel ac iterum supra probatum est, temeritate non vacat abijcere aut refutare ea, quæ per Ecclesiam ad minus recepta sunt in Ecclesiasticas preces à tanto præsertim sæculorum spatio. Temeritate igitur non vacat abijcere aut refutare hanc mirabilem apparitionem, & alloqutionem Deiparæ ad S. Thomam, vt dicebamus, immo ante nos id dicebat ad hoc institutum (licet breuissimè vix duodecim lineas scribens de hac reuelatione) & concludebat aduersus Pozam noster Grauina in Cherubin Paradisi lib. 4. cap. 3. pag. 359 dicens: *licet reuelationes priuatæ non pertineant ad obiectum fidei, nihilominus, vt leuitas est illas passim sine delectu admittere, ita & omnes repudiare temerarium est: hoc fuse docuimus in nostro tractatu de discernendis veris à falsis reuelationibus. Satis igitur est, vt rationabiliter asserantur, ne Centuriatoribus arma ministremus, si probati Scriptores, diuina Officia, quæ in Ordine Prædicatorum recitantur, id tradant.* Hæc ille.

Quintò tandem; cum in Capitulo Generali Salmanticæ habito anno Domini 1551 de materia Ritualium prolixè tractatum esset, Iulius III. Pontifex Maximus in Bulla edita anno sequenti 1552 confirmauit libros omnes Chorales (vt vocant) Ordinis nostri, simulque prohibuit mutationem eorum quàcumque cuicunque alteri, *Nisi aliter Capitulo generali visum fuerit iuxta laudabiles consuetudines Ordinis:* sunt verba Summi Pontificis, vt transcribit etiam Didacus Morales in Opusc. *de laudibus S. Thomæ* dicato Alexandro VII. pag. 44. Sed (vt mox concedebat Alua) iam ab anno ad minus 1475 vsque modò semper, & consequenter etiam eodem anno 1552, in eisdem libris Chorali-

bus

Digitized by Google

bus in Officio festi S. Thomæ hæc mirabilis reuelatio legebatur, vti & nunc legitur. Per Bullam igitur eiusdem Summi Pontificis Iulij III. simul eadem consequenter approbata est, immo prohibita quæcunque mutatio, vt relatum est.

Ad primum ergo, eo magis probatæ hucusque reuelationis veritas confirmatur, quo manifestiùs impugnantis obiectio de falsitate conuincitur, dum ex perpensis hactenus attestationibus, ne dum Diui Vincentij Ferrerij, sed etiam B. Rainaldi, Gulielmi Thoci, & aliorum, qui per integrum sæculum eum dimidio præcesserant annum illum 1475, & eādem reuelationem attestati sunt, consequenter euincitur istam non ab anno 1475. velut spuriam ab ignotis Parentibus (vt Alua imponebat) sed tam longè ante à Primæuis Parentibus ortu legitimo prodijsse.

Ad secundum non semel supra responsum est, non esse necesse ab omnibus omnes approbationes Doctrinæ S. Thomæ (dum adhuc eundem sectarentur aut laudarent) recensitas esse; cum nec illi (qui in obiectione referuntur) vix expenderint, aut memorarint tot alia excelsa elogia etiam doctrinæ S. Thomæ, quæ Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis superabbundè exprimebat, & tamen nemo est, qui de eadem Canonizationis Bulla dubitarit, neque similiter ijdem retulerũt Elogium illud Clementi VI. in approbationem Doctrinæ eiusdem, quod tamen elogiũ etiam Petro de Alua certissimum est: & sic prosequi liceret de alijs, de quibus satis in superioribus obseruatum est. Vniuersim igitur Scholæ nos docent similia argumenta ab auctoritate negatiua desumpta velut nullius roboris, aut ponderis despicienda esse, vt inter cæteros Baronius noster eidem Aluæ respondens frequentissime contemnebat, ideoque alijs intentus eundem Aluam breuissime præteribat.

Ad tertium, præter prælusam iam voluntariã nimis Ioannis Baptistæ Pozæ suspicionem, de additis verbis in sermone Vincentij (qua singula etiam grauioris ordinis testimonia deludi valerent) similiter alter Aluæ cauillus risum meretur potius, quam responsionem: licet etenim (*de veritate instruere in aliquo particulari non sit tot ã approbare Doctrinam*) dum tamen D. Thomas anxius de suæ veritate doctrinæ instrui sæpè in Oratione pro sui securitate petebat (vt non semel Thocus ex testimonio etiam Beati Rainaldi referebat) tunc *instrui de veritate* (vt absolutè, non in aliquo particulari, S. Vincentius loquebatur) quid, quæso, aliud erat, aut est, quam certum reddi de securitate doctrinæ, seù eiusdem approbari doctrinam? quemadmodum etiam ante Vincentium id ipsum Gulielmus Thocus simul cum Beato Rainaldo manifestioribus verbis (sicut retulimus) exprimebat.

Ad quartum, si Alua videre cupiebat *Iulij III. verba aut aliquod rationabile fundamentum*, vt ipse loquebatur, satis erat adire editionem Breuiarij Ordinis Prædicatorum ad annum 1552 cum Bulla eiusdem Iulij III. approbantis simul cum Breuiario etiam Officium S. Thomæ, in quo tunc quoque, vt vidimus, hæc reuelatio Deiparæ recitabatur; & ita vidisset, cur Venerabilis ipse Porrecta prudenter ea verba adhibuerit, scilicet, *vt communiter in Ecclesia legitur, & à Papa Iulio III. approbatur &c.*

Ad quintum denique adiunctum à nobis, constat nec cætera omnia (quæ in Processu Canonizationis S. Thomæ probata sunt) in Bulla Consecrationis exprimi,

primi, vel peculiariter memorari, etsi maximi ponderis essent, vt inter cætera illud celeberrimum quoque gestum S. Thomæ, de effronti muliere titione fugata, quod tamen singulariter affertur in Processu Canonizationis cap. 7. apud Bolandum num. 61, & sicut istud satis est in Bulla Canonizationis implicitè contineri, vel in illis verbis Bullæ, *Virginitate mansisse incorruptum*, vel illis, *Castitatis nitore canduisse*, vel illis, *in habitu Prædicatorum (inuito etiam Patre, qui eius felicibus actibus inuidebat) constantiùs mansisse*, & huiusmodi alijs; ita & istam Deiparæ reuelationem, & huiusmodi cæteras, satis est implicitè contineri, aut in illis verbis Bullæ, exprimentis solum miracula post mortem ideoque in communi præmittentis, *licet & antea nonnulla miracula fecisse memoretur*, scilicet dum viueret, aut in illis verbis eiusdem Bullæ, *vt illud Psalmi (Rigans montes de superioribus suis, de fructu Operum tuorum satiabitur terra) in eo verissimè impleretur*, aut in illis, *quod reuelatione sibi post suam Orationem facta didicerat*, aut in illis, post enumeratos nominatim eiusdem libros, *plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, fideique dilatationem &c. non absque speciali Dei infusione perfecit*. Quo ad processum vero à Bolando vulgatum (in quo si non omnes explicitè) saltem implicitè continentur huiusmodi reuelationes, in eo, quod repetitis vicibus cõprobatur sæpè S. Thomam eleuatum à terra visum esse in extases raptum, & consequenter ad minus imaginarias, vel intellectuales Cælitum visiones huiusmodi frequentissimè habuisse, quo ad hunc, inquam, Inquisitionis pro Canonizatione Processum à Bolando vulgatum, ob oculos semper habendum est, tres fuisse de Vita, & Miraculis S. Thomæ sub Ioanne XXII Processus, istumque Bolandi esse dumtaxat illum, qui secunda vice ad annum 1319 formatus est, vt Bolandus ipse concedit & admonet pag. 655. Et quidem prima Inquisitio præcedens hunc secundum Processum laudatur ab eodem Summo Pontifice Ioanne XXII. in Bulla committente secundum Processum, eidemq; Processui præfixa, illis verbis: *tribus &c. Cardinalibus commisimus, vt apud Sedem Apostolicam de huiusmodi sanctitatis Vita, & miraculorum fama prædicti Fratris Thomæ informationem per testimonia fide dignorum reciperent &c. & quia prædictorum Cardinalium relationem fidelem corã nobis & Fratribus nostris factam accepimus &c.* En prima Inquisitio. Secunda inde in eadem Bulla edita anno 1318 committitur Archiepiscopo Neapolitano cum Episcopo Viterbiensi, quæ Inquisitio *anno 1319 die 18. Mensis Septembris finita est*. *Cui* (vt loquitur Bolandus dicta pag. 655) *alia substituta Inquisitio apud Bernardum Guidonis indicatur*; & mox pag. 656: *Altera pars miraculorum apud Bernardum Guidonis, ex secunda Inquisitione desumitur, quam secundam inquisitionem nec dum vidimus*, scilicet secundam in Ordine ad miracula principaliter. Id ipsum eodem tempore prædictarum Inquisitionum attestatur Gulielmus Thocus in Vita S. Thomæ cap. 13. dicens: *totus Processus, qui ad honorem Dei & dicti Sancti est subito institutus, diuino nutu fuerat frequenter resumptus*: & demum (quod supremum est) id etiam in subsequenti postea Canonizationis Bulla fatetur ac firmat idem Ioannes XXII. Pontifex dicens: *non semel tantum, sed primo & secundo, non festine sed mature inquiri fecimus, & per nos etiam & Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales inquisitionem huiusmodi exacta discussione examinauimus diligenter*. Cum itaque Processus à Bolando vulgatus vna dumtaxat secunda pars sit, trium Inquisitionum, quæ tunc factæ sunt, nec modò leguntur, non mirum est in eo solo

Pro-

Digitized by Google

Processu Bolandi non reperiri omnia, quæ de S. Thoma modo communiter habentur vt certa, præsertim attento vlterius, quod de ista secunda Inquisitione loquens idem Gulielmus Thocus eodem cap. 13. addebat: *miraculorum aliqua non fuerunt apud prædictos Inquisitores inuenta, quia testes Neapoli propter distantiam & impotentiam non potuerunt accedere. Et Reuerendus Pater Neapolitanus Episcopus propter senectutem sine vitæ periculo in loco dicti Monasterij Fossæ nouæ, in quo & eius circuitu erant testes, non potuit cum dicto Domino eius Collega Episcopo conuenire.* Hucusque Thocus, quæ valdè, vt dixi, pro his abigendis in proposito leuium quorundam nubeculis præ oculis semper habenda sunt.

ARTICVLVS III.

An etiam sine temeritatis nota reijci possit apparitio Apostoli præsertim Pauli facta S. Thomæ.

Videtur refelli posse, tum eidem Petro de Alua irridenti similiter hanc apparitionem Pauli nodo 7. §. 1. per totum, tum Petro à Valle clausa in sua Diatriba 3. §. 40. inde damnanti nostrum Nicolaum Iansenium aientem: *Scholas Thomæ Paulus ingreditur.* Et primo Alua vtitur illo suo toties alibi ad nauseam vsque repetito argumento, quia, inquit pag. 493, *ex antiquis Montesonus, Eymericus, Fornasius, Rainerius &c. licet adduxerint respectiue alias approbationes doctrinæ S. Thomæ, nunquam ad hanc Paulinam approbationem manum apposuerunt, vti Anonymus ille scriptor Ordinis Prædicatorum scribens ad annum 1475. primus hac S. Pauli approbatione vsus est.* Igitur inde (vti de alijs supra inferebat) inferendum esse supponit & istam ab eodem inuentore Anonymo fictam esse; immo vlterius irridendo potius eandem, quam permittendo, pagina postea 496, per irridentis irroniam subiungit: *concedimus libentissime expositionem super Epistolas D. Pauli esse genuinum opus S. Thomæ,* quod antea negarat argumentis à nobis libro secũdo ex instituto solutis, *& sic fuisse approbatam à S. Paulo, atque etiam à S. Petro, & propter approbationem huius expositionis omnia alia opera Angelici Doctoris per participationem remansisse ab eodem Doctore gentium approbata, vt vera, Catholica, indubitata, & si quid aliud desideratur.* En ironiam.

Secundò, quia integra huius apparitionis historia innixa est solummodo *cuidam Fratri Paulo de Aquila in visione imaginaria* (vt adhuc historia legitur) *videnti Paulum* ingredientem Scholam, in qua legebat S. Thomas &c. quam debile autem hoc fundamentum sit, sic rhetoricando conatur Alua suadere dicens pag. 494, & 95: *licet P. Paulus de Aquila (de quo neque vt Sancto, neque vt Beato, vel homine illustri, aliqua inuenitur notitia in scriptoribus Ordinis Prædicatorum) esset approbatæ vitæ, non tamen tantam habet auctoritatem &c. Noli quærere in hoc, an Frater Paulus esset dormiens, vel vigilans, aut visio illius fuerit in fantasia alienati à sensibus &c.* Ex nimis debili igitur fundamento, cui innixa est, nimis suspecta & ista apparitio videtur.

Tertiò, videntur illi, qui hanc historiam retulerunt, eandem in multis adulterasse, tum quia, inquit Alua pag. 494, ille Scriptor Anonymus (de quo mox ante) præter Paulum apparentem, addidit & Petrum S. Thomæ apparuisse, & sic, vt loquitur Alua, *reuelatio, quæ tantum fuerat S. Pauli, iam est etiam S. Petri,* tum quia illi Salmanticenses, qui apologiã ediderunt pro iuramento Acca-

demiæ Salmantinæ, referentes hanc eandem historiam ex D. Antonino par. 3 historiæ, titulo 23. cap. 7. §. 12. adeo adulterant Antonini verba, tot varietatibus ab eodem Alua perpensis, *vt in vna hac auctoritate* (inquit Alua pag. 496) *habente viginti quatuor di ctiones latinas, in additis, derelictis, ac mutatis, inueniantur plura quam quadraginta vitia*. Ex minori igitur referentium fide minor etiam historiæ eidem fides relicta est.

Quartò addit Alua, apparere immo contra dictionem etiam in historia ipsa relata à D. Antonino, dum, *si illa historia ve ra est, expositionem Epistolarum S. Pauli elaborauit Angelicus Doctor instante morte sua* (inquit Alua pag. 497) eo quod in historia apud D. Antoninum sic legitur, *Frater Paulus de Aquila illa hora, qua Sanctus migrauit, in visione imaginaria vidit B. Thomam in scholis legentem &c. & Paulum ingredientem &c. & B. Thomam rogauisse Paulum, vt ei diceret, si habuisset in Epistolis suis verum intellectum &c.* Et tamen idem D. Antoninus par. 3. titulo 19 asserebat, *S. Thomam scripsisse postillas super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corynthios, ad Hebraos, vsque ad 11. Caput, & super alias Epistolas Pauli postillas reportatas esse per Rainaldum Socium eius post ipsum legentem, seu* (vt paulo ante dixerat) *ipso legente, quas idem Doctor fertur postea correxisse*. Hæc Antoninus. *Quomodo igitur* (concludit Alua) *si decessit è vita S. Thomas laborando istam expositionem Epistolarum, quomodo dicit S. Antoninus, quod eius Socius Reginaldus reportauerit, seu compleuerit istam post ipsum legentem, & quod postea fuerit correcta ab ipso Angelico Doctore? nisi dicatur, quod venerit è Cælo ad illius correctionem*; Quomodo vlterius hæc consonant (quidam alter addere potest) simul cum testimonio Gulielmi Thoci, & aliorum relatorum supra dicentium, San. Thomam prope obitum scripsisse 3. partem summe, quam morte præuentus neque potuit consummare?

Quintò tandem, inquirit Petrus à Valle clausa §. 40, citato, *an velit hic encomiastes, S. Paulum ingredi scholam S. Thomæ, vt discipulum & auditorem, an verò vt Magistrum in schola S. Thoma docentem? Si hoc secundum* (sunt verba ipsius) fatendum erit S. Thomam esse Doctorem Canonicum, cui eadem fides habenda sit, quæ S. Paulo dicenti haberetur. At hoc non est modo delirum, sed hæreticum; itaque restat, vt significare voluerit S. Thomam electum esse, vt ipsum quoque S. Paulum doceret: in quo hic encomiastes æmulatus forte est S. Chrysostomum in cap. 3. ad Ephesios, cum dixit S. Paulum ipsos quoque Angelos docuisse. Sed hoc per hyperbolen à S. Chrysostomo de Scriptore Canonico, & de Angelis prolatum, (nec sine grano salis accipiendum &c.) non fuit trahendum ad Theologum, qui non sit super hominem, eiusmodi sanè est S. Thomas, *quicquid importune obsonus iste panegeristes coaxet*, scilicet Nicolaus Iansenius in apologia pro Bzouio, & congestis subinde ex Sanctis Patribus excelsis illisque meritissimis elogijs doctrinæ Pauli, concludit: *hunc in sua schola auditorem ac discipulum dici, illubens auribus audit nunc in cælo doctus à Domino S. Thomas*. Hæc ille, ex quibus etiam per consequens eadem apparitio Pauli reprobari posse videtur.

In oppositum tamen est, quod ante Anonymum illum (qui scripsit ad annum 1475.) longe antea scripserant D. Antoninus ad annum 1445, & D. Vincentius Ferrerius ad annum 1419, hosque duos Sanctos Viros falsum evulgare miraculum voluisse nimis temere iudicaretur. At hi ipsi appositè hoc mi-

raculū de Apostolo præsertim Paulo apparente S. Thomæ evulgarunt, D. quidem Antoninus (vt etiam Alua fatetur) in 3. parte historiæ titulo 23. cap. 7. §. 12. D. vero Vincentius Ferrerius (licet ab Alua taceatur) in sermone de S. Thoma dicens: *apparebant ei Angeli, Sancti Apostoli Petrus & Paulus, & aliquando ipsissima Dei Mater cum Filio, illumque de veritate instruebant*: nimis igitur temere aliquis iudicaret, vel ab Anonymo (qui duobus prædictis Sanctis longe posterior scripsit) vt suspicabatur Alua, vel ab eisdem duobus Sanctis (qui illud prius asserendo retulerunt) mentiendo & cum falsitate hoc miraculum evulgatum esse.

Respondeo pro hac veritate firmanda, tam & si duo mox præcitati Sancti sufficerent, superesse adhuc testimonia clariora ac longe priora prædictis, quæ in præsenti transcribere satis erit. Nimirum Gulielmus Thocus, atque Bernardus Guidonis, qui S. Thomam viuentem adhuc agnouerant, eiusdemque canonizationis tempore sua opera ediderunt, hi ipsi contestantur eandem Pauli apparitionem, immo & alteram simul Petri ac Pauli reuelationem. Et quidem ante Bernardum Guidonis (qui aduertente Bolando eadem habet ac Thocus) ipse Gulielmus Thocus in sua antiquissima historia cap. 10. de San. Thoma sic habet. [Quia prædictus Doctor ad B. Paulum specialem deuotionem habuit, qui ei cum B. Petro textum scripturæ dubium, vt prædictum est, reuelauit, in morte consolatione Apostolica non caruit: nam ipso migrante in Fossa Noua, Frater Paulus de Aquila Vir magnæ probitatis & famæ, qui fuit Lector & Inquisitor hæreticæ prauitatis, existens in Conuentu Neapolitano, vidit in visione imaginaria prædictum Doctorem in scholis legentem Neapoli coram multitudine copiosa Scholarium, & B. Paulum eius Scholas intrantem cum Societate Sanctorum. Cui cum Lector, de cathedra descendens, vellet occurrere, Apostolo ei innuente quod legeret, & quod prosequeretur, quam cæperat, lectionem, Doctor rogauit Apostolum, vt ei diceret, si habuisset verum de suis Epistolis intellectum. Qui respondit. bene, sicut in hac vita homo viuens in corpore potest scire; sed volo, vt mecum venias, & ducam te ad locum, vbi clariorem habebis de omnibus intellectum, & videbatur ipsum per cappam accipere & ducere extra scholas. Ad cuius Doctoris exitum prædictus Frater cæpit fortiter clamare: Succurrite, quia Frater Thomas à nobis tollitur, ad cuius clamorem Fratres excitati interrogauerūt, quid clamans in visione vidisset; qui narrauit per ordinem visionem.] Audi nunc contestationem authenticam eiusdem cælitus immissæ visionis, ne causetur Alua de hoc Fratre nostro, vt Iosepho olim eiusdem Fratres opponebant; *Ecce somniator venit*. Sic pergit historia. *Qui Fratres horam notantes compererunt, quod tunc concessum fuit Doctori ex hac vita transire, qua visus fuerat Beatus Apostolus ipsum ad gloriam inuitare. Felix Doctoris anima, cui cælestes ciues obuiant, vt ad cælestia regna perducatur, & quem habere meruit, dum viueret, instructorem scientiæ, dum ex hac vita transiret, habuit ad cælestem gloriam conductorem*. Hæc Thocus apud Bolandum de verbo ad verbum exscripta. Cum vero hic dicat *eundem B. Paulum cum B. Petro eidem Doctori textum scripturæ dubium reuelasse, vt prædictum est*, ideo superius in alio duplici capite, quarto in ordine, & sexto (vbi id enarrat) consulendus est. In quarto quidem capite breuiter hanc alteram (non imaginariam amplius sed sensibilem apparitionem) vtriusque

Apostoli tangit dicens, *scripsisse B. Thomam super Isaiam & in eius quodam textu difficili post orationes frequentes, & lachrymas, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse visionem:* Ad quod caput 4. Bolandus in nota signata per litteram I, ita subiungit: *hæc visio late describitur etiam à Bernardo Guidonis, qui videri potest apud Mombritium, quæ etiam S. Antoninus, & passim alij habent.* In capite vero 6 idem Thocus eandem diffusè sic reassumit de S. Thoma, dum scriberet super Isaiam, ac narrat his verbis. *Vno dierum celebrato cum deuotione & ieiunio de nocte audiuit prædictus eius socius Rainaldus ipsum loquentem, cum quo vel quibus ignorans: sonum quidem percipiens, materiam autem, de qua currebat locutio, non perpendens; qua locutione finita prædictus Doctor dixit socio. Filij Rainalde surge & accende candelam, & accipe quinternum, in quo super Isaiam scripseras, & parate iterum ad scribendum; qui cum diutius scriberet, quæ Doctor ea facilitate dictabat quasi in libro legeret &c* tandem finita scriptione genuflexus exorauit per nomen Omnipotentis Dei, vt sibi Doctor diceret, cum quibus antea loqueretur, vt pergit enarrare Thocus, *tandem*, inquit, *prædictus Doctor prorumpens in lachrymas respondit. Fili vidisti his diebus afflictionem meam super dubio, quod habui super istum textum, quem modo exposui, quem multis lachrymis à Deo scire petiui; vnde hac nocte Deus miseratus mei misit ad me Beatos Apostolos Petrum & Paulum, per quos ipsum rogaueram, qui me omnia plenissime docuerunt. Sed ex parte Dei tibi præcipio, vt in vita mea non audeas reuelare &c. O felix Doctor, hospes mundi, & Ciuis Cæli, qui cum celestibus loquitur, dum adhuc in corpore hospitatur. O certe vera, & digna fide prædicti Doctoris approbata doctrina, quæ diuina reuelatione suscipitur, & à cælestibus Doctoribus edocetur.* Hæc Thocus, post quæ si adesset etiam eiusdem B. Rainaldi Socij ac confessarij S. Thomæ contestatio post mortem eiusdem S. Thomæ, deposita ac comprobata in processu canonizationis eiusdem S. Thomæ, quid, obsecro, amplius vel ab æmulo aut aduersario desiderari liceret? Nunc itaque consule solum eam processus partem, quæ (non inuentis reliquis duabus partibus) in Bolando nunc legitur, & cap. 7. Processus eiusdem canonizationis num. 59. hæc verba reperies. *Frater Rainaldus audiuit noctis tempore dictum Fratrem Thomam in camera sua loquentem cum alijs, cum quibus vel de quo nesciens. Post quam loqutionem statim prædictus Frater Thomas rogauit dictum socium suum, vt accenderet sibi candelam, qua accensa dixit ei: scribatis in quaterno super Isaiam, qui (postquam diu scripsisset) genuflexus petiuit cum lachrymis & adiurauit eum, vt reuelaret sibi, cum quibus vel quæ fuerat loquutus, qui, ne videretur contemnere nomen Dei, per quod adiuratus erat, prorupit in lachrymas, et dixit, quod Deus miseratus eius misit ei Beatos Apostolos Petrum & Paulum, qui ipsum locum dubium & secretum plenissime docuerunt: & addidit, ex parte Dei tibi præcipio, quod hac in vita mea non audeas reuelare. Interrogatus quomodo ipse testis sciret supra dicta &c. Dixit, quod ipse vidit & cognouit dictum Fratrem Thomam, & conuersatus fuerat cum eo pluribus vicibus Neapoli, & audiuit etiam dici & referri prædicta à pluribus religiosis, & sæcularibus antiquis, qui cognouerunt, & conuersati fuerant cum eo, & specialiter à supra dicto Fratre Rainaldo, & a Domino Bartholomæo de Capua;* &, vt mox antea idem testis deposuerat, *etiam ab ore Domini Francisci de Amore de Alatro Vicario Domini Episcopi Nolani &c.* Hæc ibi, quæ vtinam etiam in Ecclesiastico officio S. Thomæ, eoque antiquissimo edito ad minus ad annum 1475 (vt supra Alua confitebatur) perseuerante adhuc vsque ad hæc tempora nostra, & successiue approbato per

Iulium

Digitized by Google

Iulium III. ad annum 1552. in approbatione librorum Choralium Ordinis, vtinam, inquam, in hoc ipso etiam Ecclesiastico Officio, quæ mox ex processu canonizationis relata sunt, simul inserta haberentur; vt subinde magis roborata per hoc cuicumque vel reluctanti paterent. Et ecce video idipsum, quod nunc solicite expetebatur, obtentum, simulque executioni mandatum, dum appositè, ab eodem tempore inserta in eodem San. Thomæ officio singula mox adducta leguntur, imaginaria quidem visio in septimo responsorio publicè in Ecclesia sic canitur. *Scholas Thomæ Paulus ingreditur, sacra simul fantur mysteria, dignè tandem per raptum trahitur, vir cælestis ad cæli præmia. Clamor Fratris trinus emittitur, Doctor noster à nobis tollitur.* Sensibilis autem apparitio Apostolorum sic in 6. responsorio restringitur. *Felix Doctor, cuius solatio Angelorum seruit attentio, Petrus Paulus fauent obsequio*; pro vt scilicet *obsequium* in Calepini Lexicon explicatur, *pro indulgentia & officio, quo quis facit, quod alteri placiturum nouit*, vti appositè tunc præceptori Angelico simul duo Apostolorum Principes præstitere, siue honoris causa eius ingrediendo scholam, & applaudendo doctrinæ (vt Paulus in imaginaria visione immissa cælitus visus est) siue instruendo intellectum in arduis, vti ambo ad hunc finem sensibiliter cum eodem colloquentes auditi sunt, vt retulimus & probatum est.

Post ista tamen, si adesset etiam aliqua summi Pontificis approbatio expresse & in singulari approbantis corundem Apostolorũ Petri & Pauli apparitionem, nonne iam omnia penitus in re proposita complerentur? Audiat igitur orbis, & desinat vel austerissimus quisque aut inhumanus de huiusmodi reuelatione Apostolica dubitare. Non solum etenim Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis in communi id indicarat dicens, S. Thomam libros suos, *non absque speciali infusione perfecisse*, verum etiam expressius, & in singulari postea Clemens VIII. in Breui ad Neapolitanos incipiente, *Sicut Angeli &c.* post laudatos vniuersim S. Thomæ libros, idipsum ex integro approbauit his verbis: *In quibus conscribendis*, inquit, *interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes locosque quosdam Dei iussu enarrantes habuit.* Audis? Quid igitur remanet amplius nisi vt obiectæ ab Orco in faciem veluti Thomistici Solis præadductorum argumentorum nubeculæ, irradiante probatæ hucusque veritatis lumine, dissipentur?

Ad primum igitur, non semel, sed iterum responsum est, elumbe nimis esse argumentum ab auctoritate negatiua depromptum, præsertim cum pauci illi, qui id tacuisse in argumento referuntur, neque id ipsum excludant, aut negêt, & superabbunde sufficiant in testes, tum illi grauissimi id attestantes, qui viuêtem adhuc S. Thomam viderunt, tum duo succedentes Sanctissimi Viri, Ferrerius atque Antoninus, tum postremo singuli posteriores, qui vno consensu id repetendo commendant; aliter nec omnia gesta, quæ in suis Epistolis Diuus Paulus de se ipso commemorat, velut certa, subsisterent (si huiuscemodi argumento confideres) quia eorum aliqua in Apostolorum actibus à D. Luca reticentur, quemadmodum adnotabat tomo 1. Baronius, & de Euangelistis, quorum aliqui tacent aliqua miracula Christi, quæ leguntur in alio, eleganter id præmonebat Chrysostomus homilia prima in Matthæum dicens. *Si in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed hoc quidem ille, alter vero alia narrauit, nihil te omnino conturbet. Nam si vnus vniuersa dixisset, superfluus iam fuisset numerus cæterorum.*

èterorum. Sin varia omnes inter se scripsissent, ac noua omnia, nullum potuisset conuenientiæ apparere documentum, propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominus quisque proprium aliquid ac speciale conscripsit, vt neque superfluus esse videretur & temerè adiectus, ac simul veritatis dictorum exactum præberet nobis inditium. Hucusque Chrysostomus.

Ad secundum, cuiusnam conditionis fuerit ille Frater Paulus, qui mirabilem illam, licet imaginatiam, visionem meruit obtinere, satis expressit Thocus appellans *virum magnæ probitatis, et famæ* (vti & repetit Diuus Antoninus) *& quod fuerit Inquisitor hæreticæ prauitatis*, (scilicet Genetalis Inquisitor in Regno Neapolitano, vt ex Valli historia probat Fontana ad annum 1273) & vltrò id indicat sequutus effectus, nimirum ea ipsa hora in Campania obijsse S. Thomam, qua hora hic Venerabilis Pater eandem visionem habens exclamauit, tunc mori Fratrem Thomam, quemadmodum Fratres Conuentus horam statim notasse, ac postea contulisse eodem loco subiungitur, nec consequenter aliunde, quam cęlitus, visio illa immissa fuit, etiamsi imaginaria dicatur; sicut D. Thoma docente 2. 2. q. 174. art. 1. ad 3. ex Isidoro, & Augustino relatis ibidem, datur & vera Prophetia in imaginaria visione consistens. Non igitur hæc reuelatio, postquam præsertim ab Ecclesia recognita est, & recepta, debili fundamento subnititur; cui vtinam debili vtique fundamento, immo labanti, aliæ quædam longè posterius priuatim inductæ visiones (non ita approbatæ ab Ecclesia) innixæ non essent, de quibus profectò repeteret Augustinus illud, quod in simili aduersus iactatas à Donatistis, & non probatas similiter ab Ecclesia, reuelationes in libro de Vnitate Ecclesiæ cap. 26. dicebat. *Non dicant: verum est, quia ille Frater noster, aut illa Soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale somnium somniauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Dæmoniorum;* & ante Augustinum Hieronymus in epist. ad Ctesyphontem, *et Simon Magus*, inquit, *hæresim condidit Helenæ Meretricis adiutus auxilio. Et Marcion Romam præmisit Mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Et Appelles Philomenem comitem suarum habuit Doctrinarum,* videlicet per visiones mulierculis assuetas, quibus, forsan & ipsæ deceptæ, cæteros decipiebant, quemadmodum in Tertulliano præsertim libro inscripto de Anima legi potest.

Ad tertium, neque adulterauit Historiam Anonymus addens, *& Petrum apparuisse S. Thomæ*, quia, quoad Petrum adsociatum Paulo, loquebatur de apparitione altera sensibili, non de sola illa imaginaria, vt Alua supponit, neque iure culpari Salmanticenses in Apologia, de tot varietatibus adglomeratis ab Alua, prudens lector iudicabit ex eo, velut dijudicans ab vngue Leonem, quod inter præcipuas adulterationes idem Alua condemnat & istas: *quia*, inquit, *vbi Sanctus Antoninus vtitur verbo (rogauit) Salmanticenses excogitarunt illud æqualitatis scilicet (sciscitabatur) etc. Rursus prætermiserunt illud (autem S. Thomas) in cuius auctoritate non est li (vero)* & huiusmodi alias varietates lusu potius puerili, quam sobrio, censor iste prosequitur, non aduertens (quod pluribus ex proposito probat Hieronymus epistol. 101. fermè per totam) in restringendis aliorum auctoritatibus licere sensum potius referri, quam verba.

Ad quartum præmittenda est doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 174. ar. 3. vbi de visione imaginaria, in qua Prophetæ abscondita vident, non solum futura, sed

etiam

Digitized by Google

etiam præterita, & præsentia, sic habet: *Secundo diuersificantur gradus Prophetiæ quantum ad expressionem signorum imaginabilium, quibus veritas intelligibilis exprimitur &c. vnde altior gradus Prophetiæ videtur, quando Propheta audit verba exprimentia intelligibilem veritatem, siue in uigilando siue in dormiendo, quam quando videt aliquas res significatiuas veritatis, sicut septem Spicæ plenæ significabant septem annos Vbertatis. In quibus etiam signis tanto videtur Prophetia esse altior, quanto signa sunt magis expressa, sicut quando Hieremias vidit incendium Ciuitatis sub similitudine Ollæ succensæ, sicut dicitur Hieremiæ* 1. & antea in superiori quæst. 173. ar. 2. sic præmittebat. *Sicut Augustinus dicit* 12. *super Genesim ad litteram cap.* 9, *maximè Propheta est, qui vtroque modo procedit, vt scilicet videat in spiritu Corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat &c. Repræsentantur autem quandoque per formas imaginarias, siue omnino diuinitus impressas, non per sensus acceptas, siue etiam diuinitus ordinatas ex his, quæ à sensibus sunt acceptæ, sicut Hieremias vidit Ollam succensam &c. Et tunc* (addit in responsione ad primum) *conuersatio præcedens aliquid operatur ad ipsas similitudines, non autem quando totaliter extrinsecus imprimuntur: & ideo inquit Glossa Hieronymi Amos primo; Prophetæ vtuntur similitudinibus rerum, in quibus conuersati sunt.* Hæc S. Thomas, ex quibus duo Corrollaria colligimus circa imaginarias visiones: primum est, vt illæ veræ dicantur etiam cælitus immissæ, satis esse vere in sensu interno videntis cælitus illa specierum simulacra sic ordinata esse, vt ipsi repræsentabantur, etiamsi vere ad extra res corporales non ita tunc se habeant. Secundum Corrolarium est, quod tamen, sicut illa specierum simulacra verè alicuius obiecti realis ad extra repræsentatiua sunt (aliter mendacia essent, & mendacia non sunt, vt inquit Augustinus libro 2. de quæstionibus Euangeliorum cap. vltimo, quia *cum fictio refertur in aliquam significationem, non est mendacium, sed figura veritatis*) Ita consequenter necesse est aliquod obiectum ad extra verè ita se habere sicuti per illa specierum simulacra interna velut in figura significabatur. Exempli gratia Actorum 10. Petrus in visione Imaginaria, *seu in excessu mentis* vidit *quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cæli in Linteo descendente de Cælo &c.* & postea transacta visione, dum intra se *Petrus hæsitaret quidnam esset visio, quam vidisset, ecce Viri, qui missi erant à Cornelio etc.* Scilicet Gentiles, quos illa visio significabat per Petrum recipiendos ad fidem. Vt igitur illa visio vera esset, non requirebatur vtique exterius animalia illa in Linteo aliquo reperiri reipsa, sed satis erat, tum vere illa simulacra in mente Petri à Deo impressa esse (vt vere dicerentur illa animalia sic in visione fuisse) tum vere postea figuratos inde Gentiles ad fidem receptos esse. Idem dicas de homine Macedone postmodum apparente Paulo, & rogante in visione vt in Macedoniam descenderet. Idem de visione Agni occisi super altare, quem vidit Ioannes in Apocalipsi cap. 5. & sequentibus, qui Agnus occisus significabat Christum Dominum occisum pro nobis, & ita de reliquis. Itaque proportione seruata, vt vera sit visio Pauli ingredientis Scholam Thomæ, quam visionem habuit probus ille vir Aquilanus eadem hora, qua Thomas è vita migrabat, necesse non erat (sicut pueriliter nimis accepit Alua) eadem hora Paulum verè reipsa ad extra intrasse Scholam Thomæ, velut Neapoli tunc legentis, nec à fortiori Thomam tunc super epist. Pauli scribentem fuisse Neapoli (cum nec certè tunc Thomas Neapoli esset, sed Fossæ nouæ moreretur;) at satis est

est tum hæc simulacra specierum id repræsentantium vere in sensu interno illius probi viri cœlitus eo modo ordinata esse, tum vere tunc *S. Thomam in hora transitus Apostolica consolatione non caruisse*, vt loquebatur Thocus & hæc visio significabat, tunc scilicet Apostolum ante mortem eidem Thomæ apparuisse in visione similiter, siuè postea sensibili, siue imaginaria, interrogatumque à S. Thoma (vt semper antea pro veritate indaganda orare solebat) rectène suas Epist. exposuisset, respondisse eiusdem approbando Doctrinam. Cum quo stat verum esse Divum Paulum in mirabili illa visione (licet non sensibiliter extra) *Scholam Thomæ ingressum esse*, quemadmodum (proportione seruata) verum est in mirabili illa visione habita ab eodem Apostolo Paulo eundem Paulum *ab homine Macedone rogatum esse vt descenderet in Macedoniam*, & ita de alijs iuxta Corrolaria mox ante deducta ex allegata S. Thomæ Doctrina.

Ad quintum denique, quis non videt ea verba, *Scholas Thomæ Paulus ingreditur*, acriter adeo in nostro Nicolao Iansenio à Pseudo-Petro de Valleclausa in proposito reprehensa, eadem penitus in Officio Ecclesiastico cani, nec ideo posse illum de his verbis accusari vel carpi, quin temerè reprobetur & istud? quis nescit eandem obiectionem omnino, quam hic æmulus acuit in S. Thomam, dirigi similiter posse in Chrysostomum? de quo apud Phocium in Bibliotheca Codice 96, Georgius Episcopus Alexandrinus in Vita eiusdem Chrysostomi hoc referebat: *visus est à Proclo tribus continuo noctibus Paulus Apostolus suarum illi suggerere Epistolarum interpretationem*, & alioquin Proclum scribam fuisse Chrysostomi admonebat Nicephorus libro 14. cap. 38; præterquamquod id postea etiam approbauit Ecclesia in eiusdem Chrysostomi festo lectione 3. sic legens: *Scribenti sæpius adstare Sanctus Paulus visus est*. Numquid ergo Chrysostomus hac de causa Scriptor Canonicus dicendus erit, sicut perperam de S. Thoma hic Pseudo-Petrus subinferebat? Consulat saltem, qui alia desideret, nostrum Ioannem à S. Thoma disp. 1. prolegomena in p. p. ar. 3. ante tertiam conclus. S. *dices* (vbi ex triplici capite, & sapientissimè semper, vt solet, ostendit doctrinam S. Thomæ haud inde ad dogmata fidei pertinere, etiamsi quoque ex testimonio Crucifixi Domini probata sit) & videbit eodem modo ex triplici illo capite præclusum esse, quod similiter hic ex ista apparitione Pauli reputabat iste conclusum. Consulat vltrò, qui rursus exquireret (an Sanctus Paulus ingressus sit Scholam Thomæ, vt Magister aut vt discipulus, sicut iste petebat) Consulat, inquam, velut ab exemplo Porphyrii in Vita Plotini sic referentem: *Cum Origenes aliquando venisset in Scholas Plotini legentis, Plotinus statim genis rubore suffusus assurgere voluit. Sermonem vero continuare rogatus &c. cum pauca quædam disseruisset, inde surrexit &c.* & à simili (sed proportione seruata) dignoscet aliquem longe doctiorem ac superiorem ingredi posse alterius scholam, nec quidem vt discipulum addiscentem, neque vt Magistrum eidem dictando doctrinam, sed velut amicum potius, vt de minus recte dictis domesticè moneat, aut de ritè expositis honorifica approbatione complaudat, sicut apposite præstitisse Apostolum cum Doctore Angelico hucusque sufficienter (vt arbitror) probatum est.

QVÆSTIO QVINTA.

De Approbationibus Sanctorum Augustini, & Francisci.

EXpeditis per ordinem approbationibus omnibus doctrinæ S. Thomæ depromptis à reuelationibus, prima videlicet Christi Domini, secunda Beatæ Virginis, tertia Principum Apostolorũ, Inde recta Methodo post Apostolos succedit Ordo Doctorum Ecclesiæ, in quo inter eosdem supremus occurrit Augustinus, quemadmodum in cæterorum postea ordine Sanctorum præcipuus nostro instituto se offert Patriarcha Franciscus. De his itaque duobus simul in ista quæst. hoc eodem ordine tractandum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

An verum sit quod D. Augustinus Bo Alberto de Brixia reuelauit Thomas mihi par est in gloria.

VIdetur negandum esse singulis ijs, qui velut intolerabile reprehendunt Angelicum Præceptorem D. Augustino ab aliquibus coæquari, inter quos præsertim id reprobat Petrus à Valle clausa Diatriba 3. §. 42, & quidam Ioannes de Meppis Germanus, & cum eo (quem pro se refert) Petrus de Alua Nodo 15. §. 1. pag. 679. & Nodo 3. §. 1. pag. 280. Quia (inquit Alua) huius approbationis intentum eo dirigitur, *vt sicut Augustinus in Doctoribus dogmaticis est primus Doctor, cuius auctoritates negari non possunt in rebus fidei, duntaxat interpretari, ita S. Thomas tamquam secundus Augustinus haberet hoc priuilegium in Controuersijs Scholasticis &c.* Hoc autem intolerabile videtur, cum reipsa (non reprobante Ecclesia) ne dum antiquitus à Scoto, & Durando, & alijs ex proposito S. Thomas impugnaretur, verum etiam modo ab integra Subtilium Schola negetur, nec vbi à Scoto impugnatus reperitur, soleat acceptari. Non igitur prædictæ reuelationis intentum, scilicet Thomæ cum Augustino æqualitas, tolerari potest.

Secundò (vt Alua eodem loco subiungit) *æqualitas ista à Scriptoribus Ordinis Prædicatorum inferri solet ex eo, quod Angelicus Doctor sequutus est vestigia Sancti Augustini præ cæteris omnibus Scholasticis. Sed immo Ioannes Duns Scotus incomparabiliter præ omnibus taliter sequutus est vestigia Sancti Augustini, vt totum illum, quoad Scholastica dogmata, cuiscerauerit;* idque (vt probet Alua) omissis duobus libris Duaci impressis (velut domesticis testibus) conferentibus conclusiones Scoti cum doctrina Augustini, ipse demonstrare profitetur ex Cornelio Iansenio satis (vt falsò ipse supponit,) fauente Thomistis, & tamen lib. 6. de Gratia Christi Saluatoris, pro sua illa libertate à coactione tantummodo, quam Iansenius putat esse Augustini doctrinam, inde cap. 25. recenset & collaudat eundem Scotum velut præ omnibus Scholasticis Augustini sequacem his verbis exscriptis ab Alua. *Nemo est veterum Scholasticorum, post Diuum Bernardum, qui quod sciam euidentius, resolutius, constantiusque summam libertatem cum necessitate summa constare posse, & reipsa constare docuit, magisque expresse eam, quam exposuimus sententiam Augustini, tradidit, quam ille totius Scholasticæ subtilitatis Corriphæus, Ioannes Scotus: vsque adeo, vt non mediocriter admiratus fuerim, cum omni-*

bus, quæ scripsi in hunc vsque locum, absolutis, tandem Doctorem istum, quem nondum legeram, omniumque Scholasticorum remotissimum credideram ab ista doctrina S. Augustini, fortissimum eius defensorem, & ipsius Augustini interpretem esse deprehendi. Hæc Iansenius exscripta apud Aluam. Aut igitur multò magis Doctoris Subtilis Scoti æqualitas cum Augustino in Doctrina concedenda venit, aut multò minùs æqualitas eadem Angelici Doctoris cum eodem Augustino toleranda est.

Tertiò, quia in signum huius æqualitatis S. Thomæ (præsumptæ à Thomistis) cum Augustino, vt loquitur Alua pag. 679, *ubicunque aliqua uolunt dicere Thomistæ de Doctrina S. Thomæ, quæ prima facie uidentur dura & minimè concedenda pro Doctrina S. Thomæ præcisè, semper adiungunt B. Augustini Doctrinam, ut cum hac, quam omnes Doctores Catholici, immo & heretici, concedunt, & uenerantur, altera transiret &c. & ut nullus ausus esset interrogare: Tu quis es? quo uadis? aut quemodo pergis, homo, ò homo, non post, sed æquo pede cum Doctrina Sancti Augustini? quemadmodum cum excellentia dictæ à Sancto Prospero, & Remigio, usurpantur pro S. Thoma &c.* Sed gratis admisso adhuc San. Thomam præ cæteris omnibus Scholasticis sequutum esse B. Augustini vestigia, adhuc, qui sequitur vestigia alterius, *non æquo pede, sed post*, cum illo procedit. Ergo adhuc hoc gratis dato non sequitur, vel infertur, *æquo Pede* cum D. Augustino S. Thomam velut æqualem in Doctrina processisse, quemadmodum in prædicta reuelatione æqualitas intendebatur.

In oppositum tamen est, quod integra hæc reuelatio Augustini attestantis tum S. Thomam suam Doctrinam sequutum esse, tum inde *sibi parem* in gloria esse, publicè in Ecclesia recepta est, & antiquitus canebatur, & adhuc canitur in Festo S. Thomæ (vt legere est in Officio Ecclesiastico Ordinis Prædicatorum reformato etiam, & approbato per Clementem VIII.) in Responsorio 9. illis verbis: *Sertum gestans cum torque duplici, Cappa gemmis ornata cernitur, ex Monilis fulgoris calici lux emissa Mundo diffunditur: Augustinus Fratri sic loquitur. Thomas mihi par est in gloria, virginali præstans munditia.* Non vacat autem temeritate (vt sæpe ostensum est) ea, quæ per Ecclesiam in Officio Ecclesiastico recepta sunt, inficiari (nisi specialis simul Ecclesiæ declaratio adesset permittens eadem in singulari sine Censura negari posse) non videtur igitur temeritate carere, qui contenta in reuelatione prædicta, vt præfertur, inficiatur, atque refellit.

Respondeo prudenter ad minus negari non posse, quod D. Augustinus reuelauit, S. Thomam fidelissimum Augustinianæ doctrinæ sequacem inde parem sibi in gloria esse. Si enim de recenti à maioribus nostris, elapsis duobus aut pluribus sæculis post San. Thomæ canonizationem, hæc introducta fuissent, non imprudentis fortasse foret de noua istarum reuelationum adinuentione dubitare. At, cum non semel, sed iterum, præmiserimus Gulielmum Thocum vidisse viuentem, & docentem S. Thomam audiuisse, & eiusdem contemporaneum extitisse Bernardum Guidonis, iam si ab horum duorum contestium graui adeò testimonio hæc antiquissima reuelatio probetur, non video, quomodo valeat de eadem prudens aliquis hæsitare. Gulielmus autem Thocus (vt legitur etiam apud Bolandum tomo 1. Martij pag. 667.) in Vita San. Thomæ cap. 4. hanc reuelationem sic sub compendio restringit. *Fratri* (inquit) *Al-*

berto de Brixia, qui etiam in Vita, & post mortem miraculis claruit(nempe nunc Beati titulo insignitur) *vigilanti & oranti fuit aperta visione monstratum, Beatos Doctores Augustinum & Thomam pares esse in gloria, licet Augustinus infula praecederet, & Thomas supra Augustinum Virginitate polleret. Quam visionem praedictus Frater Albertus adiuratus compulsus est reuelare, cum frequenter fuisset auditus asserere praedictum Thomam magnum Sanctum esse in Patria,& hoc publicè praedicaret.* Hæc breuiter de ista reuelatione Thocus, quam longè diffusius (vti & Bolandus aduertit ad hoc caput quartum, littera T.) Describit Bernardus Guidonis lib. I. cap. 52, cuius satis est exscribere titulum sic se habentem: *de excellentia gloriæ S. Thomæ Fratri Alberto scire desideranti, & oranti, diuinitus reuelata.*

Sed post antiquissimos istos Vitæ S.Thomę Scriptores,videamus an etiam in ipso Canonizationis Processu id iuridicè deponatur? Et reipsa id reperitur in cap. 7. Processus Canonizationis num.66. apud Bolandum Societatis Iesu, vbi ex duobus testibus auritis, scilicet *Fratre Antonio de Brixia Sacerdote studente & Fratre Ianino de Brixia socio,seu condiscipulo eiusdem*,deponitur attestatio supradicti B. Alberti de Brixia (vt ibi dicitur) *Viri maximæ sanctitatis, & Lectoris Brixiensis &c.* adiurati per nomen Dei ad hanc rem, & post multa sic respondentis: *Ego secutus sum in omnibus doctrinam Fratris Thomæ de Aquino, & frequenter admiratus sum quomodo potuit in tam paruo tempore, quo uixit, ad tantam sanctitatem & scientiam peruenire. Vnde cum super hoc mirabili Deum, Beatam Virginem, & B. Augustinum frequentius exorassem, vt ostenderetur eius gloria, quam habebat: quadam vice me in oratione proieci ante Altare Beatæ Virginis, & cum intentius cum lachrymis diu exorassem, vigilanti mihi in oratione apparuerunt duæ Reuerendæ personæ cum splendore mirabili, & ornatu, quarum vna mitram portabat in capite, alia erat in habitu Ordinis Fratrum Prædicatorum &c.* & descripto ornatu præsertim istius secundæ sic pergit. *Tunc ille, qui Mitram gestabat, oranti respondit: quid Frater Alberte sic admiraris? exauditæ sunt preces tuæ, & ecce nunc manifesto tibi, quod ego sum Augustinus Doctor Ecclesiæ, qui missus sum ad te, vt tibi indicarem doctrinam & gloriam Fratris Thomæ de Aquino, qui mecum est. Ipse enim est filius meus, qui doctrinam Apostolicam & meam in omnibus est secutus, & Ecclesiam sua doctrina illuminauit &c. & mihi in gloria est æqualis, excepto, quod ipse in virginitatis aureola me excedit &c.* Hæc ibi.

Immo mox infra in eodem capite eiusdem processus num. 67. deponitur altera similis reuelatio facta quoque *Domino Gratia de Brixia Ordinis S. Benedicti, qui erat homo magnæ sanctitatis & scientiæ, & imitator doctrinæ Fratris Thomæ, existens iuxta Ecclesiam S. Clementis de Brixia, & dixit &c. Ego vidi & Deus mihi reuelauit, quod B. Augustinus & Frater Thomas sub eodem iugo erant ambulantes in gloria Paradisi.*

Hinc non mirum postea, si ab Vrbano V. in Bulla ad Tolosanos, alludente veluti reuelationi eidem, eamque probante dicatur. *B.Thomas de Aquino Beati Augustini vestigia insequens Ecclesiam doctrinis & scientijs quamplurimis adornauit*, ideoque eadem Bulla concluditur, *præcipiendo eandem B. Thomæ doctrinam tanquam benedictam & catholicam sectari &c.* sicut olim Cœlestinus in epistola ad Gallos eiusdem D. Augustini doctrinam similiter commendarat dicens: *nunquam enim sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos etiam à meis decessoribus haberetur.*

Non mirum rursus eandem hanc Augustini reuelationem cum eo elogio, *Thomas mihi par est in gloria*, ne dum in Ecclesiastico officio legi, verum & *in D. Antonino 3. p. historia cap. 7.* (vt Bolandus loquitur ad caput 4. Thoci) *& passim in alijs haberi.* Non mirum plerosque etiam extraneos à cœtu Dominicanorum hanc præexplicatam S. Thomæ æqualitatem cum D. Augustino frequentissime commendasse, vt inter cæteros (quos & alibi tangimus) Abbas Trithemius, verbo *Thomas* de Aquino, appellat *Alterum Augustinum*, Sixtus Senensis in Bibliotheca verbo, *Thomas* de Aquino, inquit: *ita Sapientissimo Augustino proximus incessit atque ita mentem eius & omnes reconditos sensus introspexit, exhausitque, vt iuxta Pythagoræ Metempsichosin, communi doctissimorum adaggio iactatum sit, Augustini Animam migrasse in Thomam*; & (ommissis alijs) sapientissimus è Societate Suarez Prolegomeno 6. de gratia cap. 6. num. 28. præueniens veluti Petri à Vallecłausa obiectiones hæc scribit: *D. Thomas, sicut in explicandis cæteris fidei mysterijs Scholasticis Theologis antefertur, & primis Ecclesiæ Patribus comparatur, ita in illustrandis difficillimis de gratia & libero arbitrio controuersijs ipsi Augustino eum suparem reputamus.*

Non mirum tandem ætate nostra Pontificem Maximum Alexandrum VII. in Breui ad Louanienses vna simul iunxisse velut indiuisam doctrinam D. Augustini & S. Thomæ, eumque eisdem ex æquo laudibus decorasse scribendo: *Præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata &c. quorum profecto Sanctissimorum Virorum penes Catholicos vniuersos ingentia & communem laudem supergressa nomina, noui præconij commendatione non egent:* Nec noua per consequens pro asserto nostro ratiocinatio necessaria est.

Ad primum igitur, iam alibi vidimus non immerito supponi à Thomistis D. Thomam supremum ac Principem esse inter Doctores Scholasticos (quod modo etiam Suarez profitebatur) Sicut Augustinus inter Doctores dogmaticos Principatum obtinet, & sicut vniuersa doctrina Augustini (non quidem peculiari illa approbatione, qua approbata est eiusdem doctrina de prædestinatione & gratia) ad minus generali approbatione electiua approbata fuit, ità vt *nullus eam sinistræ suspitionis rumor asperserit*, sic etiam in libro superiori ostendimus Angelici Præceptoris doctrinam vniuersim similiter electiue approbatam esse, ita vt *sine vllo prorsus errore conscripta sit*. Ideoque asserimus vtique neutram posse cum censura aut irreuerentia refelli vel abijci, & simul permittimus vtramque posse in aliquibus (vt fit à quibusdam pro defensione vel alterius S. Patris præ Augustino, vel alterius Scholastici præ S. Thoma) probabiliter derelinqui, quemadmodum fusius iam noster Ioannes à S. Thoma qu. 1. de approbatione doctrinæ S. Thomæ, hæc singula (quæ nos hic compendio restrinximus) prosecutus est.

Ad secundum, præter tot ante addncta pro æqualitate præexplicata Sancti Thomæ cum Augustino (quæ sane pro altero Scholasticorum non reperiuntur) non inuidebimus vnquam subtilium Principem (quem potius à nota ista liberare vellemus) pro se à Iansenio referri præ alijs omnibus scholasticis, pro sua illa libertate à coactione simul cum necessitate, cum iam hæc Ianseniana libertas (non Augustiniana, vt Alua cum Iansenio supponit) in tertia illa propositione eiusdem Iansenij proscripta sit. Vnde nec Iansenius ibidem loquebatur

batur de sequela vniuersim doctrinæ Augustini, sed solum de *ista doctrina* (vt Iansenius loquitur, Augustini esse supponens) quam simul subtilium Principem sequutum esse opinabatur, ex eo quod Scotus *summam libertatem cum summa necessitate constare posse & re ipsa constare docuit*, hincque arguendo à fortiori Iansenius inferebat, multo magis in statu naturæ lapsæ libertatem minorem ac vulneratam constare cum necessitate, si maior & illæsa libertas in Christo cum necessitate iam constitisse dicatur. De reliquo (vt omittamus & nos domesticos testes) loquendo de hac ipsa materia & doctrina sincera Augustini (non adulterata à Iansenio) Ioannes Caramuel, qui eisdem Louanij controuersijs interfuit, in sua Theologia fundamentali cap. 1. Fund. 1. titulo de doctrina Augustini, sic pro nobis in thesi sexta decernit: *Thomas Augustini fidelissimus interpres est, vt quod contra Thomam est, Augustini non sit.*

Ad tertium celebris est illa Scholasticorum distinctio ad primam partem q. 12. ar. 1. duplicem esse æqualitatem, alteram arithmeticam, geometricam alteram, quarum primam S. Thomas ibidem ar. 1. ad 4. appellabat, *certam habitudinem vnius quantitatis ad alteram, secundum quam duplum, triplum, & æquale sunt species proportionis*, iuxta secundam vero subdebat, *quamlibet habitudinem vnius ad alterum proportionem dici*, & in 4. sententiarum dist. 49. q. 2. arr. 1. ad 6. hanc secundam nominabat, *non proportionem, sed proportionalitatem tantum*, quæ scilicet est potius proportionum similitudo, vt sicut se habet hoc ad hoc, ita se habeat illud ad illud: Et hoc secundo modo seruatur æqualitas geometrica inter Augustinum, & Thomam, vt sicut in Doctoribus dogmaticis ille primus est, ita hic illum præ omnibus sequens in Doctoribus Scholasticis primus sit; iuxta quam postea æqualitatem subordinatio adhuc Thomæ ad Augustinum ab arguente intenta, atque in eadem reuelatione (contenta, simulque repetita in subiunctis ad illam) velut filij ad Patrem, discipuli ad magistrum, non excluditur, sed comprobatur; immo inde non erat, cur Alua criminaretur in nostris id, quod similiter in Alexandri VII. diplomate legerat, nimirum iungi simul *Augustini & Thomæ dogmata inconcussa atque tutissima, dum* vtriusque *ingentia et communem laudem supergressa nomina noui præconij commendatione non egent*, vt idem Pontifex pro nostrorum apposité defensione respondebat.

ARTICVLVS II.

An saltem ficta sit reuelatio D. Francisci dicentis cuidam Minoritæ de S. Thoma: Crede huic, quia eius doctrina non deficiet in æternum.

Videtur prorsus ficta, tum Petro à Valleclausa Diatriba sexta §. 103; tum Petro de Alua nodo 12. §. 1. per totum. Et hic præcipue pag. 628. sic contra eandem opponit: *Quia hac reuelatio non inuenitur in aliqua chronica Ordinis Minorum, neque Ordinis Prædicatorum, immo vsque ad annum 1620. nunquam audita fuerat in mundo, sicut nec nomen illius Fratris Eleutherij Minoritani*, vnde & Wadingus tomo 7. Annalium in addendis ad tomum 3. circa annum 1308. de huiusmodi veluti ficta reuelatione expostulat dicens: *Quales hæ reuelationes? quando exorta? vbi locorum? quinam sancti illi Franciscani, qui tales meruerunt excipere? etc.* Non est autem verisimile sic latuisse, vsque ad annum 1620, si hujusmodi

iusmodi reuelatio de recenti ficta non esset, fictam igitur esse de recenti potius verisimile est.

Secundo quia à non paucis (vt à Basilio Pontio & alijs) pro primæuo auctore referente hanc reuelationem recensetur Pater Ioannes de Iesu Maria Carmelita Excalceatus in libro de arte vitæ spiritualis, quem composuit in lingua Italica, Michael vero Cosmus in linguam Hispanicam trāstulit, facta editione Valentiæ anno 1620, in cuius libro 5. cap. 8. (vt exscribit idem Basilius Pontius Legionensis in apologia pro iuramento Salmantino) integra hæc reuelatio describitur. Sed immo (vt subsumit Alua pag. 627.) neque in posteriori editione eiusdem libri Coloniæ anno 1621, neque in prima omnium editione Romæ (in lingua Italica) anno 1610, vel vnum verbum huius reuelationis habebatur, & in Hispanica editione anni 1620 (quam inquit Alua se non vidisse) si adsit, addita est hæc reuelatio ab æmulis tunc in Hispania contendentibus cum Fratribus Ordinis Minorum. Adhuc igitur in primæuo Scriptore, cui attribuitur, fictitia est.

Tertio, quia vbi ex prædicto scriptore præmisso vnica tantum reuelatio referebatur, postmodum Balthassar Arias Valentinus Ordinis Prædicatorum in suo Sanctuali, sermone de San. Thoma, *ex vna reuelatione* (inquit Alua pag. 623.) *duas effecit distinctas, vnam sub nomine Sancti Francisci et alteram Virginis Mariæ*, illius quidem dicentis Fratri Minoritæ de S. Thoma; *hunc lege, hic enim dicet tibi, quid te oporteat facere*, istius vero dicentis de eodem, *huic hære, eius enim doctrina semper permanebit*. Iam igitur in re proposita nostri alicuius fictionis conuicti sunt.

Quartò, quia eo dirigi hæc reuelatio videtur, vt cuiuscumque scholæ sectatores solius doctrinam D. Thomæ sectentur, relicta doctrina Scoti velut contraria eidem, & quod consequenter postea si illa in æternum durabit, hæc vt contraria eidem proximè peritura sit. Sed (vt subsumit cum Wadingo Alua pag. 626.) ex aduerso *quod futurum est, tria præterita sæcula, quibus doctrina Scoti maxime inualuit, aperte prædixerunt, dum se ipsa quotidie robustior, latiusque semper diffusa non reuelationes has, sed adinuentiones, esse demonstrat*. Adinuentio igitur potius hæc, quam reuelatio, reputanda venit.

In oppositum tamen est, quod Antonius de Ambermunt in oratione de S. Thoma impressa Louanij, postquam recensuit hanc reuelationem, & ad illa verba, *huic credè*, per periphrasim (male intellectam ab Alua pag. 625) circumloquendo ly *huic* cætera præcipua S. Thomæ elogia subiunxit, inde inter eos, qui eandem reuelationem recognoscunt & laudant, adducit Thomam Villar. Com. in 1, Patrem Ioannem à Iesu Maria de arte viuendi Spiritual. Vers. Hispa. Alphon. Fernan. disp. Rof. quatr. edi. Ioannem Gauaston Com. ad trac. S. Vincent. D. D. Salmanticenses in apologia, Ioannem Mata sermone de S. Thoma, Dominicum Grauinam in Catholicis præscriptionibus, & præter plurimos alios nostros addi poterant, Basilius Pontius Augustinianus in opusculo pro iuramento Salmantino, & Ioannes Bolandus Societatis Iesu in tomo 1. Martij pag. 722 repetentes, *Doctrinam S. Thomæ à S. Francisco apparente approbatam esse*. Inuerisimile autem est tot insignes scriptores ac Pios (si huiusmodi reuelatio ficta fuisset) non fuisse veritos incurrere notam, quam inurunt obtrudentibus miracula falsa Ioannes de Anania in caput *fraternitatis*

de

Digitized by Google

de hæreticis, ac Petrus Damianus initio vitæ S. Dominici Loricati, & alij. Inuerisimile igitur est hanc reuelationem fictam esse.

Respondeo mirandum potius de ijs esse, qui præallatam reuelationẽ antiquissimo testimonio innixam reijciunt, vt falsam, quam de illis, qui eidem innixi velut credibilissimum retulerunt, singularem Christi Crucifixi asseclam, & discipulum Franciscum, studium illius doctrinæ consuluisse, quam ipse Christus è Cruce pendens ore proprio comprobarat, siue de illa id pronunciasse, quod de eadem approbauit Ecclesia in Breuiario Prædicatorum Capitulo ad sextam aiente: *Sapientia eius vsque in sæculum non delebitur.* Auditis etenim prædictorum expostulationibus (vt Magistri nostri Gonet Canone 12. de laudibus S. Thomæ in rem verba transcribam) [huius rei veritate diligentius conquisita, inuenta est expressissimè prædicta reuelatio cum nomine illius Franciscani, qui dicebatur Eleutherius, in primo quinque Tomorum manuscriptorum, quos imprimendos reliquit anno 1587, quo obijt, sanctæ memoriæ Pater Ioannes Gelemans Canonicus Regularis & superior in Monasterio Rubeæ vallis prope Bruxellam in Belgio folio 297. cap. 87, vnde ad verbum extracta est à Patre Francisco Ianscens Elinga præsentibus eiusdem Monasterij R. D. Ægidio de Roy, ibidem Lectore, & R. D. Lacellotto de Bruync, qui subscriptione propria testimonium perhibuere veritati, vt videre est in libro pæfati Patris, de auctoritate D. Thomæ, aduersus prædictum Fratrem de Alua. Gandaui impresso 1664.] Hucusque Gonet de huius auctoris libro, quem ipse non vidi. Sed vltro progressus esse videtur alter Belga noster Martinus Harney in Epistola impressa Bruxellis eodem anno 1664, quæ præsto est, aduersus eundem Alua, folio 76. ita scribens. [Tu dicis, quod vsque ad annum 1620 numquam audita fuerat in mundo hæc reuelatio: vbi tamen à ducentum circiter annis conscripta cernitur in vita S. Thomæ manuscripta apud Canonicos Rubræ Vallis prope Bruxellas, quam tu ipse legisti, & citas singulariter in secunda editione libri tui inscripti (Certum quid) S. quid circa hoc Certum, certissimum sit.] Vltro, inquam, hic noster progressus esse videtur, cum inducat iste aliud originale manuscriptum vitæ San. Thomæ antiquius tomis Ioannis Gelemans, qui immo istam reuelationem ex priori illa vita deprompsisse videri potest.

Verum vltro magis progressus est adhuc pronobis eruditissimus è Societate Bolandus loco sæpe laudato tomi primi Martij ad diem 7. eiusdem Mensis, dum pag. 655 præmittit, *Bernardum Guidonis &c. Episcopum Tudensem in Galletia, dein anno 1324 constitutum in Gallia Narbonensi Episcopum Lodeuensem, mortuum 13. Decembris anno 1331. Huius calamo* (subdit) *habemus conscripta acta S. Thomæ duobus libris, quorum prior continet gesta eiusdem Sancti &c. Liber secundus continet miracula, a nobis in tres partes distinctus &c. Repereuntur dicta acta in Bibliotheca Vaticana codice 1218. Extant eadem manuscripta in Collegio Pictauiensi Societatis Iesu, & in Cœnobio Parisiensi Canonicorum Regularium Sancti Victoris, & in Bibliotheca Pragensi Ecclesiæ Cathedralis &c. eadem denique acta, sed ordine narrationis subinde mutato, ac non nullis vltima parte omissis miraculis, habemus ex codice manuscripto Rubeæ Vallis prope Bruxellas, qui, prima pars hagiologi, inscribitur:* Hucusque Bollandus, ex quibus habes, quam ab antiquo hæc vita S. Thomæ per Episcopum Bernardum Guidonis conscripta fuerit, scilicet ab anno 1324, & quantæ aucto-

auctoritatis existimata fuerit, vt non solum in tot exterorum Bibliothecis, verum etiam in ipsa eadem Bibliotheca Vaticana meruerit reseruari. Nunc videamus (exopto) an iste antiquus, adeo tantiqui nominis scriptor, agnouerit suo quoque tempore auditam & comprobatam hanc ipsam reuelationem, vel potius nostris temporibus post tria integra sæcula cum dimidio à dicti Scriptoris ætate efficta sit, vt fidenter nimis Alua asseuerat, ab Anno solum 1620. auditam esse. Videamus, inquam, eiusdemque testimonio non solum, sed iudicio etiam, ne dum hæc veritas comprobetur, verum etiam integra controuersia hæc dirimatur. Adeamus ipsum, non in aliqua nostra, vel etiam domesticorum Bibliotheca seruatum, sed in suprema omnium eaque ab omni priuatorum affectuum suspicione remota, scilicet in Vaticana, ex qua apposite Bolandus eandem vitam, quam Typis dedit, se descripsisse monebat. Et en se offert apud Bolandum eundem pag. 722. in libro 2. prædicti Bernardi Guidonis p. 3. miraculorum inscriptum appositè cap. 98. hoc titulo expresso. *De visione Fratris Minoris, in qua Sanctus Franciscus apparens testimonium perhibuit Doctrinæ S. Thomæ.* Euge quid est hoc? sed, obsecro, prosequamur. Integro eo Capite hæc reuelatio in hæc verba nunc perpendenda describitur. *Frater Eleutherius Ordinis Fratrum Minorum, cum esset in quadam quæst. perplexus, & in libris S. Thomæ negligeret quærere veritatem, deuotè orauit, & Dominum, & Sanctum Franciscum, vt sibi veritas panderetur: & ecce vidit ibi* (nota hoc, de quo infra) *in visione Sanctum Franciscum, & S. Thomam de Aquino, Cappa stellis splendidis ornata indutum, & super ipsos Virginem Matrem Dei cum Filio, duas coronas splendidas tenentem, & super ipsorum Capita imponentem, cumque tali visione plurimum delectaretur, audiuit S. Franciscum dicentem sibi: Crede huic* (*ostendens & indicans San. Thomam*) *quia eius doctrina non deficiet in æternum. Qui euigilans, & scripta S. Thomæ legens, de dubio suo certificatus exstitit, cognita veritate. Prædicta Frater ipse Eleutherius pluribus enarrauit, sub fide asserens esse vera.* Hæc in eo cap. 98. apud Bolandum, ante quod caput immediatè alterum numero 97. sic incipiebat: *In Prouincia Lombardiæ superioris in Pedemontis Castro, quod dicitur Fagnanum, quædam Domina filium habens in Ordine Prædicatorum mortua fuit*, & pergit narrare, quomodo hic eius Filius persuaserit simul consanguineis suis secum orare Deum dicens: *Nuper in Romana Curia apud Auenionem Frater Thomas de Aquino Doctor fuit Sanctorum Cathalogo adnotatus:* en tempus; & statim absoluta hac narratione huius prioris miraculi, incipit alterum cap. 98. non prænotando locum, (vt moris erat in alijs Capitibus) sed solum indicando in eodem loco superioris miraculi, & hoc posterius de Fratre Eleutherio miraculum contigisse, dum subditur: *& ecce vidit ibi*, scilicet in eodem loco, qui in superiori capite prænotatus erat; vt ex his habeas, ne dum nomen expressum Eleutherij Minoritæ, verum & locum Fagnani Prouinciæ Pedemontis, & tempus anni circiter 1323 Canonizationis S. Thomæ; prope quod tempus & locum appositè anno 1324 Bernardus Guidonis hæc scribens erat Episcopus Lodeuenensis in Gallia Narbonensi, quemadmodum ex eodem Bolando superius prænotabamus; vt tandem omittam Patrem Frigerium Congregationis Oratorij Scriptorem attestantem se hanc eandem reuelationem exscripsisse ex Codicibus similiter Vaticanæ Bibliothecæ numero 3843. vt idem affert, ac loquitur in Vita S. Thomæ cap. 8; repetitque Fontana in Epinicijs sacris pag. 8. legendus.

Ad

Digitized by Google

Ad primum, igitur ne dum manifestæ falsitatis conuincitur commentum Aluæ dicentis, solum ab anno 1620 hanc reuelationem primo auditam esse, verum etiam responsum adæquatè manet instantijs Wadingi quærentis de persona, loco, & tempore, quæ singula ex præcitato cap. exhibita sunt.

Ad secundum, credendum magis tot Hispanis scriptoribus in libro illius pijssimi Patris Carmelitæ edito, tum alibi, tum Valentiæ opera Michaelis Cosmi Presbyteri Valentini, eam reuelationem reperiri, quam vni Petro de Alua aufugienti, dum scribit, *facta diligentia, istius se non potuisse inu nire notitiam*, neque alioquin nostri indigebāt eo longe iuniori scriptore, pro hac reuelatione referenda, cum tot antiquiores longe, (quos mox retulimus) superabunde suppeterent.

Ad tertium, cum reuera apparuerit Fratri illi Eleutherio simul cum S. Thoma, atque in commendationem doctrinæ eiusdem, ne dum Diuus Patriarcha Franciscus, ore suadens Angelicæ doctrinæ sequelam, verum etiam B. Virgo per impositionem Coronæ commendans Angelicum Doctorem eundem, non mirum inde, si ille Balthasar Arias Valentinus (non quidem recensendo velut duas reuelationes) sed vnam eandemque repetendo, ac euoluendo, modo D. Franciscum approbantem inducat (referendo potius verborum sensum, quam verba, ac alludendo illi, quod dictum est Paulo, dum mitteretur ad Ananiam, *hic dicet tibi, quid te oporteat facere*) modo B. Virginem eum eodem Diuo Francisco, velut eo applaudendi genere, quod gestu indicarat, repetentem verba approbantia Francisci. Non est hoc sanè duas separate reuelationes, sed vnam dumtaxat sub diuerso motiuo, Oratoris more, repetere, vt conferenti patebit.

Ad quartum, stante simul (vt lib. 2. monuimus) excellentia etiam perpetuò duratura doctrinæ S. Thomæ cum probabilitate doctrinæ Scoti, non eò dirigitur hæc reuelatio, quò Wadingi præallata verba contendunt, sed potius ad id, quod Wadingus ibidem tandem subodorari videtur, dicens: *Quod si vero velint omnium dubiorum solutionem in Scoto non haberi & pro multis enodandis Thomam esse consulendum* (subintellige etiam à Scoti discipulis) *id libentius admittimus: diffusius enim, clarius, copiosius, frequentiorum quæstionum partitione, Diuinam, moralemque tradidit ille disciplinam*. Hæc ille Alumnus Scoti, quæ (tametsi non omnia continerent) prædictæ tamen reuelationis intento sufficerent, vti & hæc nostra sufficiunt instituto nostro de approbationibus doctrinæ S. Thomæ ex Christi Domini, ac Cælitum reliquorum testimonio depromptis, quas generali, ideoque breui, comprobatione comprehendisse visus est Clemens VIII. in suo Breui ad Proregem Neapolitanum, appellans ac dicens, *Thomæ Aquinatis, Diuino eloquio, & Cælesti* (nota, scilicet ex testimonio Dei, & Cælitum reliquorum) *diuino*, inquam, *Eloquio & cælesti doctrinam, miraculisque* (quid amplius?) *miraculisque illam quidem illustrem, merito apud remotissimas nationes, summa Christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ vtilitate, celebrari*.

QVÆSTIO SEXTA.

De Approbatione ex Verbis Ioannis XXII. & Oratoris Concilij Tridentini.

POstquam absoluimus vetustiores approbationes reuelationibus Cęlitum inhærentes, accedimus nũc ad illas, quæ similiter non in aliquo Breui, vel Diplomate Pontificum fundatæ sunt, sed innituntur potius aut verbis alicuius Pontificis, aut Oratoris saltem in aliquo OEcumenico Ecclesiæ Concilio, vt primi generis est antiquissimum elogium illud Ioanni Vigesimo secundo tributum, *tot miracula fecit, quot Articulos scripsit*, secundæ classis est illud, quod ab Oratore Concilij Tridentini asseueratum esse communiter recensetur: post quas approbationes properare licebit ad cæteras posteriores in Bullis recentiorum Pontificum post Tridentinam Synodum exaratis, vt Pij V, Clementis VIII, Pauli V, & Alexandri VII. & huiusmodi, si qui supererunt, cæterorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An verum sit Ioannem XXII. de S. Thoma dixisse
Tot miracula fecit, quot Articulos scripsit.

VIdetur non verum esse ipsi Petro de Alua Nodo 16. §. 1. Quia Didacus Nugnus Cabezudo in suo illo prologo in 3. p. inscripto, *comprobata Doctrina Thomisticæ firmitas, Celsitudo &c*, sic inquit: *Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis B. Thomæ: Quot articulos composuit, tot miracula fecit*. Sed hoc penitus est à veritate alienum, cum talia verba in Bulla non extent (vt subsumit, & loquitur Alua pag. 689). A veritate igitur aliena est in proposito Thomistarum attestatio, vel fides, seù approbationis relatio.

Secundò, quia nec alibi, seù extra Bullã, id ab illo Pontifice dictum esse non operosè probari posse videtur, quandoquidem, si huiusmodi verba ille summus Pontifex in Consistorio, aut alibi protulisset, iam testis aliquis illius tẽporis reperiri posset vtique & deberet, qui attestaretur hæc vel huiusmodi verba à Pontifice prolata esse. Sed hic testis hucusque non prodijt, nec ab aliquo auditus est, etsi à recentioribus nostris hæc approbatio velut certa communiter circumferatur. Nec certa igitur nec vera, hoc non obstante, hæc approbatio reputari potest.

Tertiò, quia (vt prosequitur Alua eadem pag. 689.) Pater Fauianus Vireonius in suis Orationibus Miscelaneis impressis Coloniæ 1629. in 4. fol. 150. sic inquit: *Dixerat olim Gregorius X. quot Articulos, tot miracula fecit Diuus Thomas*, cum tamen splendide hallucinari hunc certum sit, (quia Gregorius X. vno dumtaxat anno post Thomæ Aquinatis obitum superuixit) vti & Pater Enricus Caldenhauen in libro Rosarij impresso Coloniæ 1627. ad finem cap. 3. fol. 253: & si quoad hanc approbationem in Pontifice non decipiatur, decipitur tamen ibidem in attribuendo visionem D. Augustini ipsi B. Reginaldo, quæ vti facta B. Alberto de Brixia communiter recensetur. *Quomodo ergo tractanda erit fides istis Scriptoribus in rebus singularibus & incognitis, quando in notis ac communibus ita aperte deflectunt?* inquit ac concludit Alua pagina mox ante citata.

In

In oppositum tamen est, quod in Officio Ecclesiastico pro Angelico Praeceptore existente in Breuiario Ordinis reformato iussu Clementis VIII. in Lectione diei 4. infra Octauam, perseuerant adhuc, & publicè in Ecclesia cantuntur haec verba: *Quia & illud à Pontifice Ioanne XXII. dictum ferunt, alijs Opus non esse miraculis, tot enim Sanctum Virum fecisse miracula, quot scripsisset Articulos.* Non licet autem ita de facili abijcere vt falsa, quae in Ecclesiasticas preces approbante Summo Pontifice redacta sunt. Non licebit igitur de facili adeo abijcere vt falsum istud commune proloquium, quod ita à Ioanne XXII. San. Thomae doctrina commendata sit.

Respondeo reipsa verum esse etiam Ioannem XXII. de San. Thoma haec aut huiusmodi verba protulisse, *S. Thomam tot fecisse miracula, quot scripsisset articulos,* vti iam frequentissimè praedicari, ac communiter circumferri ab antiquis têporibus consueuit. Et in primis Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis (cum ex Trithemio, verbo Ioannes, natus sit circiter anno 1364, & mox antea Pontifex Auenioni intra idem Regnum Galliarum commoraretur) tum ratione aetatis, tum ratione Regionis conuiuere potuit cum plerisq; illis, qui Canonizationi S. Thomae per Ioannem XXII. Auenioni celebratae anno 1323 interfuerunt, eiusdemque Pontificis verba persenserunt, & consequenter in re nostra opportunissimus ac grauissimus hic testis est. At hic ipse Ioannes Gerson ita Pontificem de San. Thoma loquutum esse attestatur p. 2. suorum Operum, in Opusc. inscripto *contra impugnantes Ordinem Carthusiensium*, vbi pro nostro instituto sic loquitur: *cum in Canonizatione S. Thomae de Aquino opponeretur, quod non fecerat miracula in Vita, vel non multa, dictum fuit per Papam non esse curandum, nam tot miracula fecit, quot quaestiones determinauit.* En elogium, de quo lis intentatur. Ex opportunissimo igitur, & grauissimo teste, huius approbationis historia simul ac veritas comprobatur, vt bene perpendit etiam sapientissimus Lemos tom. 3. par. 1. pag. 12, vbi, breuissimè licet, pleraque elogia Pontificum pro S. Thomae doctrina percurrit.

Secundò, si praeter hunc id testaretur & ille, qui eiusdem Canonizationis promotor fuit, & post primam Inquisitionem de Sanctitate Vitae S. Thomae, Magnatum libellos supplices eidem Ioanni Summo Pontifici praesentauit pro secunda Inquisitione de Vita simul & miraculis perquirendis eiusdem, eumdemque Summum Pontificem non semel de eadem re loquentem audiuit, si hic, inquam, ipse vlterius id, quod intendimus, testaretur, non melior sanè, vel potior attestatio in re tam vetusta ac difficilis probationis remaneret. At certum est Gulielmum Thocum fuisse praedictae Canonizationis Promotorem apud Pontificem (vt eadem aetate recenset Bernardus Guidonis Episcopus in lib. 2. 3. p. miraculorum S. Thomae cap. vltimo) & hic ipse Gulielmus Thocus, licet suum reticeat nomen, in Vita S. Thomae (apud Bolandum) cap. 13. hanc in re laudem doctrinae S.Thomae à praedicto Pontifice pronunciatam esse describit, vt mox ipsius verba subiungo. Nec melior igitur, nec potior attestatio huiusmodi rei desiderari valebit. Audi nunc, & accipe verba Thoci. *Quia totus Processus*, inquit, *fuerat frequenter reasumptus &c. continuanda est prosequutionis dicti Processus. Historia, vsque quo de inquirendis dicti Sancti miraculis per Sanctissimum Ioanne in summum Pontificem Inquisitionis prosequutio fuit commissa. Coram quo Patre Sanctissimo, cum praedicti Fratres exposuissent dictam causam sui ad-*

uentus ad Sanctitatis suæ præsentiam, & super hoc litteras Magnorum assignassent, quibus implorabant Inquisitionem de inueniendis miraculis factis meritis prædicti Sancti Apostolica auctoritate committi: Prædictus summus Pontifex diuino afflatus spiritu, quo repletur, dixit. Nos credimus, quod Frater Thomas est gloriosus in Cælo, & Doctrina eius (nota, & quæso perpendas verba hæc, dum ageretur de inquirendis miraculis) *& Doctrina eius non potuit esse sine miraculo* (audis?) perge nunc & attende eandem responsionem ab Eminentissimis Cardinalibus approbatam, aut verius dixerim collaudatam: *Quam responsionem summi Patris*, inquit, *Cardinales audientes, dixerunt esse in tali petitione* (obserua iterum, scilicet in petitione de inquirendis miraculis) *esse in tali petitione responsionem diuinitus aspiratam, & à Deo fieri processum incepti negotij, qui semper fuit mirabilis in Operibus Sancti*, nimirum in *Operibus*, quæ S. Thomas scripserat, & quæ postmodum in Bulla Ioannis hac de causa *Opera Dei* appellata sunt. Vis ampliorem, aut opportuniorem historiæ comprobationem? Sed prosequamur, obsecro, & repetitas ab eodem Pontifice de eadem doctrina laudes (præter exaratas in Bulla) breuiter saltem hac occasione attingamus.

Tertiò itaque loco (præter præadducta) se offert, tum in eodem cap. 13. Gulielmi Thoci, alloquutio eiusdem Summi Pontificis ad Cardinales in Consistorio proximè subsequente pro committenda secunda Inquisitione de miraculis, ita de eodem S. Thoma inter alia dicentis (*ipse plus illuminauit Ecclesiam, quam omnes alij Doctores, in cuius libris plus proficit homo vno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitæ suæ*). Tum vltro se offert in vetustissimo Chronico Ordinis (scripto per Iacobum de Susato anno 1416, & simul impresso cum Constitutionibus Ordinis Prædicatorum) *In die Canonizationis S. Thomæ de Aquino prædicasse primo Dominum Papam Ioannem XXII. in Palatio suo sumpto themate. Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum*, & inter alia *addidisse quod nullus haberet pro malo, quod iste gloriosus Doctor post Apostolos & Doctores Primus plus illuminauit Ecclesiam Dei*, vti huic relationi de themate assumpto congruit etiam series Bullæ Canonizationis eiusdem, in cuius medio (dum sermo haberetur de miraculis) sic legitur: *vt illud Psalmi meritò de ipso dicamus. Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum suum*; tum demum occurrit in eodem Chronico, post recitatos alios octo sermones aliorum Præsulum in laudem Sancti Thomæ tunc relati inter Sanctos, *Postea eundem Dominum Papam 15. Kalendas Augusti in Festo Sancti Alexij Cantauisse Missam, & iterum Sermonem habuisse de eodem*, (scilicet de D. Thoma) *sumpto themate: Magnus es tu, & faciens mirabilia.* Vide, quot suppetunt ab eodem Pontifice pro doctrina Angelici Præceptoris encomia? Immo quam maiora euaderent, si eiusdem Pontificis omnes manuscripti sermones reperirentur, quorum aliquos se vidisse testatur & Alua pag. 705 cum Iacobo à S. Catolo Carmelita in sua Bibliotheca fol. 139. Quid mirum igitur eundem Ioannem XXII his tribus vicibus iterum integris sermonibus differentem, præcipuè *de mirabili* semper Sancti Thomæ doctrina (vti iam verba retulimus) idem, quod nunc defendimus, elogium de eadem doctrina Angelica repetijsse? quid mirum rursus eiusdem elogij (si non verba) ad minus sensum in Canonizationis quoque Bulla, vt præexpendimus, eundem Pontificem inseruisse?

Quartò sane loco, vt id ostendatur, non te pœnitebit ex eadem Bulla hunc

audire

audire discursum. Idem re ipsa videtur scripta Diui Thomę esse *opera Dei non absque speciali infusione perfecta*, ac eadem miracula dici, tum quia specialis infusio non sine miraculo esse potest, tum quia tunc homo præsertim dicitur operari *opera Dei*, cum miracula facit, tum quia alioquin illa, quæ homo sine miraculo operatur, opera potius hominis appellari solent, quam absolutè *opera Dei*. Sed in eadem Bulla Canonizationis idem Summus Pontifex, postquam plurima S. Thomæ scripta nominatim adduxerat, ea simul ac cætera comprehendens in hæc verba concludit, *Plurimaque Dei opera in Dei laudem fideique dilatationem, eruditionemque studentium &c. non absque speciali infusione perfecit*. Re ipsa igitur in eadem Bulla idem Summus Pontifex pronunciauit, scripta Diui Thomæ miracula esse, & consequenter, quot ille scripserat, tot fecisse miracula, idem Ioannes XXII. pronunciasse non immerito reputatur. Vides iam prorsus rem stare pro nobis, nec reliquis nos testimonijs indigere. Verum præstat adhuc solum vnius alterius Summi Pontificis calculo id roborare.

Postremò nimirum ex Clemente VIII. in diplomate edito 22. Nouembris 1603 ad Pro-Regem Neapoli inter alia appellante *D. Thomæ Aquinatis diuino eloquio & celesti, doctrinam, miraculisque illam quidem illustrem*. Certum est autem hic separari approbationem doctrinę D. Thomę ex Dei incarnati eloquio depromptam, quod *diuinum* appellat, & ex reuelationibus Beatæ Virginis, Principum Apostolorum, & cæterorum quorundam Sanctorum (quod *cæleste* vocat *eloquium*), separari, inquam, ab eo, quod eadem doctrina dicatur *miraculis illustris*, seu in se miracula continere, vel miraculum esse. Sensit igitur & hic Summus Pontifex, atque approbauit S. Thomæ doctrinam (præter allatas hucusque mirabiles approbationes ex testimonio Dei, & Sanctorum) in se vlterius miracula continere, vel miraculum esse, quod, obsecro, quid aliud in re est, nisi D. Thomam tot fecisse miracula, quot articulos scripserat? vt prior ille alter Summus Pontifex pronunciasse etiam à Cardinali Palauicino in Vindicijs Societatis cap. 3. laudatur, & à Granado eiusdem Societatis in disp. prolegomena ad tomum 1. cap. 3. inscripto, *De S. Thomæ Aquinatis ingenio atque doctrina mirabili*, & in re tandem Theophilus quoq; Rainaldus (quem Alua hoc ipso nodo 16. pag. 701. *Amicum* sibi recognoscit ac laudat) in clausula Parænetica pro Lessio aduersus Barnesiū fere repetebat de S. Thoma dicens: *Ad miraculum doctus, ad miraculum in doctrina solidus, ad miraculum accuratus, atque ordinatus, profundus, acutus, perspicuus, omnibus probati scriptoris ac Theologi dotibus eminentissime insignis. Parce, ac ieiune commendo hominem priuata quacumque commendatione superiorem*. hęc ille homo, non noster, immo & à nostris rebus alienus.

Ad primum igitur fortasse aliquis responderet, aut saltem in cōdenda Bulla, seu in pręambulis ad Bullam, licet non intra Bullam, ea verba prolata esse, aut originale manuscriptum illius nostri Thomistæ exaratum hoc pacto fuisse (*Ioannes Vigesimussecūdus in B. Canonizatione Thomæ*) Trāscriptores vero siue Typographos (vt frequentissime solent) loco illius B., scilicet Beati, apposuisse Bullam aiendo, *in Bulla canonizationis &c.* quod tamen adhuc quo ad verborum sensum, licet non quo ad elogij verba, haud falsum esse (vt Alua supponit) in quarta nostra probatione ostendebamus.

Ad secundum prẹter Gersonem, qui nec noster erat, nec conuenisse cum illius ætatis hominibus negari potest, iam Thocus ipse illius temporis testis

fuit,

fuit, & relata verba eiusdem Pontificis audiuit, seque illa audiuisse testatus est; non clam vel in angulis, sed in publico, publicisque libellis, eodem tempore editis, quo vel non adhuc canonizatio sequuta erat (quam idcircò nec factam commemorat solumque in fine eiusdem libelli sui se ad initium secundę Inquisitionis de miraculis Auenionem peruenisse fatetur) vel saltem eadem canonizatio vix paulo ante celebrata fuerat, ex consequenti, si falsa de viuente adhuc & diu vlterius superuiuente Pontifice Maximo in publicum produxisset, redargui vtique ineuitabiliter potuisset, & debuisset: Quod valde in re nostra, ubicumque eiusdem utimur testimonio, in hoc libello præsertim semper ob oculos retinendum est.

Ad tertium, cum illorum duorum, qui ibi carpuntur, neq; nunc nobis libelli præsto sint, neque vix nomina ab alijs audiri sentiamus, donabimus gratis vnum dumtaxat ex nostris inferioris adeo subsellij hominibus in attingendo hoc elogio, quo ad nomen Pontificis, per oscitantiam allucinatum esse, sicut & alter in recensenda D. Augustini visione quo ad videntis nomen lapsu memoriæ deceptus fuit. Numquid ergo propterea Scriptoribus cæteris, eisque grauioribus, fides (vt nunc expostulat Alua) abroganda erit? non ita sanè pro ferrea adeo hominis inimici sententia decerneret aureum os illud Chrysostomi, qui immo in simili fere (licet non similium personarum) aliquali testimoniorum dissonantia respondet homilia 1. in Matthæum: *Hoc ipsum*, inquit, *maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia & cura usque ad tempora & loca omnia, usque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset vnquam, quin illi communi ad decipiendum consilio congregati quasi ex humana quadam conspiratione scripturas condidissent: Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam iudicarent: nunc vero, quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione deffendit, & satis clare scribentium existimationem tuetur.*

ARTICVLVS II.

An approbatio doctrinæ S. Thomæ ex Oratore Concilij Tridentini deprompta & magna & vera sit.

Videtur nec magna nec vera esse, sæpe relato Petro de Alua nodo 9. §. 13 per integrum. Siquidem, inquit pag. 531. *De hoc Concionatore sufficit scire fuisse ex Ordine Prædicatorum, ac quidem quod fuerit communis quidam Frater*, scilicet, vt addit pag. 533; *iste fuit quidam P. Magister Prædicatorum absque alia dignitate aut præeminentia vocatus Ioannes Gallus Burgensis Hispanus &c.* non est autem quid magnum, *vt debet Discipulus de suo Magistro*, hunc *habendo concionem ad Patres Concilij in die S. Thomæ dixisse*, quæ referuntur, verba laudatoria de doctrina sui Doctoris S. Thomæ, *cum & multo maiora posset Concionator ille dicere, nec tamen exinde sequeretur, quod Sanctissimi illius Concilij Patres per os illius Concionatoris acclamarint & approbarint doctrinam S. Thomæ, vt Salmanticenses dedaucebant*, in opusculo pro iuramento Salmantino. Non magni igitur hæc Concionatoris commendatio pro doctrina S. Thomæ facienda est.

Secundo, quia iste adhuc Concionator (vt pergit Alua pag. 534, conferendo eiusdem verba cum verbis prædictorum Professorum Salmanticensium)

loque-

loquebatur solum de Concilio Lugdunensi, ad quod euntem S. Thomam in itinere mortuum esse præmittit, & inde subdit Concionator, *Non ergo potuit Ecclesiasticis interesse Concilijs, morte præuentus est:* Salmanticenses autem *truncarunt auctoritatem*, scilicet omittendo, ly *ergo*, & addiderunt *illa duo verba (D. Thomas) ad catenandam auctoritatem grammaticaliter, vt faceret sensum absolutum*, scilicet in ordine ad omnia Concilia. Rursus (inquit Alua) *vbi Pater Gallus semel & iterum ait (vobis adest, vobis iure delegauit) loquendo cum Patribus Concilij: Salmanticenses etiam semel & iterum vertunt sic (Nobis adest, nobis iure delegauit) volentes indicare hoc pro nomine comprehensiuo (Nos) Concionatorem esse vnum ex illis Sanctissimis Patribus, qui in isto loquebatur sermone*. Constat igitur istam commendationem doctrinæ S. Thomæ, aut pro vt in re fuit non magni momenti fuisse, aut pro vt à professoribus Salmantinis extenditur, & augetur, non veram esse.

Tertiò inde ad ea verba prædicti Concionatoris (*Ad D. Thomam vt ad Lydium Lapidem, si quid ambiguitatis vel contrauersiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimatis*) ad hæc, inquam, & super hæc verba, alij addiderunt (vt Antonius de Aubermunt in Oratione Panegirica San. Thomæ impressa Louanij 1663) *in medio templi Tridentini super Altare fuisse imaginem Christi Domini Crucifixi, & à dextro latere Sacros Bibliorum Libros, à sinistro summam S. Thomæ*. Hæc autem (subdit Alua pag. 535) *reijcienda sunt vt chymerica*, velut scilicet à Dominicanis efficta. Nec vera igitur, vti refertur vel augetur, ex prædicto Oratore, doctrinæ S. Thomæ approbatio.

Quarto, quia dato etiam in Concilio Tridentino magni factam esse doctrinam S. Thomæ, aut (vt loquitur Petrus Clerq in Oratione de S. Thoma) *sacros eiusdem concilij Canones, si non omnes, pene omnes fuisse ex doctrina D. Thomæ decerptos*, aut vt referunt Doctores Salmanticenses ex Bulla Pij V. *Angelici Doctoris doctrina vi et veritate hæreses dissipatas esse*, hoc si detur adhuc, magnum non est, inquit Alua pagina 530, *Cum S. Thomas in sua summa Theologiæ reduxerit ad compendium & congregauerit in vnum omnes veritates, quas Petrus Lumbardus Magister sententiarum extraxit ex Sanctis Patribus, & quas ad Scholasticorum normam postea reduxerant antiquiores pra S. Thoma Theologi, Hugo & Ricardus, Albertus Magnus, & Alexander de Ales &c. nec ideo in concilio aut extra poterat aliquid vere & Catholicè determinari, nisi consuleretur D. Thomas &c. sicut etiam quod in Concilio Tridentino suspensa fuerit quædam sessio quousque constaret de mente S. Thomæ, idem fuisset quod aliquis Episcopus dixisset, doctrinam illam esse contra mentem S. Augustini, S. Ambrosij, S. Hilarij, S. Chrysostomi &c. eodem modo suspensa fuisset sessio illa, cum Patres Concilij non determinarent nisi maturè perspecta mente Sanctorum*. Hæc ille. Non inde igitur deducitur adhuc magna illa approbatio doctrinæ S. Thomæ ex Concilio Tridentino, *vt ridiculè* (inquit Alua) *à Salmanticensibus deaucebatur*.

In oppositum tamen (si alia quæcumque deessent) vnus pro omnibus superabunde sufficeret, Magnus ille & apud me maximus semper Annalium scriptor Cardinalis Baronius paulo post finem Concilij Tridentini scribens, atque in Martyrologio Romano à Sancta Sede approbato, sub die 7. Martij hanc ex Tridentino Concilio approbationem doctrinæ Aquinatis, ne dum recognoscit vt veram, verum & commendat vt magnam, de S. Thoma sic habens: *Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir Sanctissimus atque eruditissimus Theologorum*

gorum præconijs celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ à Sanctis Patribus in Sacro Sancto OEcumenico Concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatum. En audis, immo iam percipis eam ferme similiter legi in Dominicano Breuiario reformato & approbato per Breue Clementis VIII. in die 8. Sancti Thomæ, lectione prima secundi Nocturni. Hæc itaque melius audiri voluissem ab Alua, atque animo minus turbato perpendi, ne ita præcipitanter assereret, aut minus veram, aut non ita amplam, hanc ipsam ex Tridentino Concilio approbationem æstimandam esse.

Respondeo audiendum prius esse eiusdem Oratoris Concilij Tridentini testimonium, vt postea perpendatur vt magnum, & simul vindicetur vt verum. In volumine itaque adseruato adhuc in Bibliotheca S. Dominici Brixiæ inscripto: *Orationes habitæ Tridenti 1561. 1562, 1563, sub S. D. N. Pio IV. Pont. Max:* Inter cæteras plurimas legitur hæc impressa Brixiæ eodem anno 1563. die 26. Aprilis per Ludouicum Sabiensem, hoc titulo: *De laudibus Sanctissimi atque Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis Ordinis Fratrum Prædicatorum. Oratio Reuerendiss. P. ac Mag. Fratris Ioannis Gallo-Burgensis Hispani Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Serenissimi & Catholici Regis sui Philippi Theologi: ad Sacro Sanctam Synodum Tridentinam in Ecclesia sui ordinis Congregatam die 7. Martij 1563. Vos estis lux mundi &c.* Et post plura circa medium hæc habentur ibidem de San. Thoma. *Ipsum denique felicissimum antesignanum theologorum exercitus consectatur. Cumque omnibus in pretio sit, dignus sanè Venerabilis Ecclesiæ doctor, quem hæc Sacra & Oecumenica Synodus maximis ijsque amplissimis honoribus prosequatur, Sanctissimæ si quidem vita diem clausit extremum, cum ad generale Concilium Lugduni, celebratum iussu Gregorij Decimi Pontificis Maximi, iter arripuisset;* & per decem lineas descripta gloriosissima eiusdem Doctoris morte, nouo etiam sydere, seu Comete, pia signata, subiungit: *Demum ad extrema perductus, Epithalamio Salomonis exposito, velut candidus Olor carmine vitam finiuit. Non ergo potuit Ecclesiasticis interesse Concilijs, morte præuentus. Verum ecce superstes, atque in æternum victurus vobis adest, bona sua, spirituales doctrinæ thesauros, hereditario iure vobis delegauit. Nulla proinde ab eius felici transitu Concilia sine Sacro Doctore celebrata sunt; vt enim de cæteris sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad eius laudem testemur? Vestra Comitia perpendite, ex plurimo eoque honorabili Doctorum cœtu quotusquisque consultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate veluti splendenti gemma suam sententiam non ornet? ac in Consultissimo Patrum recessu, Doctor hic sententiam rogatus frequentissime censet, ad quem vt Lydium Lapidem, si quid ambiguitatis aut controuersiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimatis, vt qui eum sui placitis Patronum obtinuerit, incertam iudiciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit; atque adeo huius religionis nomine, grauissimæ vestræ auctoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ nomen vbique celeberrimum, vestra in eum obseruantia celebrius posteritati reliqueritis &c.* Hæc ibi, nunc videamus quanta hæc, & postea quam vera sint. Hæc imprimis tanta sunt, vt talia profectò coram tanta Synodo dicta non sint aut audita (non dicam de altero cuiuscumque Scholæ doctore vel Principe) verum nec de D. Hieronymo, neque de D. Gregorio Magno (& si Priores Ecclesiæ Doctores essent) atque in eorundem duorum laudem, similiter aliæ duæ habitæ Orationes in eorundem diebus festis coram eadem Synodo in eodem volumine

lumine perlegantur. Hæc tanta sunt, vt hinc defuncto Aquinati in ordine ad Patres Synodi Tridentinæ valeant adaptari, quæ de viuente adhuc Augustino in ordine ad Patres Concilij Africani canebat Prosper in carmine de ingratis;

Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat.

Hæc tanta sunt, vt pro laudum amplitudine ab eisdem Tridentinis Patribus, qui in prædictarum laudum testimonium aduocabantur vt testes, neque in ipsa tunc diuulgata continuo Oratione aliqua correcta sint (immo impressa singula eodem anno mense que immediate sequenti approbantibus illis, ad quos attinebat) neque in suismet post modum libris, quos eorum plurimi etiam alterius instituti vel scholæ Doctores, absoluto Concilio, ediderunt, minus probata sint, vel negata, & consequenter à tacito saltem eorundem consensu probata non immerito videri queant.

Hæc vtique (vt transeam iam ad secundum) ne dum ampla sed vera sunt. Quis enim adeo præfrictæ frontis vel amotæ mentis exsisteret, vt si prælaudata vera non essent, de more in eadem Synodo procedendi, coram eadem integra Synodo fidenter adeo pronuntiaret? *Quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus?* Quis tam fatuus, & ne dum impudenter imprudens, vt illos eiusdem Concilij Patres aduocaret in testes, aiendo, *vestra Comitia perpendite*, si ijdem Patres eiusdem mentientis assertum continuo manifestæ falsitatis conuincere potuissent? quis adeo hebes vel minus probus esse potest, vt non concedat aut videat, non passuros alioquin illos sapientissimos Concilij Patres, vel falsis laudibus dehonestari Aquinatem, vel falsam methodum imputari Concilio, vel falsis rumoribus populos implanari? hæc sane si prudens censor quicumque perpendat, agnoscet iam illa, quæ dictus Orator ad Synodum loquutus est (neque proinde correpta, sed probata potius in publicum prodiere) non vt falsa profecto, sed potius vt certa à nobis posteris recipienda esse.

Verum, ne vnius dumtaxat id asserentis testimonio conuincere refractarios nobis (vel Angelico ipsi Ecclesiæ Doctori), ob probationum penuriam, in re proposita videamur, cum in ore duorum vel trium stet omne verbum, idcirco in eiusdem Oratoris assertum (præter Eminentissimum Baronium, qui allatus est antea, & sua sola auctoritate sufficeret) produco nunc plures alios, qui eidem interfuere Concilio, eandemque in eodem Concilio methodum seruatam esse attestati sunt.

Primus est Hieronymus Wielmus Episcopus Argolicensis, vnus ex eisdem Patribus Tridentinis, & libro 1. de scriptis San. Thomæ, sic dicens: *Certe in hac Tridentina OEcumenica Synodo, quam, cum hæc scribimus, frequentissimam celebramus, nemo Patrum esse videtur, cui religio non sit, cum de fidei dogmatibus agitur, à Thoma sententia vel latum vnguem abscedere, aut ab illa prouocare, vt & à veteribus Patribus nihil minus Aquinas habuerit, & scholastici omnes Principem hunc suum receperint modis omnibus ornatissimum.*

Secundus est Vincentius Iustinianus, laudatus & ipse in indice Patrum Concilij inter Generales, & postea Cardinales, quem prorsus idipsum repetijsse, quod prælaudatus Wielmus mox ante scripserat, attestatur Michael Plodius

 libro

libro 1. Columna 248. Postremus est Dydacus à Payua Lusitanus Theologus Regis Hispaniarum in eodem Concilio celebratus non semel à Cardinali Pallauicino in eiusdem Concilij historia, præsertim libro 24. cap. 10, tanquam *Vir doctus & magna preditus auctoritate*, qui (vt inter cæteros refert etiam Basilius Pontius in opusculo pro iuramento Salmantino) tomo 1. sermonum Côcione secunda de S. Thoma, velut pro experimento eorum, quæ ab Oratore mox ante commendabantur, sequens describit exemplum; *cum ventilata fuisset*, inquit, *sessio 22, in qua decretum est Christum Dominum discipulos suos in nocte Cœnæ Sacerdotes instituisse, & coram omnibus Concilij Patribus hic articulus legeretur, assurgens quidam Episcopus dixit, hanc determinationem doctrinæ D. Thomæ contraire videri: quod audientes Concilij Patres sessionem illam suspenderunt, & decretum illud, quousque de mente Doctoris Angelici constaret, retinuerunt*: Hæc ex Dydaco Payua, non nostro, non noster pariter Basilius Pontius, quæ ex Cardinali etiã Pallauicino libro 17. Historiæ cap. 11. num. 17. necnon ex actis (ab eodem citatis ibidem) Paleoti, & Archiepiscopi Zaratensis, & Episcopi Mutinensis dilucidius, quo ad singulas circumstantias, hoc modo proponere libet, ac roborare. Nempe anno 1562. (post quem annum Orator ille ad Patres apposité loquutus est) die 15. Iulij de serò in fine Congregationis Generalis pro sessione 21 solemniter in crastinum celebranda, ad illa verba Capitis primi sess. 21. (vt modò leguntur) *non tamen illa institutio, & traditio eo tendunt, vt omnes Christi Fideles Statuto Domini ad vtramque speciem accipiendam adstringantur*, ea die Salmeron & Torrensis apud Legatos præsidentes Concilij obtinuerunt pro Propositione (vt sperabatur) approbanda in subsequenti Sessione sic verba mutari, & adiungi. *Non tamen illa institutio, & traditio extenditur ad omnes Christi Fideles, ita vt Statuto Domini ad vtramque speciem accipiendam adstringãtur sed solum ad illos, quibus dictum est (hoc facite in meam Commemorationem) idest illis quibus tradidit potestatem conficiendi & offerendi Corpus suum, & Sanguinem*. Inde die 16. Iulij (qua Sessio 21. celebrata fuit) in Templo Tridentino imminente celebratione Missæ (qua absoluta de more decreta legi debebant, & approbari) diuulgata inopinatò interim inter Patres congregatos ibidem prædicta additione facienda, statim & extemporaneè Guerrerius Archiepiscopus Granatensis producta in medium 3. p. Summæ S. Thomæ, & lecta Doctrina eiusdem coram Patribus ex quæstione 80. ar. 11, cui videbatur (saltem sub dubio) illa additio contraire, adeo id audientes Patres commouit, vt licet, ratione loci, pro tunc indicto à Legatis silentio disputationis contentio quieuisset, tamen ad finem Missæ lecto prædicto Capite, & collectis Patrum suffragijs, additio illa approbata non manserit, dilata per consequens consideratione melioris alterius modi dicendi ad Sessionem subsequẽtem 22. sub die 17. Septembris, in cuius apposite cap. 1. hæc postea verba de Corpore, & Sanguine Christi Domini (non eadem omnino cum additione prædicta) approbata leguntur. *Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem*. Hæc illius breuiter prætactæ Historiæ à Dydaco Payua, ex Eminentissimo Pallauicino, alijsque apud ipsum, dilucidior descriptio est. Hæc velut ex facto comprobatio eorum, quæ grauissime Orator ille dicebat. Hæc præter aliam (quam Augustinus Hunnæus

Pari-

Digitized by Google

Parisiensis ostendit integro Opere impresso ad finem Tomi 1. Porrectæ in 3. p.) consonantiam Canonum Tridentini Concilij cum San. Thomæ Doctrina conuincunt, & probant, ne dum quam amplè eidem ab illis Sapientissimis & Sanctissimis Patribus acclamatum sit, verum etiam quam falso obclangat hic Alua, de læsa saltem in altero loco Tridentini Concilij S. Thomæ doctrina, de quo tamen loco, aduersus hanc Aluæ calumniam, (cum hic non libeat verba facere) consuli poterit, quod Zanchio & Sturmio hæreticis respondebat opportunè tunc Apostolicus Nuncius allegatus ac laudatus ab eodem Eminentissimo Pallauicino lib. 15. Historiæ cap. 10. num. 10; & simul, vt videas id, quod de Sessione 21. præferebamus, contigisse ex peculiari ac prudenti æstimatione Vniuersalitatis Doctrinæ Aquinatis, quæso te, consulas eundem Pallauicinum lib. 18. subsequenti cap. 8. num. 11, ibique reperies Guerrerum eundem seu Granatensem in Congregatione deinde generali antecedente Sessionem 22. non obtinuisse suspensionem (vt intendebat, adductis in contrarium testimonijs Diui Dionysij Areopagitæ, Diui Maximi, & Diui Chrysostomi) Capitis 1. eiusdem Sessionis 22, quemadmodum antea, recitata in aduersum sub dubio dumtaxat S. Thomæ doctrina, in præcedenti Sessione 21, vt suspēderetur additio proposita, assequutus est, vt etiam omittam nec ita suspensum fuisse Decretum in Sessione 14, quod lædere doctrinam Ducis alterius Scholæ suis sectatoribus de hoc ipso expostulantibus videbatur, vt apud eundem Pallauicinum lib. 12. Historiæ cap. 12. recitatur.

Ad primum igitur non in eo dumtaxat approbationem doctrinę S. Thomæ reponimus, quod vtcunque ab Oratore illo laudata sit, verum etiam in eo, quod de Methodo audiendi, ac suspiciendi eandem in eadem Synodo differuerit, neque id aduocati in testes Tridentini Patres inficiati fuerint, tacitoque proinde consensu simul & facto probarint, præsertim cum Spondanus aduertat ad annum 1562 num. 2. deputatos à Synodo fuisse, qui singulos habitos sermones ibidem recognoscerent examinatosque pro impressione probarent. De reliquo quinam fuerit Orator ille Tridentini Concilij, attestatur, tum titulus Orationis impressæ in prælaudato volumine legens, *Oratio R. P. ac Magistri Fratris Ioannis Gallo Burgensis Hispani Sacræ Theologiæ Doctoris ac Serenissimæ & Catholici Regis sui Philippi Theologi ad Sacrosanctam Synodum Tridentinam*, tum Epistola nuncupatoria eiusdem Orationis *ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Martinum à Corduba Episcopum Dertunensem &c.* per *Ioannem Baptistam Bozolam*, eundem Auctorem appellans *Serenissimi & Catholici Regis Philippi Theologum*, tum editus index *eorum, qui Concilio Tridentino interfuerunt*, impressus simul cum eodem Concilio sub titulo, *Theologi missi à Philippo II. Rege Catholico*, inter alia sic habens: *Frater Ioannes Gallo Burgensis Hispanus Ordinis Prædicatorum, & Frater Petrus Fernandez Hispanus Ordinis Prædicatorum in Societatem Magistri Gallo*. Vnde iam vides, qua fide hic appelletur ab Alua, *Communis quidam Frater & absque vlla dignitate*. Verum non mirum de Theologo Regis Hispaniarum in Tridentino Concilio sic Aluam loquutum esse, dum eundem S. Thomam Sanctissimum æque, atque ad miraculum Sapientissimum Ecclesiæ Doctorem, nodo 10, §. 2. pag. 558, sub nomine *Fratris particularis*, traducere non verebatur. Ita, repeteret in præsenti Chrysostomus ad illa verba, *non est Deus*, in Psalmo 13. *Ita & quilibet hereticus vehementissimus in tempo-*

re persecutionis, loquens etiam cum Pontifice, nec eum vocat Pontificem, nec Archiepiscopum, nec religiosum, nec Sanctum. Sed quid? Reuerentia tua, sapientia tua, Prudentia tua, & nomina illi adducit communia, eius negans auctoritatem.

Ad secundum, si superstes esset Basilius Pontius Legionensis Augustinianus, qui auctor fuit illius Opusculi editi sub nomine Professorum Salmanticensium, nostris vtique vindicijs non indigeret; verum nec reipsa nunc indiget eisdem aduersus geminam illam puerilem nimis ac ludicram expostulationem Aluæ, dum quo ad primam ipsiusmet Orationis à nobis transcripta verba respondent inchoantia immo à Synodo Tridentina, versu illo, (*dignus sanè venerabilis Ecclesiæ Doctor, quem hæc sacra, & OEcumenica Synodus maximis ijsque amplissimis honoribus prosequatur*), & post laudatam mortem in itinere ad Synodum Lugdunensem, vniuersim de omnibus ab illo subsequentibus Concilijs sic inferendo, *non ergo potuit Ecclesiasticis interesse Concilijs &c. Nulla proinde ab eius felici transitu Concilia sine Sacro Doctore celebrata sunt.* Audis? non ergo de sola Lugdunensi Synodo (vt imponit Alua) Orator ille differebat. Nec minus inepta est expostulatio secunda, cum iam viderimus illum Oratorem inter eiusdem Concilij Doctores aut Patres, tamquam præcipuum Hispaniarum Regis Theologum, extitisse, ideoque velut vnus ex illis, & ipse subdebat; *Quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contractamus &c;* tam etsi alibi integram alloquuturus Synodum, secundæ etiam personæ pronomine vteretur, non mutato deinde magis ab illis Salmanticensibus, quam ab eodem Alua (pag. apud me 533.) sic transcribente ex Volumine impresso Louanij hæc eiusdem Oratoris verba: *Verum ecce superstes atque in æternum victurus Nobis adest &c.*

Ad tertium iam simili obiectione pulsatus occurrit noster Magister Gonet in Prologo de laudibus S. Thomæ Canone 10 scribens: *hæc in primis editionibus sine teste, contentus sola domestica traditione, retuleram.* Verum aliqui parum erga sanctissimum Præceptorem eiusque Scholam affecti, & ea à discipulis, solo studio magistrorum commendandi, præter verum conficta fuisse afferere non dubitarunt. Attamen testem habeo, qui fidem meam liberabit, Thomam de Aquino Neapolitanum Clericum regularem in Opere de Politia Christi impresso Lugduni anno 1647. libro 2. cap. 6. vbi sic habet: *Fide dignissimi retulerunt in magna Aula medio, vbi erant congregati Sanctæ Tridentinæ Synodi religiosissimi Præsules ac Doctissimi Patres mensam extitisse sacro librorum pondere grauem, in qua hi sacri Codices conspiciebantur, Sacra Scriptura, sanctiones ac Decreta Pontificum, & S. Thomæ summa.* Quibus postea subiungit. *Expende, quo honore habita, qua inter Codices diuinos numeratur. Par erat, vt post diuinos libros, Angelici recenserentur.* Hæc ex illo Gonet, qui addere poterat etiam id ipsum ne dum affirmari à Patre Camblato Congregationis Doctrinæ Christianæ Opusc. 2. de auctoritate Doctrinæ S. Thomæ, verum etiam deduci ex eo, quod vix diuulgata (imminente celebratione Missæ) inopinatò ea mutatione Decreti inter Patres Tridentinos in Templo (vt relatum est) continuò Archiepiscopo Granatensi 3. pars summæ San. Thomæ in promptu fuit, quam habere non ita de propinquo licuisset, nisi (vt dicebatur, & par est credere de alijs sacrorum Codicibus vtique ibidem Synodo pernecessarijs) parata in templo eadem Summa Præceptoris Angelici præfuisset, vt scripto præsens adesset, qui persona

Digitized by Google

sona aberat, iuxta Oratoris Tridentini verba; cum alioquin etiam Synodus Ephesina 1. in epist. Synodiea ad Imperatores Theodosium, & Valentinianum (vt legitur apud Bail Parisiensem tomo 1. Conciliorum pag. 231.) hac ratione fateatur *positum fuisse in throno, qui medius erat in Ecclesia (vbi Synodus congregabatur) Sanctum Euangelium, quod Christum Synodo præsentem esse docebat*; nec minus idem mos seruatus legitur passim in subsequentibus Concilijs, immo in Concilio Moguntino I. tempore Caroli Magni (vt legitur apud eundem Bail tomo 2. pag. 307.) constat in medio Episcoporum locata fuisse, *præter Euangelium &c. & diuersa Sanctorum Patrum Opuscula, pastoralemque librum Gregorij*; vt inde nec tibi mirum videri queat, si quod libro pastorali Gregorij tributum fuerat, etiam celebratæ adeo summæ Angelici Præceptoris velut Medullæ Patrum Synodus Tridentina concesserit, vt relatum est.

Ad quartum, si Alua contenderet solum (quod & nos lib. 2. laudauimus) ita in vno S. Thoma præ cæteris cæterorum Sanctorum Patrum atque Doctorum contineri Doctrinas, vt (iuxta Genadij Constantinopolitani Elogium) *vnus ipse omnium loco sufficeret*, gratias equidem redderemus eidem, de recognita tandem veritate, quam alibi inficiabatur. Verum huc Alua non tendit, sed eò potius, vt velut Breuiatorem aliorum traducat illum, quem renuit venerari vt Magistrum, eximiumque Ecclesiæ Doctorem, quasi (si hæc vna ratio fuisset, recurrendi ad Summam S. Thomæ in Tridentino Concilio) tot alia deessent compendia à pluribus Scriptoribus edita post D. Thomam, aut quasi ex aduerso non præuenisset id ipsum Orator ille in eodem Tridentino Concilio, sic dicens: *Diuus hic multa quidem alieno marte collegit, sed cum plurima ex feracis ingenij partu contulisset, ea cura mentem sollicitabat, vt vel Augustino, cuius obseruantissimus fuit, vel alicui Sanctorum, quos omnes venerabatur, acceptum referret*; in quo sensu reducendi vtique in Sanctos Patres suas quoque denuo excogitatas pro eorundem Doctrina explicationes, ac probationes, accipio tum quod ex vna parte Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis eiusdem Sancti Doctoris aiebat, *omnem suam verbo, vel scripto Doctrinam ad eiusdem Ecclesiæ fidei normam fideli deuotione reduxisse*, tum quod ex alia parte Diuus Antoninus 3. p. Historiæ titulo 23. cap. 7. §. 5. de eodem Sancto Doctore subdebat, *adinuenisse in legendo nouos Articulos, nouumque modum determinandi, & nouas produxisse in determinando rationes*, adeò vt Alua ex his Antonini verbis perperam intellectis & sui immemor alibi, scilicet nodo 15. §. 1. pag. 781. eundem S. Thomam velut *nouatorem* traduxerit, ac deturparit. Hi gressus consueti sunt breui semper duraturis mendacijs. Hæc veritas ex aduerso (quam hoc Articulo propugnamus) de adhibita in Tridentino Concilio præsertim S. Thomæ doctrina, aduersus Lutherum eiusque Sectarios, *quos* opportunè monebat Pallauicinus lib. 1. Historiæ Tridenti cap. 4. *multos esse prosternere inter Theologos S. Thomam*. Hæc, inquam, veritas tandem etiam à B. Pio V. in Bulla, *mirabilis Deus*, pontificio calculo obsignata illis verbis: *Omnipotentis Dei prouidentia factum est, vt Angelici Doctoris vi & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cælestibus ciuibus adscriptus fuit, multa, quæ deinceps exorta sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur; quod & antea sæpe*, (Audin? præter Lugdunense ac Florentinum hic comprehensa Concilia (quod dissimulat Alua nodo 10. §. 1. pag. 557 nominatim de Tridentino sic pergit) *Et liquido nuper in sacris Tridentini Conci-*

iis decretis apparuit. Hæc ibi, quæ propemodum Orator ille mox antè in eodem Tridentino Concilio asserebat.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Approbatione ex Bulla Pij Quinti, & Clementis Octaui.

DEinceps, post antiquissimas illas approbationes doctrinæ S. Thomæ in aliquo rescripto fundatas, & rursus illas, quæ Cælitum reuelationibus, vel graui quorundam eloquio ferebantur innixæ, agendum manet de illis proximioribus, quæ ab vno sæculo circiter atque post Tridentinam Synodum in Diplomatibus succedentium Pontificum exaratæ leguntur, videlicet Pij V, Clementis VIII, Pauli V, & Alexandri VII, de quarum prioribus in præsenti quæst. (iuxta earundem ordinem) & de sequentibus alijs in subsequenti quæst. disserendum erit. Cum autem notissima Bulla B. Pij V. incipiens, *Mirabilis Deus*, prolixa satis, & nota, atque amplissima sit in laudem doctrinæ Aquinatis, seligemus hic solum particulam illam, quam à quibusdam vellicari percipimus; vti similiter edito à Clemente VIII. in laudem San. Thomæ triplicato Diplomate (pro vt singula in Bolando leguntur) ea solum, pro quibus nos hìc cogimur respondere, afferemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ea verba B. Pij V. Certissima Christianæ Doctrinæ Regula. *Rectè explicentur ex parte S. Thomæ, vel doctrinæ eiusdem.*

VIdentur non rectè explicari, siue primo, siue secundo modo, tum Dermitio Thadæo in sua Nitela pag. 53, tum Petro à Valle clausa Diatriba 1. §. 4. & 8. tum Petro de Alua nodo 10. §. 1. contendentibus illa verba dumtaxat verificari ex parte Pontificis Canonizantis San. Thomam, de quo Pius V. eo loci loquebatur. Et primo Petrus à Valle clausa ita discurrit: *Regula fidei non potest accipi, nisi vel de Regula viua, quæ se voce explicet de Scitis fidei infallibiliter pronunciando, vel de Regula mortua, qualis est scriptura Spiritu Sancto ducente calamum, seu Scriptoris mentem excitante conscripta.* At neutro ex his modis id tribui potest D. Thomæ, vel doctrinæ eiusdem, *cum primo modo id solius Romani Pontificis proprium sit, & secundo modo sola scriptura Canonica se habeat, vel ea, quæ Ecclesiasticam de Fide continet Definitionem.* Nullo igitur modo ly *certissima Christianæ Doctrinæ Regula*, seù Regula fidei, D. Thomæ vel eius doctrinæ attribui potest, vndè Dermitius Thadæus, quem refert etiam noster Ioannes de S. Thoma, inferebat, *nullibi à Pio V. appellari D. Thomam Christianæ doctrinæ Regulam, vt ei imponitur, sed Pium V. dicere, Ioannem XXII. adductum fuisse ex certissima regula Christianæ doctrinæ, vt eum Sanctorum numero adnumeraret.*

Secundò (vt prosequitur Alua) dum Pius V inquit, *Thomæ perpetuæ veræ Pietatis Opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, & certissima Christianæ Regula doctrinæ &c*, sicut illud *inexhausta Dei benignitas* extat in casu nominandi concatenatum mediante coniunctione, *&*, cum ly *certissima Christianæ Doctrinæ Regula*, ita & hæc secunda particula in nominandi casu accipi debet vt illa, & sicut indè non dicitur, quod Doctrina San. Thomæ *sit inexhausta Dei benignitas*,

Digitized by Google

ita nec dici poteſt quod ſit *certiſsima Chriſtianæ Doctrinæ Regula*, cum eo ſenſu modo regantur, & contineantur in Oratione ambæ hæ duæ particulæ. Igitur (concludit Alua) *grammaticalis huius Orationis conſtructio erit hæc: Inexhauſta Dei benignitas & certiſsima Regula Doctrinæ Chriſtianæ nobilitare voluit opera perpetua veræ Pietatis S. Thomæ, qua Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis erroribus illuſtrauit*, non verò quod *Opera S. Thomæ ſint certiſsima Regula Doctrinæ Chriſtianæ; quo ſenſu nihil abſurdius in fide, nec ſtupidius in Grammatica excogitari poterat*. Hæc Alua pag. 553.

Tertiò, nam dato, quod Doctrina S. Thomæ innitatur, & ſcripta ſit, ac regulara Certiſsima Chriſtianæ Regula Doctrinæ (*quod idem dici poteſt de Doctrina S. Bonauenturæ, Alberti Magni, Alexandri de Ales, Scoti, Durandi, & aliorum, alias nec ipſi in Eccleſia reciperentur, vt eorum Doctrina publicè in Accademijs legeretur*) *tamen falſum eſt* (vt loquitur Alua) *& ab omni veritate alienum hoc affirmaſſe Summum Pontificem Pium V. de doctrina S. Thomæ in ea Bulla &c.* Siquidem (vt id probet Alua, ſic pergit) ſenſus ibi verborum ſummi Pontificis hic ſolus eſt: *Aſſumptio S. Thomæ in Cœlum multis eſt comprobata teſtimonijs, tum, inquit Summus Pontifex, ex teſtimonijs miraculorum, quibus inexhauſta Dei Benignitas ipſum voluit nobilitare; tum ex certiſsima Regula Chriſtianæ Doctrinæ, quæ deficere non poteſt, ſcilicet ex Bulla ipſius Canonizationis, qua Ioannes XXII. ipſum in Sanctorum numerum retulit. His duobus teſtimonijs, miraculorum ſcilicet & Canonizationis ipſius, quæ ſunt certiſsima Chriſtianæ doctrinæ Regula, comprobatur* S. *Thomæ in* Cœlum *aſſumptio, & Beatitudo.* (Sic componit Alua ſenſum Verborum Pontificis) *Non ergo dicit Summus Pontifex, quod ſcripta San. Thomæ nitantur certiſsima Regula Doctrinæ Chriſtianæ, vt intulerunt Doctores Salmanticenſes* (& opponit Alua pag. 551.), & peius Galuanium, & alios intuliſſe ſubiungit infrà pag. 559; *Doctrinam S. Thomæ eſſe Regulam Doctrinæ Chriſtianæ*.

Quartò, Non contentus Alua cenſuris in noſtros homines velut perperam detorquentes verba Pontificis, mox infra §. 2. eiuſdem Nodi 10. pag. 570. non veretur & de eiuſdem Summi Pontificis verbis expoſtulare, dum inquiebat idem Pontifex in eadem Bulla, *cuius S. Thomæ meritis Orbis terrarum à peſtiferis quotidie erroribus liberatur*, & paulò antè, *vt multæ, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & conuictæ diſsiparentur*, non veretur, inquam, hic Alua hæc ſimiliter verba Summi Pontificis vellicare, dum ſubdit: *ſic merita præuiſa S. Thomæ liberant quotidie Orbem terræ à peſtiferis erroribus. Item Doctrina S. Thomæ liberat ſemper, & quotidie, ab antiquis, & nouis erroribus peſtiferis totum terrarum Orbem. Quomodo ergo ſunt tot tantique errores peſtiferi hodie per totum Orbem?* Hæc Alua, quem Pontifici ſummo, ac inter Cælites relato, inſultare non puduit, vt ex hoc ſaltem hominis verecundia in cæterorum cenſuris dignoſceretur.

In oppoſitum tamen eſt, quod ſicut in ſimili aiebat Auguſtinus lib. 1. in Iulianum Operis imperfecti cap. 133. *contra hos vel ſimiles verba tam clara ſunt, vt ſe aliena caligine obumbrari, obſcurarique non ſinant*; ſic B. Pij V. in Bulla hæc clariſſima verba ſunt: *Angelici Doctoris &c. in Cœlum aſſumptio, multis antè annis Orbi terrarum & diuinis & proprijs eſt comprobata teſtimonijs. Nam & miraculorum ſignis, quibus ſerui ſui Thomæ perpetua veræ Pietatis opera nobilitare voluit inexhauſta Dei benignitas, & certiſsima Chriſtianæ Regula Doctrinæ, qua Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtrauit, adductus fælicis recordatio-*

nis

nis Ioannes XXII. prædecessor noster &c. eius Festum celebrari iussit. Hæc Pius V; ex quibus constat, inter duo testimonia, quibus ait adductum fuisse Ioannem XXII. ad canonizandum San. Thomam, & iubendum simul Festum eiusdem, primum vtique se tenere ex parte Dei, vt causæ propriæ, scilicet *miracula*, quibus Deus S. Thomæ Pietatis opera nobilitare voluit, secundum vero se tenere ex parte S. Thomæ, scilicet *Certissimam Christianæ Regulam Doctrinæ, qua Sanctus Doctor* (Audi) *Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit*. Manifestè igitur ea verba, (*certissima Christianæ Regula Doctrinæ*) ex parte S. Thomæ accipienda sunt.

Respondeo certum videri præcitata verba Pij V. (*certissima Christianæ Regula Doctrinæ*) non posse accipi nisi ex parte S. Thomæ canonizati à Ioanne XXII. non vero ex parte Ioannis XXII. Canonizantis eundem, siuè postea sic adaptentur, vt certissima Regula Doctrinæ Christianæ dicatur ipsa Doctrina San. Thomæ, qua Apostolicam illustrauit Ecclesiam, siue dicatur ipsa Methodus, qua in docendo peculiariter nixus S. Thomas Apostolicam illustrauit Ecclesiam. Cum enim in præcitatis verbis B. Pius V. manifestè loquatur de duobus testimonijs, quibus Ioannes XXII *adductus est* ad decernendam, cum dicto Festo, *eiusdem Sancti Doctoris assumptionem in Cælum*, eo modo hæc duo testimonia à Pio V. subiuncta interpretanda sunt, quo modo ipsemet Ioannes XXII. in Canonizationis Bulla professus est se ex eodem duplici testimonio adductũ esse. At ipse Ioannes XXII. in eadem Canonizationis Bulla, ferè vsque ad medium Bullæ pro altero quidem testimonio fusè collaudat *Doctrinam admirationem merito exhibentem*, tum ab ætate, qua incepit docere Parisijs, tum à themate, quod assumpsit inspiratum diuinitus, tum à multitudine tot librorum, quos scripsit, & quos Pontifex vocat *Opera Dei ad Dei laudem, Fideique dilatationem non absque speciali Dei infusione perfecta*, tum ex modo proficiendi in eadem Doctrina *Oratione magis quam studio*, neque vnquam superbiendi de eadem, tum ex perseuerantia in Sanctitate Doctrinæ eiusdem exponendo Cantica Canticorum in fine Vitæ, tum demum, ac super omnia, ex Methodo peculiari Doctrinæ Sancti Doctoris, dum (inquit Pontifex) *Omnem suam verbo, vel scripto Doctrinam, ad eiusdem Ecclesiæ, Fidei normam, fideli deuotione reduxit*: Hæc de primo testimonio. Indè pro altero testimonio, post medium Bullæ à versu illo, *Verum &c.* incipit Summus Pontifex Ioannes XXII. per ordinem præcipua eiusdem miracula recensere, vt ibidem cuilibet legenti patebit. Similiter igitur de hoc etiam duplici testimonio accipienda sunt verba Pij V. dicentis (*& miraculorum signis, quibus &c. & certissima Christianæ Regula Doctrinæ, qua Sanctus Doctor apostolicam illustrauit Ecclesiam, adductum fuisse felicis recordationis Ioannem XXII. &c*, scilicet pro altero testimonio ex miraculis, pro altero ex *certissima Christianæ Regula Doctrinæ*, qua nixus in docendo S. Thomas, seù qua doctrina sua idem Sanctus Doctor Apostolicam illustrauit Ecclesiam.

Secundò, nam idem Pius V, antequam subdat Ioannem XXII. ex hoc duplici testimonio seù motiuo adductum esse, immediatè antè præmittit hæc verba, vt retulimus: *Angelici Doctoris in Cælum assumptio multis antè annis Orbi terrarum & diuinis, & proprijs* (nota) *est comprobata testimonijs*, & postea continuo id explicaturus duo illa testimonia subiungit, quibus Ioannes XXII. adductus est, scilicet *ex miraculorum signis &c.* & *certissima Christianæ doctrinæ Regula &c.*

Constat

Constat autem primum, scilicet miraculorum, signa potius esse testimonium *diuinum*, quam proprium S. Thomæ. Igitur remanet secundum, scilicet ly *certissima christiana regula doctrinæ*, pro altero accipi *testimonio proprio* S. Thomæ, & consequenter, vt diximus, se habente ex parte S. Thomæ; quemadmodum peracutè præuidit, & indicauit discursum hunc noster Magister Ignatius Galuan (non quidem à me visus, sed citatus ab Alua, atque ab eo perperam intellectus) tomo 1. libro 2. cap. 9. difficul. 4. fol. 467. dicens: *S. Thomæ in Cælum assumptio (sicut ait Pius V, cuius verba paucis explicabimus) & diuinis & proprijs est comprobata testimonijs. Diuinis quidem, vt ipse ait, quia Dominus miraculorum signis Sancti Doctoris opera nobilitauit: proptijs vero, quia certissima christiana regula doctrinæ idem Sanctus Doctor apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit:* Hæc ille.

Tertiò, probatur intentum contrà interpretationem Aluæ in tertia obiectione recitatam; nam eo secundo testimonio, quod dicitur à B. Pio V. *certissima christiana regula doctrinæ*, eo, inquam, adductus est Ioannes XXII. ad consecrandum simul S. Thomam, & in eadem Consecrationis Bulla ad præcipiendū eius diem Festum nonis Martij, vt recitat idem Pius V. hic. At nemo prudens affirmabit Ioannem XXII. ex Bulla consecrationis, seù canonizationis adductum esse ad consecrandum, seù, vt vocant, ad canonizandum San. Thomam, vt de se constat. Nemo igitur prudens affirmare potest (vt tamen insipienter affirmat Alua) secundum testimonium, quod dicitur à B. Pio V. *certissima christiana regula doctrinæ*, Bullam esse consecrationis, seu canonizationis S. Thomæ.

Quartò ad idem, vt discurrit etiam Martinus noster Harney Epistola apologetica in Aluam pag. 11. Verba Beati Pij V. sunt hæc: *certissima christiana regula doctrina, qua Sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit*. At certum est Sanctum Doctorem, neque hæreses confutasse, neque Ecclesiam illustrasse per eam Bullam, qua quadraginta nouem post sui mortem annis à Ioanne XXII. inter Sanctos relatus est. Certum igitur est hanc Bullam non esse illam *certissimam christiana regulam doctrinæ*, qua Sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit, & de qua recitata verba Beati Pij V. procedebant.

Quintò, non minus facile est splendidæ falsitatis conuincere interpretationem Dermitij Thadæi relatam, ac reprobatam similiter à Ioanne de Sancto Thoma, nimirum *certissimam illam christiana regulam doctrinæ esse Regulam Fidei continentem Scripturam, traditiones Ecclesiæ, auctoritatem, & potestatem ad canonizandum &c.* Non minus, inquam, facile est, & istam interpretationem sic reprobare cum Ioanne à San. Thoma, *quia non ex hac regula mouetur, seù adducitur Summus Pontifex ad canonizandum, sed iuxta hanc regulam, bene mouetur ex motiuis, quæ ad ipsum Sanctum canonizandum pertinent, vti ex parte D. Thomæ fuerunt miracula, & excellentissima Doctrina, qua ipse illustrauit Ecclesiam*. At B. Pius V expressè loquitur solum de ea Regula, qua adductus est Summus Pontifex, & motus, ad Canonizandum San. Thomam, & qua S. Thomas illustrauit Ecclesiam. Non igitur loquitur de ea Regula continente scripturas, traditiones &c. iuxtà quam, non ex qua, summus Pontifex motus fuit, immo potius loquitur, post miracula, de Regula Excellentissimæ Doctrinæ, qua tum Summus Ponti-

fex ad canonizandum adductus est, tum S. Doctor Thomas Aquinas apostolicam illustrauit Ecclesiam.

Sextò, hinc deducit (pro sua peculiari interpretatione) hunc alterum syllogismum idem Ioannes à S. Thoma noster ibidem aiendo. *Ex regula dicitur S. Thomas à B. Pio V. illustraße Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus. Non illustrauit autem Ecclesiam, nec confutauit hæreses, nisi doctrina sua. Istam ergo, & non aliud, vocat Summus Pontifex Pius V. certissimam regulam doctrinæ christianæ*; & hinc etiam, vt subdit infra mox idem Ioannes à S. Thoma, *non dixit B. Pius V. regulam Fidei, sed doctrinæ regulam; quia inter doctrinas voluit illam summus Pontifex, vt certissimam commendare*. Hæc Ioannes à S. Thoma in hac interpretatione conueniens cum nobili altero Scriptore, non nostro, sed extero, scilicet Cabrera tomo 3. in 3. p. præfatione de Sacramentis; quæ si Petrus à Valleclausa animaduertisset, non pronunciasset §. 4. & 8. *à Cyriacis* seù Dominicanis *asseri doctrinam S. Thomæ esse Regulam Fidei*, *idque dicere Cyriacos, ac committere scriptis*, cum tamen nec scripta referat, nec Auctores.

Septimò itaque. Ad hoc apposite, vt hic vel alij huiusmodi videant, quam longè distent hæc duo, *Regula Fidei*, ex vna parte, *ac doctrinæ christianæ regula* ex alia, præstat audire eundem Ioannem à S. Thoma ar. 3. eiusdem disputationis 1. §. *pro huiusce &c.* sic differentem. *In doctrina*, inquit, *non proponuntur res credendæ, sed probandæ, doctrina enim est cognitio probatiua, non cognitio fidei. Et quia tam varia est, & complectitur scientiam ita amplam, non potest omnia tractare secundū æqualem certitudinem, sed quædam vt certa, plurima vt probabilia &c. Est rursus considerare in Doctrina, quæ probatiuo modo procedit, duo, scilicet attingentiam ipsam veritatis in se, & modum ipsum probandi, & discurrendi ad attingendam illam. Vt ergo Doctrina aliqua approbetur, non requiritur, quod ei attribuatur infallibilitas aliqua in veritate, sed sufficit, quod in modo procedendi, & probandi, verosimilius, & conuenientius procedat, ita vt non erret in quantum probatiua, & doctrinalis, hoc est in modo procedendi &c.* De Doctrina autem D. Thomæ (vt paulò inferius subdit) *Pius V. dicit esse certissimam Regulam christianæ Doctrinæ, non Fidei. Ergo inter christianas doctrinas hoc modo est excellentior*, vt ipse concludit, nempe, vt mox antè dixerat, in modo procedendi verosimilius, vt ea veluti regula in hoc ordine (regulata tamen per aliam superiorem in ordine superiori, scilicet per regulam fidei) Doctores Christiani in docendo tutissimè regulari possint. Hic planus & manifestus sensus est nostri sapientissimi Magistri Ioannis à S. Thoma, quo stante, non video, quomodo Alua (post nominatim adductum eundem Ioannem à S. Thoma) postmodum pag. 552. præpostere inferat apud nostros, *ipsa scripta S. Thomæ esse regulam certissimam totius christianæ Doctrinæ, ita vt loco Sacræ Scripturæ Canonicæ constituantur*. Non hoc sanè ex præcitata mox explicatione Ioannis à S. Thoma deducitur, immo penitus ex opposito reprobatur.

Ad primum igitur (quo vnico Petrus à Valleclausa vtebatur) quærerem prius, in quo sensu aduersarius ipse explicaret Gregorium Nazianzenū epist. 78. appellantem Basilium *Fidei Fulcimentum, Canonem veritatis*, vel Damascenum in Sermone de defunctis nominantem Athanasium, *Ecclesiæ Dei Fundamentum*, vel Nazianzenum iterum de Athanasio dicentem, *Ecclesiæ columen fuisse, vt ipsius dogmata pro Fidei Orthodoxæ lege haberentur?* Quæso te, non ne hæc vtique indicare videntur Doctrinam aliquam priuati alicuius Ecclesiæ Doctoris

dici

dici posse etiam *Fidei regulam*, quod tamen nostrorum nemo (vt vidimus) de doctrina San. Thomæ pronunciauit? Non ne his longè quid minus est, quo Ioannes noster de S. Thoma ex verbis B. Pij V. inferebat, Angelici Doctoris doctrinam, doctrinæ quidem Christianæ, non tamen fidei, regulam certissimā esse? Nonne (vt aiebat & alter noster Apologista) regula adhuc gemina est? altera regulans non regulata, altera regula regulans simul & regulara, quemadmodum primo modo se habent mensuræ inuariabiles curiæ, secundo modo mensuræ mercatorum, quæ si varientur, corriguntur ex illis? Nonne inde & Alua ipse hunc sibi domesticum (vt ipse Alua gloriatur Nodo 16. §. 1.) Petrum à Valleclausa id edocere potuisset hoc ipso Nodo 10. §. 1. distinguens tres regulas, *primam scilicet scripturam Sacram Veteris, & noui testamenti cum traditionibus Apostolicis, à qua regula regulatur doctrina catholica ab Ecclesia proposita. Inde ab ista iam surgit regulata secunda regula, id est doctrina Apostolica Romana, ad quā regulantur postea omnes doctrinæ Doctorum, & Sanctorum Ecclesiæ Patrum &c. Horum porro scripta sunt quasi tertia regula, qua nostra regulare debemus*: Hæc Alua. Cur ergo non sic & D. Thomæ Doctrina esse poterit regula mortua, non purè regulans, sed regulata (absque eo, quod loco scripturæ Canonicæ habeatur) nec quidem Fidei, sed Doctrinæ Christianæ, id est Doctorum Christianorum, eo opportunè modo, quo Doctrina Patrum Ecclesiæ dicitur etiam ab Alua regula Doctrinæ Scholasticorum? hæc si vidisset Petrus à Valleclausa, aut ingenuè Alua ad rem propositam adhibuisset, prudentius vtique, me quidem iudice, siluissent.

Ad secundum, vel puer, qui vix manum subduxerit ferulæ, iam comprehenderet ly *& certissima christiana regula doctrina*, in casu, quem vocant ablatiuum, coniungi cum ly *miraculorum signis* in eodem casu, non vero cum ly *inexhausta Dei Benignitas* in casu nominandi, vti ineptissime construebat Alua: nam sicut huius primi casus ablatiui correlatiua est interiecta periodus (*quibus serui sui Thomæ perpetua vera Pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas*), ita & secundi casus ablatiui correlatiua est altera hæc postrema periodus, *qua Sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit*, & sicut primus, ita & secundus vterque casus ablatiuus regitur per illud vnicum verbum *Ioannes Vigesimus secundus adductus est*. Audi, obsecro, Lector, an hæc nostra & nostrorum constructio germana sit, immo tam clara, vt tandem in eandem relabatur & Alua hoc eodem §. 1. pag. 553. dicens: *sequentia habent genuinum sensum, dicente summo Pontifice. Qua Sanctus Doctor, id est certissima illa regula* (audi) *Doctrina christianæ confutandæ hæreses Ecclesiam illustrauit*: hæc Alua immemor sui, ac in nostram relabens constructionem. Desinat ergo præsumere nostros idem Alua edocere grammaticam, qui eandem potius quo ad hoc ipsum verbum *doceo* prius addiscere debuisset, dum præfatione ad Lectorem propè finem (inter tot alias strebiligines) hoc verbum *doceo* datiuo coniungit, aduersus omnium Grammaticorum Syntaxes, dicens: *Professor Philosophiæ docet Lectoribus Iubilatis &c.* Hæc Latinissimi Aluæ Grammatica est.

Ad tertium, præclusa iam in 3. & 4. probatione nostra (immo & ex paulo ante recensitis Aluæ verbis) ea ineptissima altera interpretatione Aluæ, conuincitur, ne dum illa verba B. Pij V, *certissima christiana regula doctrina*, ex parte Angelici Præceptoris accipienda esse, verum etiam ex peculiari eiusdem Me-

thodo in docendo id peculiariter eiusdem Doctrinæ tributum esse, cum peculiariter in Bulla Canonizationis de eodem Sancto Doctore iam pronunciarit Ioannes XXII, *sapienter eundem Doctorem atque humiliter omnem suam verbo, vel scripto doctrinam ad eiusdem Ecclesiæ Fidei normam fideli deuotione reduxisse*; & similiter postea Vrbanus V. in ordine ad Augustinum, *cuius Vestigia*, inquit, *sequutus est*, & Orator in Synodo Tridentina in ordine ad reliquos vniuersim Patres de hac ipsa propria methodo velut peculiari titulo commendarit eiusdem Angelici Præceptoris doctrinam, neque de reliquo sit, quod iterum (post tot alibi scripta) in huiusmodi semper inuidiæ plenis comparationibus amplius immoremur.

Ad quartum iam satis res sensum apertum habet, scilicet & hæreses illas, quæ S. Thomam præcesserant, superstites postea scriptis D. Thomæ validè confutatas esse, non minus ac aliæ posteriores eiusdem vi ac veritate doctrinæ falsitatis conuictæ fuere, etsi post Victoriam adhuc aliquas, victas tamen, superuiuere videamus: alioquin hæc cauillatio Aluæ dirigeretur (vt noster Martinus Harney intorquebat) in id etiam, quod de Virgine Deipara canit Ecclesia, *Cunctas hæreses sola interemisti*, si semel ac victæ sunt, à terrarum Orbe desinere debuissent.

ARTICVLVS II.

An veraciter etiam ex Clemente Octauo approbatio Doctrinæ Sancti Thomæ referatur.

VIdetur negandum esse eidem Petro de Alua nodo 11. §. 1. Nam (inquit, pag. 580) *Pater de Aubermont affirmat etiam Clementem VIII. dixisse de ea Doctrina S. Thomæ ea verba* (*certissima christianæ Regula Doctrinæ*) dum sic alloquitur S. Thomam in eiusdem Oratione Encomiastica, vt fusius retulerat anteà Alua nodo 10. §. 3. *Euge Angele mi &c. Diuinum tuum Eloquium & Cælestis Doctrina, hoc eruditioni tuæ elogium statuit Clemens Octauus, certissima Christianæ doctrinæ est Regula.* Ita ille. *Hæc autem*, subdit hic Alua, *fuisse absque vlla veritate dicta, ex ipsis positiuis Originalibus Clementis Octaui ostendi potest*, cum immo ea verba Pij V. fuerint, quemadmodum antea visum est. Non veraciter igitur ex Clemente VIII. approbatio doctrinæ S. Thomæ recenseri solet.

Secundo, vt loquitur pag. 576. [Altioris gradus est Bulla, quam Breue, tum in vi, tum in stylo, tum denique in modo procedendi à Summo Pontifice. Sed hæc rescripta Clementis VIII. non fuerunt Bullæ, sed Breuia sub Anulo Piscatoris exhibita, immo litteræ, siue Epistolæ missiuæ &c.] & tamen à Professoribus Salmanticensibus in Opusc. pro iuramento Salmantino *Bullæ* vocantur. Non ergo veraces iterum sunt in huius recitatione approbationis.

Tertiò, vt addit pag. 604. [In Epistolis, etiam Bullis, seu constitutionibus Summorum Pontificum quædam referuntur, quæ sunt motiua ad determinationem, quæ communiter dicuntur narratiuæ, & istæ nec sunt approbatæ, nec reprobatæ à Sede Apostolica; quia ibi posita, nisi aliàs constet ex alio capite, aut Bulla, fuisse approbata, sunt quasi allegationes partis, & congruentiæ pro gratia postulata obtinenda, quod ferè semper fit transcribendo ad litteram memoriale, seu supplicam factam à postulante, vt inde cognoscatur, an obten-

Digitized by Google

ta fuerint legitima, obreptitia, vel subreptitia. Hoc supposito (subdit) elogia relata hic ex Clemente VIII. continentur in narratiua Epistolarum, in quibus determinatio agit de Patronatu Neapolitano, & de istius cõfirmatione: Et tamen modo dicunt Discipuli S. Thomæ, propter illam narratiuam Pontificis, eiusdem S. Thomæ doctrinam esse approbatam.] Neque ergo in ista approbatione recensenda vllo modo veraces sunt.

Quartò, ad singularia descendendo id magis probare contendit pag. 577, exscribendo verba ipsa, quæ pro Patronatu San. Thomæ Deputati Ciuitatis Neapolitanæ Summo Pontifici scripserant, videlicet [Ciuitatem Neapolitanã iam diù summo studio concupiuisse, atq; exoptasse D. Thomam de Aquino diuinæ voluntatis Angelicum interpretem, Vitæ Sanctitate, miraculis, & eruditione insignem inter Vrbis tutelares patronos referre, vt præter Ianuarium, Athanasium &c. Huius autem optandi Patrocinij, præter causas, quæ cum alijs possent esse communes, illæ etiam accesserunt, quod ex hac ipsa Vrbe à nobilissima Aquinorum Familia Originem trahat &c. Quamobrem re communicata &c.] Ita ibi. Huic desiderio fauendo, subiungit inde Alua, rescripsit Summus Pontifex quandam Epistolam ad eosdem Deputatos &c. in qua inter alia sic dicit. [Proinde piè prudenterque cogitatis de nouo Ciuitati Patrono adsciscendo, ciuè vestro, Diuinæ voluntatis Angelico interprete &c.] En igitur elogium hoc solum ex parte postulantium in Narratiua refertur, non verò ab ipso Clemente VIII. asseritur, vel pro approbanda denuò S. Thomæ doctrina pronunciatur; & tamen passim elogium idem velut peculiare Clementis VIII. pro doctrina San. Thomæ recitatur. Nullo igitur modo, vel in hoc recensendo elogio, veracitas adfuit aut reperitur.

In oppositum tamen est, quod in Breuiario Ordinis reformato (vt iusserat anno 1602. ipse Clemens VIII.) ac reimpresso denuò ad annum 1631. cum Diplomate etiam Vrbani VIII. continente rursus præteritam approbationem eiusdem Clementis VIII. in die 8. S. Thomæ Lect. 3. 2. Nocturni sic legitur: [Clemens VIII. ad Neapolitanos, piè, ait, prudenterque cogitatis de nouo Ciuitatis patrono adsciscendo, Ciue vestro, diuinæ voluntatis Angelico Interprete, Vitæ sanctitate & miraculis claro, Thoma Aquinate. Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili Doctrina coniunctis, iure optimo debetur. Ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate sine vllo prorsus errore conscripsit.] Hæc ibi. Non sic autem ista elogia approbata fuissent, vt in publicas preces reducerentur, ac ederentur sub nomine eiusdem Clementis VIII. nisi res eadem veraciter ita fuisset. Ita fuisse igitur veraciter vtique reputandum est, quemadmodum & eodem tempore Clementis scribens expendebat hoc ipsum elogiũ Lemos tom. 3. par. 1. pagina 12. subdens id contigisse *cum magna illa de auxilijs gratiæ controuersia coram eodem Clemente Octauo tractaretur & attenderet Summus Pontifex studio assiduo Angelici Doctoris necessariam doctrinam esse.*

Respondeo sine dubio, ne dum à nostris, verum etiam ab exteris (quos recensere non vacat) veracissimè & istam approbationem Clementis VIII. pro doctrina S. Thomæ referri ac frequentissime laudari. Quandoquidem (vt à postrema exordiar atque à penultima Aluæ obiectione, quæ duæ dumtaxat

aliquam

aliquam saltem difficultatis speciem habere videbantur) postquam tum hic, tum alibi iam diù non sine labore quæsiueram, ex quonam Autographo vel transumpto ipsi Aluæ colligere licuisset ea verba Deputatorũ Ciuitatis Neapolitanæ, quæ in præsenti transcribit, & nos ex ipso postremo loco referebamus, contigit tandem offendere locum, ex quo ista sine dubio desumpsit, nempe decretum Deputatorum nomine Ciuitaris Neapolitanæ eligentium San. Thomam in Patronum &c. rogatum per publicum Notarium, & impressum etiam in actis Capituli nostri Generalis Ordinis Prædicatorum Romæ 1612. (quæ ipse Alua se vidisse fatetur, pag. 574.) & postea reimpressum quoque in Bolando tomo primo Martij ad diem septimum Martij in Analectis de Sancto Thoma numero 2. in quo Decreto apposite de verbo ad verbum vtique habentur ea omnia, quæ Alua transcribit, nec mutato apice, vt conferenti patebit, adeo vt non nisi ex hoc ipso Decreto (non ex alio, quod alioquin pertinax Æmulus authenticum exhibere teneretur) Aluam illa verba sumpsisse necesse sit. Hoc supposito sic nobis liceat ratiocinari. Decretum, in quo continentur verba recitata ab Alua, sic habet: *Omnibus innotescat hodie vigesima Mensis Ianuarij anni 1605. indictione 3. quod præsentes in Templo D. Dominici &c.* hic recensentur nominatim singuli Deputati Ciuitatis &c. *prædicti Deputati declarauere publicè hanc fidelissimam Ciuitatem Neapolitanam iam diù summo studio concupiuisse atque exoptasse D. Thomam de Aquino diuinæ voluntatis Angelicum interpretem &c.* Et pergunt de verbo ad verbum singula alia, quæ Alua transcribit. Breue autem primum Clementis 8. in quo legitur idem Elogium de D. Thoma *diuinæ voluntatis Angelico interprete* signatum est *sub die 22. Nouembris 1603. Pōtificatus eiusdem Clementis anno duodecimo*, vt similiter signatũ est & Breue secundum. Quomodo ergo duobus antea annis hic Summus Pontifex scribens verba prædicta, mutuatus esse eadem credendus est ex decreto posteriori (ex quo Alua transcribit) continente illa verba, sed scripto dumtaxat duos post annos elapsos? non video sanè qua possit ratione ab homine nisi amotæ mentis hoc scribi vel affirmari.

Vlterius, omisso nec elogia in prædicto Decreto contenta, & ab Alua transcripta, conuenire omnino in verbis eisdem cum eodem Elogio in Breui descripto, (vti conuenire debuissent, si ex illo transcripta in breuis Narratiua fuissent) adhuc in Breui secundo ad Proregem Neapolitanum signato sub eodem anno, Mense simul ac die, quo primum ad Deputatos similiter signabatur, iterum hoc aliud Elogium habetur: *D. Thoma diuino eloquio, & cælesti, doctrina miraculisque illa quidem illustris meritò apud remotissimas nationes summa christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ vtilitate, celebratur.* Constat autem nec vestigium horum verborum haberi in Decreto Neapolitano (ex quo Alua transcribit) nec in alio libello, quem ipse recenseat. Signum ergo est Summum Pontificem Clementem Octauum elogia huiusmodi pro Doctrina S. Thomæ contenta in suis Breuibus, aliundè narratiuè non deprompsisse, vt hic Alua fingebat.

Immo reputandum potius esse Deputatos Neapolitanos Elogia, quæ habēt in Decreto suo, mutuatos esse ex Breuibus Summi Pontificis, quam econuerso, colligere licet ex eo, quod in eodem suo Decreto ijdem Deputati recensent prædicta Breuiá Clementis his verbis: *Tandem Sanctissimus Dominus Clemens*

mens VIII. Pontifex maximus Ciuitatis precibus commotus, collaudato eius studio ac pietate, vt id faceret, Voti Compotem fecit, transmissis ad hanc fidelissimam Ciuitatem, ipsosque Deputatos, infrascriptis Apostolicis litteris in forma Breuis &c. Hæc ibi. Cur ergo non sic potius verisimile erit ex eisdem Breuibus hæc elogia Deputatos mutuatos esse, quam ex Deputatorum testimonio Pontificem?

Præterea, si transcribere elogia ex Deputatorum libello, seù Decreto Pontifex voluisset, id maximè potuisset, ac fieri conuenisset, in Breui tertio postremo confirmante electionem D. Thomæ in Patronum Ciuitatis, factam à Deputatis per idem prædictum Decretum, ex quo vtique Decreto in hoc Breui subsequenti ad illud, eadem elogia narratiuè recenseri potuissent. At nedum in hoc Breui postremo vllum elogium non legitur ex illis, quæ in dicto decreto (præter transcripta ab Alua) leguntur, verum etiam adduntur alia longe distincta, quorum nec verbum in eodem Neapolitano decreto reperitur, nimirum, inquit, Pontifex: *hic honor eius virtutibus cum admirabili Doctrina coniunctis iure optimo debetur: ac Doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore, in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine vllo prorsus errore conscripsit, in quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit &c.* Hæc Summus Pontifex in tertio Breui, quorum neque extimam speciem in eo decreto Neapolitano inuenire est. Signum igitur iterum euidentissimum est, huiusmodi elogia à Pontifice ex se, non narratiuè dumtaxat, pronunciata fuisse.

Rursus id apertè conuincunt verba eiusdem Summi Pontificis, tum ex tertio Breui mox recitata, *hic siquidem honor &c. debetur*, tum in secundo Breui dicentis: *Et nos ipsi Angelico huic Doctori, & nostro, & totius Christianæ Ecclesiæ nomine plurimum debemus &c.* Constat enim postremum elogium hoc (quod inter cætera maximum est *de debito Ecclesiæ* in D. Thomam ob vtilitatem ex doctrina eius, & ob *admirabilitatem doctrinæ* eiusdem) non narratiuè transcriptum aliunde fuisse, sed ex se (vt liquet ex verbis) à Pontifice scriptum esse. Falsum igitur omnino est elogia in Breuibus Clementis VIII. contenta narratiuè dumtaxat à Pontifice recenseri, vti vniuersim, & audacissimè asserebat Alua pag. 604. dicens *Omnia elogia relata hic ex Clemente Octauo contineri in narratiua quarundam Epistolarum &c.*

Nec deest ex alterius Pontificis Maximi Pauli V. Diplomate, horum omnium, quæ hucusque diximus, comprobatio. Nam simile memoriale Deputatorum eorundem ad honorem eiusdem S. Thomæ pro celebratione eiusdem Patronatus, vt ique transcriptum legitur in narratiua rescripti in forma Breuis editi à Paulo V. successore Clementis VIII. in hæc verba: *Aliàs postquam dilecti filij Deputati, & Electi Ciuitatis Neapolitanæ, præter Sanctos Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Seuerum, Eusebium, & Anellum dictæ Ciuitatis certos Patronos, etiam S. Thomam Ordinis Fratrum Prædicatorum Doctorem Angelicum, ex nobili Comitum de Aquino familia oriundum, cuius natalibus prædicta Ciuitas originem dedit, quique in nobili Regno Neapolitano, cum sanctitatis, & miraculorum gratia, tum Doctrinæ laude clarus extitit, dictis Sanctis Patronis laudabili Consilio adiungendum duxissent, felicis recordationis Clemens Papa VIII. Prædecessor noster dictorum Deputatorum, & Electorum pietatem & Consilium plurimum in Domino commendans, ele-*

ctionem

ctionem ab ipsis factam per suas in simili forma Breuis litteras Apostolica auctoritate cõfirmauit, & vt imposterum idem San. Thomas inter cæteros Ciuitatis præfatæ Sanctos Patronos connumeraretur, atque etiam ab Vniuerso Clero sæculari, & regulari vtriusque sexus cuiusuis Ordinis eiusdem Ciuitatis, Officium de ipso S. Thoma tamquam de Patrono publicè, & priuatim recitari deberet, perpetuo statuit, ac præcepit, ac anniuersarium diem translationis Brachij dicti B. Thomæ, ex Ecclesia Sancti Dominici ad Ecclesiam metropolitanam factæ, qui vigesimus mensis Ianuarij fuit, tamquam festum de præcepto, & duplici Officio in Ciuitate, & Diœcesi Neapolitana celebrandum esse ordinauit. Cumque subinde compertum fuisset sub eandem diem vigesimum Ianuarij festum diē Sancti Sebastiani Martyris cadere, qui pariter duplici Offitio celebratur, & ea propter eodem Die festum translationis huiusmodi modo præmisso celebrari non posse; Nos eorundem Deputatorum, & Electorum supplicationibus &c. Hæc ibi pro integra vtique narratiua consimilis memorialis porrecti ab eisdem Deputatis &c. Et tamen constat hucusque in isto memoriali nullum ex dictis elogijs etiamsi præcontentis in Breuibus Clementis VIII. prædictos Deputatos adhibuisse. Nec igitur credendum est Aluæ Deputatos eosdem in memoriali ad Clementem VIII. eadem elogia, antequam legerentur in Breuibus, proprio marte proponere voluisse.

Hinc demum non leuis (quam hic vltimo indicamus) ratiocinatio desumi potest. Dedecebat enim prudentes illos ac nobiles Ciuitatis Neapolitanæ Deputatos id suæ priuatæ auctoritati arrogare (præsertim in memoriali ad Pontificem) quod proprium Apostolicæ Sedis erat, nouis scilicet ac specialioribus titulis insignire aliquem præ cæteris Ecclesiæ Doctoribus, quod sanè munus esse Ecclesiæ indicauerat antea Sixtus V. in Bulla *tryumphantis* hęc scribens: *Catholica Ecclesia, quæ Cælestis Hyerusalem effigies est, vt Castrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis adhibenda, sacros illos Ordines diuino illustrata numine agnoscit, atque distinguit.* Id vero ijdem Deputati præstitissent profecto, si prius ipsi (ante Breuia emanata à Pontifice, in quibus istud elogium inceptum diximus) hoc peculiari, & eximio, anteaque inaudito titulo in libello supplici apud Pontificem insigniuissent S. Thomam præ cæteris appellando eundem *Angelicum diuinæ voluntatis Interpretem*. Dedecet igitur id præstitisse prudentes illos ac nobiles Ciuitatis Neapolitanæ Deputatos, & consequenter dedecet etiam eisdemque iniurium est (vt Alua præstitit) id comminisci: Adeo vt mirum vtique videatur primum, & vnicum Aluam hinc ausum esse vellicare & istam ex Clemente VIII. pro Doctrina Angelica approbationem, *contra quam* (vt obseruabat Basilius Pontius Augustinianus in Opusc. pro iuramento Salmantino) *nullus ex his, qui hoc tempore contra D. Thomam scripserunt, vt eius Doctrinæ detraherent, ausus est quidquam dicere &c. Non enim illam, vtpotè recentem ac veram, negare valebant.*

Ad primum igitur de Oratione habita in Belgio, Belga similiter noster Martinus Harney in sua Breui, sed forti epistola apologetica ad Aluam pag. 12. attestatus est in Oratione eadem ibidem impressa Patris de Aubermont, post illa verba *diuinum tuum eloquium & cælestis doctrina*, successisse immediate parenthesim interclusam sic (hoc eruditionis tuæ elogium statuit Clemens VIII.) qua parenthesi separantur ea priora verba Clementis à subsequentibus illis verbis, *certissima Christianæ doctrinæ est regula*, quæ Pij sunt, ita vt per inte-

rictam

riectā ab auctore parenthesim solum prima verba Clementi attribuantur non vero postrema, quæ ab Oratore tantummodo in explicatione priorum subiuncta fuere, eo modo (proportione seruata) quo ex Chrysostomo homilia 1. in Marcum ad illa verba capitis 1. Euangelij Marci (*sicut scriptum est in Esaia Profeta. Ecce mitto Angelum meum &c. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini &c.* eodem modo, inquam, Porphirio opponenti, ly *Ecce mitto Angelum meum*, non reperiri in Isaia, sed potius in Malachia, respondebat ex Chrysostomo noster Cano lib. 2. de locis Theologicis cap. 16. [illa verba, sicut scriptum est in Isaia, non referri ad omnia ea, quæ sequuntur, sed ad id tantum, Vox clamantis in deserto &c. Illa vero: Ecce mitto Angelum meum &c. tanquam de suo Euangelistā addidisse, quod facere iure potuit, quamuis eadem in alio Profeta reperiantur, maxime quoniam Euangelistæ illa verba, Ecce ego mittam Angelum meum &c. Verborum Isaiæ erant expositio quædam: Nihil ergo Marci derogat fidei, si Isaiæ testimonium, verbis eiusmodi adiectis, & exposuit & ornauit; nisi infidelis seruus est, qui apposito verborum ornatu heri sui munus amplificat. Hoc respondet Chrysostomus] & his nos Belgæ nostri recitata responsa roboramus.

Ad secundum, nolo hic de Bullæ vel Breuis nomenclatura funem ducere, cum & Apostolicę litterę, de quibus agimus, sicut sub annulo Piscatoris signatæ fuere, vt concedit Alua, ita & Bullatæ (latinissimè loquendo) non immerito ab illo auctore Augustiniano, non nostro, pro iuramento Salmantino, appellatæ sint; & vltro nil roboris desiderari in eisdem Apostolicis litteris ea verba postremi Breuis ostendunt: *Sic perpetuo statuimus, ac præcipimus, ac mandamus: Sicque ab ipsis & alijs, ad quos spectat, obseruari debere, irritumque, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Ita Summus Pontifex ibi. Rursus & Apostolicæ litteræ tempore Augustini trāsmissæ in Africam à Romanis Pontificibus aduersus Pelagianos passim ab eodem Augustino, ac Prospero *rescripta* solent appellari, non Bullæ, nec tamen inde obest, quin Bullarū robore gauderent. Merito itaque sapientissimus noster Ioannes à S. Thoma disp. 1. sæpe laudata in p. p. ar. 2. §. *Ergo*, opportune concludit: [Clemens Octauus licet ad speciales personas loquatur, idest Neapolitanos, tamen ex potestate & authoritate loquitur, & vtendo iurisdictione, qua confirmat ea, quæ à Neapolitanis circa eligendum in Patronum S. Thomam, facta fuerant &c. sicut approbatio doctrinæ Augustini pro materia de gratia, non alio modo facta est, nisi commendando illam &c. & hoc per Epistolas scriptas ad peculiares personas, vt Cælestinus Papa ad Episcopos Galliæ, Hormisdas Papa ad Possessorem Episcopum, Ioannes II. ad Abienum Senatorem &c.] Hæc ille.

Ad tertium. Quidquid sit de alijs eiuscemodi motiuis, quæ ex memorialibus in narratiua Breuium transcribuntur; *nec approbantur, aut reprobantur*, vt aiebat Alua, ad minus de inaudito ac specialissimo titulo Doctoris præ alijs Ecclesiæ Doctoribus, vt ille fuisset (*Angelicus diuinæ voluntatis interpres*) id proculdubio permitti non potest, cum speciali hoc titulo approbare in Doctore doctrinas, non nisi Sedis Apostolicæ sit, approbantis ex consequenti & hunc titulum (si publicari simul cum suo Diplomate sinat) alioquin reprobatura, si attributus iniustè fuisset, ne ex huiusmodi insignis adeo tituli evulgatione so-

lemni in diplomate, populos in sequela doctrinæ Doctoris eundem titulum demerentis decipi nimis perniciose contingeret: & hoc præsertim, vbi accesserit laudantis Pontificis verbum, vt in re nostra laudatoria adfuissent & illa: *Piè prudenterque cogitatis de nouo Ciuitatis Patrono adsciscendo ciue vestro diuinæ voluntatis Angelico interprete*. Verum nos istis responsionibus non indigemus, cum iam viderimus huiusmodi elogia, non aliunde ex postulantium supplici libello transcripta, sed ex se à Pontifice ipso pronunciata fuisse.

Ad quartum, iam video cur hoc ex Clemente encomium D. Thomæ, scilicet *esse diuinæ voluntatis Angelicum interpretem*, ita Aluæ displiceat, quia nimirum *saculi sapientia* ex aduerso, vt Tertullianus aiebat de præscriptionibus cap. 6, *Temeraria interpres est diuinæ naturæ & dispositionis*. Sed cur, quæso, subticuit Alua ex quo loco illa Deputatorum verba deprompserit? cur decreto (ex quo transcripsit vt vidimus) caput obtruncauit ac membra, vt veritatis dilaniatæ facies absconderetur; immo nesciretur per duos ex integro annos à priori illo ac secundo Breui Pontificis, decretum illud ac in eo repetitum elogium longe successisse posterius. Cur ergo tot ipse delendo (vt Tertullianus aiebat in Marcionem lib. 4. *non parcit nisi eis, quæ non minus aliter interpretando quam delendo subuertit? miserebor tamen tui Marcion*: (dicam ego, tui Alua, qui ex eadem relatione conuinceris) *frustra laborasti; Christus in Euangelio tuo meus est*.

QVÆSTIO OCTAVA.

De approbatione ex diplomate Pauli V. & Alexandri VII.

SOli *Epistolæ Apostoli ad Philemonem* (aiebat Tertullianus libro 5. in Marcionem) *soli huic Epistolæ breuitas sua profuit, vt falsarias manus Marcionis euaderet*: Ita & solis duabus istis approbationibus doctrinæ S. Thomæ sua breuitas profuit, vel saltem antea profuerat, vt in prima editione Aluæ ferme eiusdem manus euaderent. Verum in secunda editione non sic, dum Marcione peior vtramque etiam istarum aggressus non desijt aucupari hinc inde vel leuissimas obiectiones, vt intactas ad minus easdem non derelinqueret, vt appareret eundem hoc loco imitatum esse eos, qui (quemadmodum loquitur Beda lib. 4. cap. 48. in cap. 11. Lucæ) *vel negare, vel quæ negare nequeunt, sinistra interpretatione peruertere laborarunt*. Nos itaque & istas duas, iuxta temporum ordinem, postremo hoc loco ab eisdem obiectionibus Aluæ nunc iure merito assumimus vindicandas.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Paulus V. similiter in Breui ad Neapolitanos approbauerit S. Thomæ doctrinam.

VIdetur negandum esse eidem Petro de Alua nodo 12. §. 1. & sequentibus. Primo quia illa, quæ ab initio in narratiua Breuis referuntur, perperam attribuuntur Pontifici velut pronunciata ab eodem. At elogium hoc D. Thomæ contentum in Breui Pauli V. ad Neapolitanos statim ab initio Breuis habetur, & vt loquitur Alua in 2. editione (qua ipse vtor) pag. 604,

conti-

contineatur in narratiua Epistolarum, in quibus postea determinatio Pauli V. agit de Confirmatione Patronatus &c. idemque vrget iterum infra idem Alua in hoc nodo 12. §. 3. pag. 616. Male igitur elogium hoc Paulo V. attribuitur velut pronunciatum ab eodem.

Secundò, quia in Ecclesia hac nostra militante præliari aliquem Catholicũ Doctorem aduersus hæreticos, commune est cuicumque Catholico Doctori, quemadmodum & cuicumque Catholicæ cuiuscumq; Doctoris doctrinæ commune est deseruire pro Clypeo aduersus tela hæreticorum, nec consequenter aliquem hoc titulo laudari aliquid maius est, quam si gregarius miles de pugna vel Clypeo in hostes adhibito laudaretur. At, dato elogium hoc à Paulo V. pronunciatum esse, hoc tandem nil aliud est, quam San. Thomam in militante Ecclesia Catholicæ doctrinæ Clypeo, aduersus hæreticos pugnauisse. Nil igitur continet hoc amplius, quam commune aliquid cuicumque Catholicorum Doctori doctrinam Catholicam in hæreticos adhibenti, vt in re infert hic Alua pag. 606. post recitata verba Pontificis Pauli V. subinquirens. *Vbi sit hac approbatio doctrinæ S. Thomæ?* Et pag. 608. iterum subdens: *Restat nunc ostendere qualiter hac approbatio fabricata etiam fuerit, sicut omnes antecedentes, ad æmulationem &c.*

Tertio (vt inde prosequitur pagina 616) ad summum huiusmodi elogio, à *Summo Pontifice fuisset approbata illa doctrina seu scripta* (sic loquitur Alua) *quæ in S. Thoma militant immediate contra hæreticos, vt est illud contra gentes, contra Guilielmum de S. Amore &c. Quomodo ergo dicitur, quod omnis doctrina S. Thomæ est approbata, & omnia scripta eiusdem auctoritate Apostolica confirmata, siue contra hæreticos, siue contra Catholicos, siue dogmatica, siue scholastica sint, quia Summus Pontifex indefinite & in plurali dixit. Cuius scriptorum Clypeo &c. Vnde inquiunt omnia scripta eius sunt Clypei militantis Ecclesiæ &c.* & mox infra, *nescio*, inquit Alua, *vnde talis illatio sit legitima; aut rationalis: Scripta S. Thomæ sunt pro Clypeo Ecclesiæ militantis; ergo omnia eius scripta sunt confirmata & approbata auctoritate Apostolica &c.* Hæc Alua eousque progressus, vt pag. 618. etiam asserere non dubitarit, doctrinam quandam S. Thomæ propriam seu Thomistarum (quam censura notare prohibent in speciali iteratæ Bullæ Pontificum, & pro qua eidem Aluæ iam nostri alij Apologistæ responderunt) non dubitauit, inquam, asserere mediante hac doctrina, nedum non posse repelli *tela hæreticorum*, verum potius *de Catholicis vomentibus enses sibi hæreticos confecisse.*

In oppositum tamen est, quod laudatissimus à nostris simul & exteris, noster ille homo Ioannes à S. Thoma disp. 1. prolegomena in p. p. ar. 2. post recitatam inter testimonia Apostolicæ Sedis postremò loco præsentem approbationem ex Breui Pauli V; continuo subiungit: *Laudes tantæ sunt tamque perspicuæ, vt nulla indigeant declaratione aut ponderatione, nec ab aliquo authore contra illas quidquam obijci sciam.* Non exigua vero audacia est vnum ac primum de triuio scriptorem obijcere ausum esse in eam approbationem, in quam nullus alter antea scriptor maioris longe authoritatis ac nominis hucusque obijcere ausus sit. Non exigua igitur in re proposita Aluæ audacia fuit.

Respondeo vtique in Breui etiam Summi Pontificis Pauli V. ad Neapolitanos edito sub 17. Decembris 1607. splendidè approbatam fuisse Angelici Præceptoris doctrinam. Sic enim ibidem Pontifex laudando eandem exor-

diebatur ac loquebatur: *Splendidissimi Catholicæ fidei athletæ B. Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum Clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit, honores & venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus, & ijs, quæ ad illius honorem deuote sancita sunt, vt firma & illibata permaneãt, libenter Apostolicæ firmitatis robur adijcimus*. Hæc Summus Pontifex. Quis vero non videt (nisi cæcutire velit, aut alios cæcutire desideret) hic à Pontifice laudari in S. Thomæ doctrina, tum lucentia arma veritatis in ly *Spendidissimi Athleta &c.* tum memorandas euictæ falsitatis strages in ly *scriptorum Clijpeo hæreticorum tela feliciter elidit*, tum honorificos semper in Ecclesia etiam militante tryumphos in ly *honores ac venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus*? Quis non percipit inde (vt Grauina adaptabat lib. 2. Cherubin Paradisi cap. 4.) hic repeti posse ea verba Augustini in psalmum quintum decimum? *Lucida est hæc doctrina illuminans oculum, desiderabilia continens super aurum & lapidem pretiosum multum, tamen multum hoc, hæretico parum est, qui ea ipsum non vult, recusat, recalcitrat, & aspernatur*.

Sic expendamus itaque nos primam huius elogij particulam, scilicet *splendidissimi Athletæ &c.* Et si plures adsint in Ecclesia militante Doctores etiam Scholastici aduersus hostes fidei dimicantes, cum tamen eadem sit, *vt castrorum acies ordinata*, credendum est censuisse eum cæterorum omnium pugnantium ordini præferendum, quem omnium *spendidissimum Athletam* recognoscit ac prædicat. Recognoscit autem S. Thomam, cæterorum omnium *splendidissimum Athletam*, & vt talem in hoc elogio deprædicat. Eundem ergo cæterorum pugnantium ordini præferendum esse, de eiusdem sensu, reputandum est; sicut aiebat opportune Hieronymus Epistola ad Rusticum: *in quouis grandi exercitu vnius signum deputatur*. Anne hæc exigua videri potest Angelicæ S. Thomæ doctrinæ approbatio?

Nec minorem approbationis vim habent ea verba subiuncta, *cuius scriptoris in Clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit*. Differebat enim à scuto Clypeus, vt monet Lipsius lib. 3. de militia Romana dialogo 2. ex illo Liuij lib. 7. *Clypeis antea Romani vsi sunt, deinde postquam stipendiarij facti sunt, scuta pro Clypeis fecere*, quemadmodum distinguit quoque Plutarchus in Romulo, atque in eo vnice differebat, quod Clypeus rotundo ambitu totum obtegebat corpus, vt Virgilius significat Æneidum 2. *Clypeique sub orbe teguntur*. *Cum ergo D. Thomæ scripta Clypeum Ecclesiæ appellat Paulus V.* (inquit & subinfert noster Galuan tomo 1. lib. 2. cap. 12.) *quid aliud significat, nisi totam ex integro Ecclesiam ijsdem celari, ijsdem tegi, ijsdem se ab hæreticorum vulneribus vendicare?*

Rursus alicuius nomini post mortem erigere Clypeum supremus semper honor creditus est, vnde Trebellius Polio in Claudio, *cuius*, inquit, [vita probitas & omnia, quæ in Republica gessit, tantam posteris famam dedere, vt Senatus Populusque Romanus nouis eum honoribus post mortem affecerit: Illi Clypeus aureus, vel vt Grammatici loquuntur, Clypeum aureum Senatus totius iudicio in Romana Curia collocatum est:] Et Iulius Capitolinus in Antonino Pio, *Alijs*, inquit, *honoribus refutatis, Clypeum Adriano magnificentissimum posuit*. Cum igitur hic Apostolica Sedes pro Emblemate doctrinæ San. Thomæ (quam Ecclesiæ Clypeum appellauit) in eiusdem honoris titulum. *Clypeum* veluti erigere visa sit, quid mirum in eodem Breui, illa verba, *eiusdem*

honores

Digitized by Google

honores ac venerationem magis magisque in dies augeri plurimum in Dominum gaudemus, in hoc eodem sensu à Pontifice subiuncta esse?

Quia vero præuidebat hic idem Pontifex adfuturos aliquos, qui honori S. Thomæ inuidentes, tum anteriores, tum istam denuo doctrinæ Angelicæ approbationem deijcere conarentur, eo consimili modo appositè, quo Philo Iudæus in Legatione ad Caium aiebat, *Taceo deletos à furentibus eodem incendio honores Romanorum Principum*, *Clypeos &c.* Ideo quis non percipit & huic malo prouisurum Pontificem (quod solus noluit aduertere Alua, vt hoc facinus aggrederetur demoliendi singula in San. Thomam Apostolicæ Sedis elogia) quis, inquam, non percipit huic malo prouisurum Pontificem his opportunissimè verbis hoc præsens encomium pro cæteris etiam elogijs conclusisse? *& ijs, quæ ad illius honorem deuote sancita sunt, vt firma & illibata permaneant, libenter Apostolicæ firmitatis robur adijcimus*?

Sane, si magna non est, immo inter maximas, hæc doctrinæ S. Thomæ approbatio, non video qualis sit, immo an non minima videatur illa altera, quam maximam inter tot cæteras (quas ipsi potius laudaremus) pro D. Bonauentura reputauit Alua nodo 5. §. 2. recensens ex Parisiensi Anonymo authore Apologiæ aduersus Ioannem de Montesono, *Bonauenturæ opera pro causa fidei in Archiuo Papæ esse recondita tanquam fidei catholicæ vtilia*, ac inde post ista verba subiungens: *Quid dicerent authores Dominicani, si simile inuenirent elogium pro operibus sui Angelici Doctoris*? Hæc Alua. Cum tamen me pigeat vel id conferre cum præcitato elogio Pontificis, vel insulsis adeo comparationibus detineri.

Claudat tantum, quæ hucusque diximus pro hoc elogio aduersus Aluam, authoritas officij Ecclesiastici in octaua S. Thomæ in lectionibus secundi nocturni commemorantis, ac confirmantis hoc idem elogium, his verbis. *Nullus enarrare sufficeret, quot Sanctissimus Thomas Theologorum præconijs celebretur quantumque eius illibatæ doctrinæ à Summis Pontificibus fuerit acclamatum*, & post recitata aliorum elogia Pontificum, *Et Paulus V. Splendidissimi, inquit, Catholicæ fidei Athletæ B. Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum Clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit, honores, & venerationem, in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus &c.* Hæc ibi.

Ad primum igitur præter plurima mox antè allata in superiori Articulo hic proportionate adaptanda pro excludenda ea præpostera nimis, ac voluntaria interpretatione Aluæ, qua pleraque asserta ac pronunciata in Apostolicis litteris dumtaxat inserta recitatiuè à quolibet temere iudicari valerent, præstat modo animaduertere hic totius elogij verba anteriora in vna integra periodo regi, seu regulari per illas duas postremas clausulas, *honores & venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus, & ijs, quæ ad illius honorem deuotè sancita sunt, vt firma et illibata permaneant, libenter apostolicæ firmitatis robur adijcimus*. Has vero clausulas nemo, nisi delirus, suspicari poterit non esse assertiuè, aut esse dumtaxat recitatiuè à Pontifice pronunciatas, aut cuicunque alteri posse adaptari personæ. Fateatur igitur Alua, necesse est, aut alter quicunque cum illo, priorem illam seu primam Breuis periodum proœmium tantummodo esse Pontificis proprium, solumque deinde inchoari narratiuam eiusdem Breuis à Periodo illa posteriori immediate subiuncta; *Alias siquidem postquam Dilecti Filij Deputati &c*, vt verba conferenti patebit, adeout

adeout vel Aluam pudere debuisset tam pueriles has Nenias in excultas adeo Angelici Præceptoris laudes somniauisse.

Ad secundum, non communem, sed peculiarem hic panegyrim contineri, iam elogij particulas expendendo præuidimus, & licet Ignatius noster Galuan Hispanus (quem Alua recenset, & quem nobis hactenus videre non licuit) illam etiam Canticorum Allegoriam, *Mille Clypei pendent ex ea*, de Ecclesia vtique sed pro San. Thoma in præsenti interpretetur dicens: *Quodlibet ex scriptis D. Thomæ vnus est Ecclesiæ Clypeus, immo in quolibet plures Clypei reperiuntur. Quot Articulos Sanctus Doctor edidit, tot Ecclesiam Clypeis muniuit, cum omnis sermo Dei (vt loquitur sapiens) ignitus Clypeus sit.* Nobis tamen admittere licebit, ac libet immo laudare in Salomonica Ecclesiæ Turri pendentes cum Clypeis S.Thomæ, ne dum Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ, verum etiam aliorum quorundam Scholasticorum Clypeos, quibus militans Ecclesia (vt loquebatur Gregorius lib. 31. Moralium cap. 15.) *oppositos Clypeos rumpat, Disputationemque resistentium subijciat.* Verum, sicut & Stellæ *stantes in Ordine suo* olim pugnauisse dicuntur, ita & istos Doctorum Clypeos iuxta eorumdem præliantiũ ordinem distributos esse quis neget? quemadmodum allegoricè ac eleganter præindicabat Ezechiel cap. 27. dicens: *Lydij et Lybyes erant in exercitu tuo Viri bellatores tui: Clypeum, & Galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo: Filij Aradij cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed & Pygmei, qui erant in Turribus tuis, Pharetras suas suspenderunt in Muris tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Sic ad hunc sensum etiam ad illa verba Canticorum 4. *Collum tuum sicut Turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea*, de vno superiore ad reliquos Doctores ac Clypeos, Chaldaica versio sic legit: *Princeps scholæ, qui erat Magister vnus fortis in iustitia, & in doctrina Legis, in qua laborabat, & confidebat populus domus Israel &c.* Perstat igitur adhuc, quod de speciali Angelici Præceptoris laude dicebamus.

Ad tertium neque Alua miratus esset, totam, quota ac quanta est S. Thomæ doctrina, appellari *Ecclesiæ militantis Clypeum, quo Hæreticorũ tela feliciter elidit*, si aduertisset, aut quod in Bulla Canonizationis eiusdem S. Thomæ iamdiu Ioannes XXII. pronunciauit, *sapienter eundem Sanctum Doctorem atque humiliter omnem suam verbo, vel scripto doctrinam ad eiusdem Ecclesiæ fidei normam fideli deuotione reduxisse*, aut quod (omissis tot cæteris sæpè perpensis alibi eiusdem Doctrinæ prærogatiuis ac dotibus) ex proposito noster doctissimus ac Venerabilis Seraphinus à Porrecta integro aureo opere discurrendo per singulos Articulos Summæ Theologicæ S. Thomæ, demonstrauit in Praxi, singillatim ex singulis hæreticos aliquos in refutatis exindè erroribus palam de falsitate conuinci, & victrice manente vbique S. Thomæ Doctrina de fidei Hostibus Ecclesiam inde reportare tryumphos, vti in hoc Breui Vniuersim de scriptis S. Thomæ similiter Pontifex asserebat. Aluæ itaque de consequentia illa in argumento relata quærenti, respondendum est inniti eam tum vniuersalitati huius approbationis Pontificis, tum identitati eiusdem methodi prælaudatæ à Ioanne XXII, quibus similiter innitebatur consimilis D. Prosperi consequentia pro libris Augustini contra Collatorem concludentis (etiam pro nobis opportune) in hæc verba. *Agnoscant calumniatores superfluo se obijcere, quod his libris non speciale neque distinctum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus*

eadem norma laudatur. Apostolica enim Sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, & quod iudicio iungit, laude non diuidit.

ARTICVLVS II.

An iure exultent nostri de approbatione Doctrinæ S. Thomæ in Breui Alexandri Septimi ad Louanienses.

VIdetur negandum tum Honorato Fabri in suo libro apologetico Doctrinæ moralis(impresso Lugduni, & statim Romæ proscripto)pagina 141, tum Petro de Alna nodo 17, qui postremus est, §. 1 per integrum. Et ille quidem opponebat *Alexandrum VII. teste Patre Francisco Wanderche dixisse, nunquam se Breue illud vidisse*, nec nouit igitur Alexander VII. in illo Breui adesse verba laudatoria Doctrinæ S. Thomæ, nec consequenter intendere potuit approbare eandem.

Secundò, addit Alua pag. 727, in illa periodo Breuis (*de reliquo non dubitamus quin vos &c. præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis, inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, vt asseritis, ac impensè revereri velitis*), ly inconcussa tutissimaque Dogmata, inquit Alua, *sunt verba relata à summo Pontifice, pro vt proposita à Facultate Theologica Louaniensi, quæ professerat, abiurata Doctrina Iansiniana, se recipere Sedis Apostolicæ declarationes &c. & amplecti aduersus Orthodoxæ religionis hostes præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque Dogmata*, ideoque rescribendo Pontifex, ac eadem verba referendo, addit (*vt asseritis*) adeo *vt si voluisset ostendere non esse verba sua, sed proponentium, non potuisset clariùs ac apertius mentem suam indicare, quàm dicendo (vt asseritis) &c. Quare ergo*, (concludit Alua *vel quomodo eadem verba adscribuntur supremo Ecclesiæ Pastori?*

Tertiò, idem Alua pag. 728. expendit & subsequentia verba Breuis: *(quorum profectò sanctissimorum Virorum penes Catholicos vniuersos ingentia & omnem laudem supergressa nomina noui præconij commendatione planè non egent.) Ex qua responsione* Summi Pontificis ad Facultatem Louaniensem, inquit Alua, *duo euidenter colliguntur; vnum quod ipsi Louanienses peterent nouam approbationem doctrinæ S. S. Augustini, & Thomæ. Secundum, quod Summus Pontifex illam negauerit dicendo illa duo Ecclesiæ luminaria non egere noua commendatione:* Hæc Alua exinde immediate concludens. *Negare igitur nouam approbationem, vel saltem commendationem, fuit exæquare S. Thomam Augustino?* (vt legi præmiserat pag. 725 in elogijs S. Thomæ impressis Bruxellis anno 1663.) *fuit dicere omnia S. Thomæ Aquinatis scripta esse dogmata inconcussa, & tutissima?*

Quartò, sicut Fabri vbi supra ex testimonio eiusdem Patris Francisci Wanderche opponebat (*quod idem Alexander VII. subiunxerit, per ea verba nihil aliud intellexisse, nisi sententias dogmaticas ad fidem pertinentes ab Ecclesia definitas*), Ita & Alua hic pag. 727. eandem ferè repetit obiectionem dicens: [In istis duobus Doctoribus, sicut in alijs omnibus Catholicis, sunt dogmata, & problemata, seu in vtramque partem proponibilia, & disputabilia. (Et in S. Thoma, inquit, ferè omnia sunt problemata, propositiones interrogationem habentes &c.) Dogmata igitur tenemur sequi, quia sunt tutissima, & inconcussa, sed problemata &c. nec sunt, nec dicuntur dogmata inconcussa & tutissima.] Ita ille.

Quintò

Quintò tandem pag. 726. non desinit deridere verba impressa Bruxellis anno 1663. de hoc Breui Alexandri VII. sic se habentia (*Alexander VII. in Breui &c. S. Thomam D. Augustino exæquat*) & subinquerens, *vbi est æqualitas ista, cum Alexander non dicat Augustinum, & Thomam æquales esse? Respondent*, inquit, *quod inferatur necessario, cum affirmet vtriusque dogmata esse inconcussa, & tutissima. Ergo* (subinfert irridendo Alua) [omnes Scriptores catholici, qui habent inconcussa, tutissimaque dogmata, erunt æquales Augustino, & Thomæ. Sistamus (inquit) parumper hic. In Concilio Romano proposuit Gelasius Papa, quinam in Ecclesia Romana recipiebantur. Et incipiendo à Sacra Scriptura & OEcumenicis Concilijs descendit ad Sanctos Patres. Si inter istos fuisset nominatus San. Thomas, etiam dicerent Summum Pontificem & Concilium Romanum exæquasse Angelicum Doctorem omnibus Sanctis Cōcilijs & Scripturæ Sacræ. Si in Litanijs & precibus consuetis Ecclesiæ, in quibus quotidie, & æqualiter dicitur: Sancta Maria ora pro nobis. Sancte Petre ora pro nobis, Sancte Paule ora pro nobis &c. adderetur etiam seù diceretur; Sancte Thoma ora pro nobis: deducerent eandem consequentiam de Ecclesia exæquante S. Thomam Paulo, Petro, & Virgini.] Ita ludit hucusque Alua.

In oppositum tamen est, quod professores Louanienses præ omnibus, & super omnes instructissimi erant eorum, quæ ipsi scripserant, & quæ subinde in responsum à summo Pontifice receperunt; neque adeo imprudentes reputandi erant, aut leues, vt de eisdem receptis litteris magna exultationis solemnia celebrauissent ad honorem simul D. Augustini, ac S. Thomæ, nisi vtriusque simul Doctrinæ magna ibidem ac constans denuò approbatio emicuisset. At vero tam magna exultationis solemnia reipsa celebrauisse fatetur & Alua pag. 724, adeo vt relatio ipsa impressa Leodij die 17. Decembris 1660. iussu Vicarij Generalis ibidem sic exordiatur: *Publicum & ingens Louanij ante aliquot hebdomadas gaudium fuisse occasione litterarum Apostolicarum, tum ad Vniuersitatem, tum ad Facultatem theologicam missarum passim fama vulgauit &c.* Magnam igitur & constantem denuò in eisdem litteris approbationem Doctrinæ simul D. Augustini ac S. Thomæ emicuisse vel ab Alua & Fabri nolentibus admittendum est.

Respondeo adeò ingentem approbationem istam reuera fuisse, vt non sit mirum exinde præ cæteris tot inuidentium ictibus patuisse. Data enim cuicunq; quidlibet audendi licentia, ad minus & Alua fatetur Pontificis propria in responsione ea verba fuisse (*quorum profecto Sanctissimorum Virorum Augustini, ac Thomæ penes Catholicos vniuersos ingentia ac omnem laudem supergressa nomina, noui præconij commendatione planè non egent.*) At ea maxima laus est, qua nulla altera maior perhiberi potest, sicut proportionaliter ex profanis simul ac sacris, hic etiam est conceptus supremi entis, quo nullum aliud maius aut melius possibile est, seù excogitari potest. Si igitur ex relatis Pontificis verbis Augustini ac Thomæ nominibus nulla altera maior laus perhiberi potest, iam ex eisdem Pontificis verbis maxima in eisdem laus recognita est, & consequenter hæc maxima approbatio fuit.

Nec minus dici debet super omnes ea maxima laus seù approbatio, per quam antecedentes singulæ approbationes recognoscuntur vt iustæ, ac robur,

&

Digitized by Google

& firmitatem acquirunt. Sed per ista verba Alexander hoc nomine VII. recognouisse videtur vt iustas singulas præcedentes approbationes ac laudes, velut immo inferiores meritis commendati Doctoris, dicens; *apud Catholicos vniuersos ingentia Augustini ac Thomæ nomina omnem laudem supergressa esse*. Per ista igitur verba Alexander super omnes maximam laudem & approbationem Doctori Angelico impertitus est.

Nemo rursus ibit inficias illud præ omnibus elogium pro San. Thoma supremum esse, quo vno concesso dumtaxat ab imputato Thomistis excessu in extollendo suum Angelicum Præceptorem facillimè ijdem vindicari queunt. At dato hoc vnico Alexandri elogio, nimirum, *apud Catholicos vniuersos ingens S. Thomæ nomen* (sicut & Augustini) *omnem laudem supergressum esse*, quod idem est ac omni laude hucusque sibi attributa D. Thomam superiorem esse, iam vindicantur facillimè à sibi imputato excessu Thomistæ; Nemo igitur inficiari potest hoc Alexandri elogium pro S. Thoma præ omnibus supremum esse.

Nec solum id præstat elogium hoc, verum & vltro demonstrat, quam vani conatus sint æmulorum, aut impedire nitentium vlteriores S. Thomæ laudes aut conantium saltem simul habitas eneruare, quam vani, inquam, hi sint aut superuacanei hi æmulorum conatus ostendit hoc Alexandri elogium manifeste denuncians *ingens idem S. Thomæ nomen apud Catholicos vniuersos omnem laudem supergressum noui præconij commendatione non indigere*. Quanta autem ac qualis sit hæc laudis amplitudo & vtilitas, nemo non videt, qui lucem videat. Maxima igitur iterum elogij istius amplitudo & vtilitas erit.

Decreueram his meis dumtaxat ponderationibus contentus esse, cum vltro Martinus Harney in paucarum paginarum Epistola ad Aluam, sed magni roboris apologia, subministrat dignissima quædam ex Belgio (cum Belga sit ipse, ac licentiatus Louanij appositè commoretur) pro reuincendo manifestissimo illo mendatio Aluæ, nimirum duo illa epitheta (*Augustini, ac Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata*) contenta fuisse in epistola Louaniensium directa Pontifici die 20. Martij 1660, quam ab initio Breuis recenset Pontifex per idem Breue respondens eidem, ac (iuxta Aluam) duo prædicta epithera recitatiue, non assertiue, commemorans; hoc, inquam, mendacium Aluæ vt reuincatur, exscribo, quæ in laudata epistola impressa Bruxellis anno 1664. opportuna huic nostro instituto leguntur. Inquit igitur hic Belga noster. [Facultas Theologica Louaniensis in sua ad Pontificem epistola, dogmata San. Thomæ non vocauit inconcussa tutissimaque, neque, vt sic à Pontifice laudarentur, rogauit. Ergo qui illud elogium tribuit, est ipse Pontifex. Assumptum patet ex ipso epistolæ illius authentico exemplari, quod meis ipse oculis in libro sacræ Facultatis Louaniensis inspexi, ac perlegi, in quo illius appellationis nec vestigium quidem habetur.

Et certe quando Facultas theologica Louaniensis (vt dicit Alua folio 727) proposuerat Pontifici, quod vellent recipere Sedis Apostolicæ declarationes, & Augustini, ac Thomæ dogmata, quæ inconcussa tutissimaque (iuxta Aluam) dixissent, amplecti: & Pontifex illud Facultatis studium approbauit, ac laudauit: Si Pontifex iudicasset illa dogmata non esse tutissima; non recte ab ipso factum videretur; siquidem Facultatem circa rem tanti momenti non modo dubiam reliquisse, sed & Facultatis errorem (nam error fuisset) referendo

nec refutando, magis firmasse atque approbasse censeretur.

Dein Pontifex hic dicit, se (non dubitare quin pro singulari scientia pietatisque studio Augustini, & Thomæ dogmata, sequi semper & impense reuereri velint) facultatis theologicæ Regentes. Ergo quod aliqua Vniuersitas sequatur (dogmata Thomæ Aquinatis) res est iuxta mentem Summi Pontificis, ex (singulari scientiæ ac pietatis studio) profecta. Et hoc multum esset contra Aluam, etsi hoc solum Pontifex rescripsisset.

Præterea, si Facultas dixisset (inconcussa esse tutissimaque dogmata San. Thomæ) magnam valde à tam celebri Accademia approbationem haberent. Et bene notet Alua, quod tunc cum illa epistola scripta fuit, scilicet 20. Martij anno 1660, nullus Facultati interfuerit Doctor ex Ordine Prædicatorum. Verum, his prætermissis, assumptum præcipuum (quod videlicet Pontifex elogij illius verba nō referat narrando tantum ex epistola facultatis &c.) Mox ante euidenter probatum est.] Hæc ille Belga præter alia quædam, quæ in solutione argumentorum addenda, suo loco (ne aliena potius subripere videar, quam grato animo mutuari) laudato semper authoris nomine referemus.

Ad primum; quæ ibi referuntur puram, putamque æmulorum fabulam esse demonstrat Eruditissimus Enricus Noris Augustinianus in Augustinianis vindicijs pagina 196, cuius verba lector consulere poterit, & plane idem lector manifeste ex se ipso dignoscet ignotum illum Patrem Wanderche, seu potius Patrem Fabri in ea relatione sibimet contradicere, dum ex vna parte, inquit, Alexandrum dixisse, *se illud Breue non vidisse*, ex alia parte, *se per illa verba nihil aliud intellexisse nisi sententias dogmaticas &c.* si enim verba non vidit, quomodo id per ea verba intellexit? Verum, his prætermissis, nobis satis esse videtur exscribere responsionem pijssimi æque, ac laudatissimi Patris Gabrielis à S. Vincentio Carmelitæ Excalceati, (qui erat eo tempore Romæ, vbi & postea defunctus est) in opere postremo edito de remedijs ignorantiæ disp. 14. dubio 9. §. 3. num. 150. post eadem verba ex Patre Fabri recitata dicentis: [Non potest esse verum quod exeat aliquod Breue, quod annulo Piscatoris firmatur, & non videatur à Pontifice, nisi sit subreptitium aut obreptitium, vt erant illa, quæ sub Innocentio X. à Massambruno expediebantur, ob quod ab eodem Innocentio fuit morti traditus. Vnde Cardinalis Nerlius tunc temporis Secretarius Breuium dixit cuidam Viro grauissimo, quod hoc Breue ad Louanienses ipse composuit ex commissione dicti Alexandri VII. & quod Pontifex illud attente legit, & sigillum dedit, vt eo signaretur, & ad dictam Vniuersitatem Louaniensem mitteretur. Et iste Vir grauissimus sic tacto pectore testificatus est. Potest esse quod ille Pater Wanderche sequendo sententiam, quam etiam defendit idem Pater Fabri, vsus fuerit æquiuocatione, aut mentis restrictione, fingendo dictum Pontificis, & fictum dicendo &c. vide P. M. Capisuccum in sua Appendice, qui testatur vt supra.] Hæc ille Nobilis Scriptor de fuga prædicta, qua pleraque Pontificia decreta subterfugi ac temerari valerent: Hæc, inquam, conscripta ab eodem, dum noster Sapientissimus Capisuccus intra Ordinem remaneret, vbi incidēter hæc nostra transcriptori dictantes expedit admonere lectorem, quanti exinde ponderis præter laudatū Cardinalem Nerlium, & Capisucchi testimonium æstimandum sit, qui scilicet

meri-

meritissimus olim Sacri Palatij Magister, post tot annorum obsequia in Apostolicam Sedem regressus in Religionis quietem, superiorique animo recusatis sub Alexandro VII. & subsequente Pontifice infulis, gloriosius postea sub Clemente X. reuocatus in pristinam dignitatem, auitam antiquissimi sui generis nobilitatem celebrioribus sui ingenij fętibus augens, demum sub modo regnante Pontifice Maximo Innocentio XI. Eminentissimorum Purpuratorum cętui ampliori longe decoris, tum sui, tum religionis, fœnore adscriptus est.

Ad secundum, præterquamquod (vt testis ocularis Martinus Harney attestatus est, & simul alter Pater Iansens similiter Belga, & posterior Gallus apologista repetebat) *Nullo loco Epistolæ Louaniensium ea verba leguntur, vt quilibet poterit ibidem explorare ex authographo Epistolæ in acta Facultatis redactæ*; occurrit iterum idem Harney obiectioni de illa parenthesi (*vt asseritis*) hæc verba subdendo: (Ista parenthesis non est applicanda illis verbis, quibus ab Alua applicatur, scilicet *inconcussa tutissimaque*, sed istis applicanda est, *sequi semper velitis*. Dicit enim Pontifex. *Non dubitamus quin Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper (vt asseritis) ac impense reuereri velitis*. Ergo quod Facultas semper sequi vellet Augustini & Thomæ dogmata, hoc est, de quo Pontifex ait. (*vt asseritis*), aliud vero, quod illa dogmata *inconcussa tutissimaque* sint, supponit & dicit Pontifex ex suo sensu, additque etiam sine dubio ex sua animi sententia: *Quorum profecto Sanctissimorum virorum penes Catholicos Vniuersos ingentia & omnem laudem supergressa nomina noui præconij commendatione non egent*.) Hucusque Belga ille respondet.

Ad tertium ex modo perpensis idem scriptor occurrit dicens: *Est ne hoc doctrinam S. Thomæ non velle approbare?* nempe Pontificem ex suo sensu (vt vidimus) appellare *inconcussa tutissimaque dogmata S. Thomæ*, & vltro (quam mox adduximus & iam expendimus) omnium maximam approbationem adiungere? Eritne hoc negare petentibus approbationem? *Eritne* (subinquirit & Gabriel à S. Vincentio vbi supra) *parua laus ista, pro qua Vniuersitas Louaniensis adeo mota est, vt Missam solemnem celebraret cum interuentu omnium de Vniuersitate?* Si in his tam certis & obuijs Aluam mentiri non puduit, quæ quæso fides eidē in abditis magis habenda erit?

Ad quartum, similiter prælaudatus vterque respondit. Gabriel quidem à S. Vincentio sic repetit: [An Vniuersitas Louaniensis adeo mota esset, vt Missam solemnem celebraret &c. quod horum Doctorum doctrina dicta esset inconcussa & tutissima quo ad sententias dogmaticas ad fidem pertinentes ab Ecclesia definitas? Sententiæ dogmaticæ ad fidem pertinentes ab Ecclesia definitæ non sunt inconcussæ nec tutissimæ per hos Doctores, sed quia Deus reuelauit, ex diuina reuelatione, ex diuina veritate, quæ nec falli, nec fallere potest. Nec illa Vniuersitas sequitur dictos Doctores solum quo ad dogmata fidei, sed etiam quo ad omnia dogmata theologica, siue sint principia fidei, siue conclusiones.] De quibus per consequens & Louaniensium epistola, & responsio Pontificis procedebat: Hæc pijssimus æquè ac doctissimus ille Pater: nec minus apposité ad hominem Martinus Harney id intorquebat his verbis. *Causaris quod dogmata S. Thomæ sint inconcussa tutissimaque, non problemata &c. Sed quid intelligis per problemata? propositiones, inquis, interrogationes ha-*

bentes. At qui, P. Alua, in quæstionibus disputatis, in Quodlibeticis, in Commentarijs & in sententias, in summa theologica, omnes propositiones interrogationem habent: Adeoque, si tuæ explicationi consentimus, nulla sunt dogmata S. Thomæ, sed omnia à primo ad vltimum sunt problemata, atque ita illa, quæ Pontifex inconcußa dicit tutißimaque dogmata, in præcipuis eius operibus nullibi extarent. Ita iste deludit deridetque Aluam sine dubio ridendum. Et nos aduersus eandem præposteram Aluæ interpretationem adiungimus eam similitudinem Chrysostomi homilia 1. in Matthæum aientis: *Sicut si partem aliquam sumas ex latere animalis etiam in exigua portione cuncta inuenies, ex quibus totum constat animal, idest & carnem, & ossa, & neruos, & venas, & arterias, & sanguinem, & totius, vt ita dixerim, massæ vim atque naturam ex ipsius parte cognosces: Sic etiam in scripturis* (seu in Doctorum Ecclesiæ doctrinis) *in vnaquaque particula dictorum totius potes cernere affinitatem.*

Ad quintum, & si nostri non esset folium illud Bruxellis impressum ab Aluæ morsibus vindicare, cum neque nostrorum aliquem authorem ejusdem vel Alua asserere in præsenti præsumat; Cum tamen viderimus ex proposito supra q. 5. ar. 1. in quo sensu parilitas illa inter Augustinum ac Thomam (reuelata ab eodem Augustino) sustinenda sit, præstat hic etiam monere lectorem eam (quam ibi defendimus) æqualitatem vtique ex hoc vltro Alexandri elogio rationabiliter confirmari, non quia solum quocumque modo (vt crude nimis hic accipit Alua) Thomas Aquinas in Pontificis laude Augustino iungatur, sed quia (vbi diuisim tum in Concilio Romano diuersorum librorum encomia distributa leguntur, tum in Litanijs preces multiplicatæ repetuntur) hic iunctim simul tanquam vna vtriusque eademque dogmata *inconcussa tutissimaque* vocantur, iunctim simul vtriusque *ingentia nomina omnem laudem supergressa noui præconis commendatione non egere* dicuntur, adeo vt hic rursus ea D. Prosperi verba aduersus Collatorem repetere liceat: *eadem norma laudatur &c. & quod Apostolica Sedes iudicio iungit, laude non diuidit.* Hæ itaque sunt (vt claudamus hunc librum) singulæ pro doctrina Doctoris Angelici approbationes à singulis Aluæ obiectionibus (pro nostra saltem tenuitate) vendicatæ ac defensæ. Hæc sunt meritissima æque ac veracissima illius Angelici Doctoris encomia, quem vnum Lutherus ac socij deprimere conabantur (sicut Cardinalis Pallauicinus aduertit lib. 1. historiæ Concilij Tridentini cap. 4.) sed adeo irrito conatu, vt in eosdem tandem inclamare sufficeret. *O Canes, quos foras Apostolus expellebat, latrantes in Deum & veritatem: hæc sunt argumentationum ossa, quæ obroditis;* vti Tertullianus apposite secundo libro in Marcionem indignabundus aiebat.

Finis Libri Tertij in ordine totius Operis.

LIBER

LIBER QVARTVS

De Solutione obiectionum in Discipulos

DIVI THOMÆ.



Vemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata hydra (vt loquebatur Athanasius sermone 4. in Arianos) *sublatis prioribus serpentibus, alijsque pullulantibus contendebat, ita quoque isti* (proscriptorum librorum authores aduersus Angelicam S. Thomæ doctrinam) *deiecti ab illis, quæ obijciebant, alias reperiunt stultas controuersias, & quasi veritatem hostem habeant, comminiscuntur noua, quippe qui post tot refutationes, quibus vel Diabolus ipse reiectus confususque retro abijsset, hostili corde noua alia comminiscuntur. & his quidem admurmurant, istis vero insusurrant, alios rursum veluti culices bombo circumstrepant.* Inde post *vellicatum Ecclesiæ Doctorem* (vt subdebat Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 10.) *in nos machinas, & insidias instruunt, seque mutuo exhortantur ad ferendas suppetias, vt quisque peritia aut robore valet.* Succedit etenim post virulentum libellum Romæ proscriptum Petri de Alua aduersus singulas approbationes doctrinæ S. Thomæ, de quo in superiori libro iam diximus, alterum non minus damnatum opusculum alterius Petri à Valleclausa aduersus eiusdem Angelici Præceptoris Discipulos, quem posteriorem Petrū prior ille dicebat *notum sibi & amicum* extitisse nodo 16. §. 1. Quemadmodum itaque, vt aiebat Clemens Alexandrinus septimo stromatum, *Mures calathum arrodunt, cum non inueniant quod comedant*, Sic isti (iuxta Augustini verba epistola 137) *non habentes quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina demum colligere affectant, & ea ipsa plura falsissime iactant, vt quia veritatem obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quidquid in mentem venerit, possint.* Quicumque tamen hic sub hoc nomine latere voluerit, nec scire vel quærere cupimus vel debemus, cuius immo libentius institutum sic volumus ignorare, vt prodenti nobis fortasse vel eiusdem patriam, responderemus cum D. Chrysostomo homilia de Apostolo desertore: *Quid nobis eius patriam dicis? vtinam ipsum quoque nescire licuisset;* Interim solum remotis conuitijs (quod forsan aliqui non præstiterunt) sub moderamine inculpatæ tutelæ singulos nostros, quos nominatim recenset ac carpit (nisi forsan aliqui à nobis alia huius operis parte defensi sint) breuiori, qua poterimus, manu, temperatiorique calamo vindicabimus, clauturi de

cætero,

cætero, vbi neminem nostratum denuntiat aut nullum nominatim accusat (cū D. Basilio libro 1. in Eunomium:) *certas accusatorum personas in medium adducere dedecus sibi putauit: Nam si nuncupare aliquos potuisset, dixisset vtique & exclamasset*; aut vbi idem auctor solo suo dicto contentus aliqua de aliquibus comminiscitur, nec aliunde confirmat, responsuri cum eodem Basilio lib. 2. in eundem Eunomium: *Sicut in somniorum foro vel ebriosorum concione, vbi nullus audiat, aut intelligat quæ dicuntur, ita sufficere putas pro omni probatione, quod ipse dixeris, & magna cum licentia quasi lege sancis, quodcumque volueris*, vel tandem repertituri Augustini verba libr. 2. in Petilianum cap. 14. *hac si dicam de talibus esse dicta, quales vos estis, respondebis; proba. Quid vero tu probasti? aut si eo putas probari, quo dicuntur, non opus est eadem repetere. Recita illa ipsa tibi, & à nobis in vos. Ecce & ego probaui, si hoc est probare. Non ad nos pertinet quidquid dicitur. Non vidimus, non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Nimis etenim falsa* (vt concludit Athanasius Epistola ad Epictetum) *non sunt refellenda, ne habita fuisse credibiliora viderentur*.

QVÆSTIO PRIMA.

De Imputato Thomistis excessu in laudibus S. Thomæ, & suorum.

POst solutiones igitur obiectionum in singulas approbationes Doctrinæ Angelici Præceptoris, soluendæ nunc veniunt obiectiones in discipulos eiusdem, quas præ alijs prædictus auctor Diatribarum congessit, exhibens nostros velut omnium vitiorum coluuiem. Quia verò, vt habetur Ecclesiastici 10. *initium omnis peccati superbia*, idque Hieronymus in Marcum opportunè expendebat, ideò primò de imputato eisdem superbiæ excessu in laudibus San. Thomæ, & suorum, agendum est, ex quo cætera, quæ imputat vitia, successiuè idem Auctor Diatribarum deriuasse videtur. Secundò proinde de imputato eisdem contemptu Apostolicæ Sedis agendum erit, de quo ille Diatriba 2. Tertio de irreuerentia in Sanctos, de qua Diatriba 3, quarto de effræni libertate in scribendo errонеa, de qua Diatriba 4. quinto de leuitate in scribendo ineptias aut ignorantias, de qua Diatriba 5, sexto de infidelitate in scribendo mendacia, & imposturas, de qua Diatriba 6, septimo de maledicentia, maleuolentia, & inuidentia in exteros, de quibus Diatriba 7, 8. & 9. in qua tandem pharetram Calumniarum accusator hic Fratrum nostrorum exhaurit. Primo itaque, vt diximus, de Imputato excessu in laudibus S. Thomæ, & suorum, in hac 1. quæst. agendum est, & primo de excessu in laudem S. Thomæ, secundo de excessu in laudem Ordinis, suarumque rerum, quem secundum illi priori etiam auctor Diatribarum Diatriba 1. §. 4. connectit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Discipuli S. Thomæ excesserint in laudando Doctrinam S. Thomæ.

VIdetur, tum Aluæ passim, tum Auctori Diatribarum mox referendis, sic esse. Primò, quia vt refert Alua nodo 1. §. 1. pag. 89. quidam Pater Dominicanus in Summa Rudium edita Reutlinge anno 1487. in prologo aiebat, *S. Thomæ conclusiones alma Mater Ecclesia tamquam Spiritu Sancto inspirante*

Google

rante conscriptas approbauit, &, vt referre pergit idem Alua pag. 93; Pater Pellicanus Blesensis in sua noua editione Opusculorum S. Thomæ 1656. inquit, *huius Doctrina diuinitus infusa, quam ad fontem diuinitatis contemplando ascendens ebibit &c*, & ex pag. 95; Pater Hyacinthus Coquerius in Panegyri S. Thomæ addebat: *quid aliud S. Thomam libros Spiritu Sancto dictante conscribere? vt quidam, ac præsertim S. Bonauentura, conspexerunt*. Cum igitur neque Deus infundat falsitatem, neque Spiritus Veritatis inspiret nisi verum, indè consequitur prædictos asserere doctrinam S. Thomæ esse infallibiliter veram, non minùs ac Doctrina canonica Spiritu Sancto inspirante conscripta, in quo intollerabilis excessus est. Igitur excessisse prædictos in laudanda Doctrina S. Thomæ negari nequit.

Secundò, quia, ad idem inquit Auctor Diatribarum, Diatriba 1. §. 4, & Nicolaus Iansenius Ordinis Prædicatorum in Apologia pro Bzouio non dubitauit chartis inlinire *hunc virum Sanctissimum Thomam electum esse, cui tribueret Cælum Thesauros Sapientiæ Dei, & cui Spiritus Sanctus ad aurem insideret &c*, vndè referente Alua nodo 1. §. 1. pag 97, Pater Petrus Clerq in Oratione laudatoria San. Thomæ edita anno 1639. addidit, *quod S. Thomam Spiritus Sanctus, vidente S. Bonauentura Doctore Seraphico, in specie Columbæ edocuit*. Hæc autem ficta esse ab excessu Dominicanorum pro S. Thoma ambo oppositores ibidem inclamant. Igitur Dominicani, seù discipuli S. Thomæ iterum excesserunt.

Tertiò, quia ex hoc principio videntur Dominicani intulisse & illud mirabile passim decantatum ab ijsdem, *quod nimirum res omnino diuersas, vno tempore tribus, & quatuor amanuensibus quandoque dictaret*, eo quod scilicet, vt cum Gulielmo Thoco inquit Porrecta in vita S. Thomæ ad tertiam partem, *Deus simul eius intellectui diuersas veritates infundere videretur*, ac si & ipsi S. Thomæ adaptetur (vt reipsa adaptatur à Gonet Canone primo) quod olim scripserat Ambrosius de sacris Euangelij scriptoribus, *Diuino spiritu vbertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine vllo molimine cœpta compleuisse, sine conatu enim sunt donationes, & gratia Dei, quæ vbi se infunderit, ita irrigare consueuit, vt non egeat, sed redundet scriptoris ingenium*. Hoc autem incredibile pluribus visum est, & excedens. Excesserunt igitur in laudando Angelico Præceptore discipuli.

Quartò, excessus intollerabilis esse videtur asserere etiam à Doctore dormiente dictatam esse Doctrinam, quam vigilantiores cæteri vniuersi Doctores venerari teneantur, eidemque velut fasces submittere. At id asserunt S. Thomæ discipuli cum Gulielmo Thoco in vita S. Thomæ cap. 4. apud Porrectam approbantem, & ex prædicta infusione doctrinæ cum eodem Thoco inferentem: *Vndè quidam Scriptor suus Britho retulit, quod postquam dictauerat sibi, & duobus alijs scriptoribus, quos habebat, tamquam fessus præ labore dictandi, ponebat se pausationis gratia ad quietem, in qua etiam dormiendo dictabat, de cuius ore dormientis ea, quæ prædictus scriptor audiebat, redigebat in scriptis, continuando materiam, de qua ante scripserat*. Hæc Thocus in vita S. Thomæ par. 7. & Porrecta cum ipso. Igitur hic intollerabilis excessus est.

Quintò demum, quia inde, vt refert auctor Diatribarum Diatriba 1. §. 4. *S. Thomam quibusuis Patribus superiorem, & post Canonicos scriptores planè primum quidam curru lenibus typis delineatum effinxit*, & vt repetit Diatriba 3. §. 42. ex libro Dermitij Thadæi in Bzouio expostulato dicentis, *Audiui ego Virum sanè*

grauem,

grauem, instituti Dominicani, & alioquin Doctum, qui ita visionem Ezechielis explicarit in laudem S. Thomæ, vt quatuor animalia quatuor esse Ecclesiæ Doctores, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium intellexerit: in similitudinem vero hominis, quæ firmamento extaret, D. Thomam intelligi debere dixerit, tamquam altius in veritate inuestiganda progressum, maiorisque auctoritatis. Vidi & currum quemdam typis efformatum, in quo primum eum post Canonicos auctores locarunt, singulis Prælatum Patribus. In hoc autem excessisse subiungit, *non æquando solum sed præferendo S. Thomam Patribus, nec quibuscunque Patribus, sed primi Ordinis &c.* vt repetit etiam §.52. dicens Cyriacos *pleroſque non ſapere ad ſobrietatem profundendo voce ac ſcriptis laudationes inſulſas, quibus S. Thomas putidè extollitur ſuper omne, quod dicitur doctum.* Sine dubio igitur excessisse ex hoc præsertim principio de laudata doctrina S. Thomæ, velut ex infusione, concedendum est.

In oppositum tamen est expressa authoritas Ioannis XXII. in Bulla Canonizationis S. Thomæ, vbi præmittit de doctrina S. Thomæ, *Verissimè impletum fuisse illud Psalmi 103. Rigans montes de superioribus suis*, & postea recensitis plerisque scriptis, tum Philosophicis, tum Theologicis S. Thomæ, concludit ea *Non absque speciali Dei infusione perfecisse.* Sed hoc satis est, vt in vero sensu sustineri possit, & debeat, principium illud de infusione, ex quo Thomistæ culpantur de excessu in laudanda S. Thomæ Doctrina, vt mox ad singula obiecta patebit. Ergo non adhuc de excessu Thomistæ in proposito culpandi sunt.

Respondeo (cum Biesca prologo in primam par. dubio 2. per totum, & cum alijs pluribus passim) in vero sensu, vt explicabitur, & absque Thomistarum excessu, merito Doctrinam S. Thomæ dici posse inspirante Spiritu Sancto, seu non absque speciali infusione, perfectam, indeque illata, & obiecta à vellicantibus, posse non operosa explicatione dissolui. Et primo quidem probatur per gradus ascendendo à minori ad maius, & paulatim à communioribus descendendo ad magis propria. Nam minus inuerisimile est sanctissimum Ecclesiæ Doctorem adiutum fuisse speciali inspiratione Spiritus Sancti in tradendo tam vtilem Ecclesiæ Doctrinam, quam verisimile sit id quodamodo habuisse infideles Philosophos eorumvè principes, exempli gratia Aristotelem, in Philosophicis veritatibus perquirendis, vt colligitur tum ex illo sapientiæ 1. *in maleuolam animam non introibit sapientia*, tum ex differentia Theologum inter, & putè Philosophum, quod ille adhuc (non iste) ex supernaturali lumine Fidei perfectius etiam Philosophicas veritates assequitur, ex prima parte qu. 1. art. 1. contra gentes cap. 4. Sed hoc non obstante, vt loquitur Suarez libro 1. de necessitate gratiæ cap. 1. num. 4. *Verisimile est etiam illos Philosophos infideles, vti Aristotelem, fuisse a Deo peculiariter adiutos ad illarum Veritatum cognitionem, quamuis sanctificantem gratiam non haberent*, & reuera id aliqui colligunt ex illo Apostoli 1. ad Romanos 1. *quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit*, seu, vt alij legunt, *reuelauit*, vbi S. Thomas lectione 6. inquit, *Dupliciter Deus aliquid hominibus manifestat. Vno modo infundendo lumen interius &c. & sic Deus illis manifestauit, vel interius infundendo lumen &c.* ideoq; Claudianus Mamertus libr. 1. de Statu animæ cap. 3. aiebat, *idcirco illos Philosophos lumine veritatis afflatos, vt in salutem humani generis toti Mundo quandoque dogma ederetur*, & in singulari Hieronymus cap. 11. de Regula Monachorum, *Aristotelis*, inquit, *pæne videtur infusum quidquid naturaliter est capax humanum genus.*

Ergo

Ergo longe magis verisimile est ex speciali inspiratione Spiritus Sancti seù infusione sanctissimum Ecclesiæ Doctorem obtinuisse tam vtilem Ecclesiæ Doctrinam; vt in communi, & à fortiori de rebus Philosophicis etiam inferre videtur idem Suarez eodem cap. 1. numero postea 17. scribens. *Item verisimile est aliquibus Sanctis datum esse speciale auxilium etiam ad scientias naturales perfectius addiscendas, propter bonum commune Ecclesiæ, cum immo de Aristotile aliqui existiment specialiter fuisse à Deo adiutum in ordine ad bonum commune Ecclesiæ futurum &c.*

Secundò, vt discurrit ipsemet Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 45. art. 2. [Sapientia importat quamdam rectitudinem iudicij secundum rationes diuinas. Rectitudo autem iudicij potest contingere dupliciter. Vno modo secundum perfectum vsum rationis, alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea, de quibus est iudicandum, sicut de his, quæ ad Castitatem, pertinent, per rationis inquisitionem rectè iudicat ille, qui didicit scientiam moralem, sed per connaturalitatem quamdam ad ipsam rectè iudicat qui habet habitum Castitatis. Sic ergo circa res diuinas ex rationis inquisitione rectum iudicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis; sed rectum iudicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsa, pertinet ad sapientiam, secundum quod donum est Spiritus Sancti: sicut Dionysius dixit de diuinis nominibus cap. 2. Hierotheus est perfectus in diuinis, non solum discens sed & patiens Diuina. Huiusmodi autem compassio siue connaturalitas ad res diuinas fit per charitatem, quæ quidem nos vnit Deo secundum illud 1. Corinthiorum 6. Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est.] Hæc ille, sub quibus liceat nobis subsumere. At certum est Sanctissimo Præceptori Angelico non defuisse cum charitate prædictam connaturalitatem ad res diuinas, & per consequens donum infusum Spiritus Sancti. Ergo pariter certum est nil obstare quin dici possit passus esse diuina, seù diuinas impressiones, diuinos instinctus, diuinas reuelationes, & huiusmodi, & consequenter non sine speciali infusione docuisse, vt à Pontifice dicebatur.

Tertiò, vt opportunius adhuc disserebat iterum idem Sanctus Doctor in eadem quæst. 45. ar. 5. sequenti. *Secundum diuersos gradus aliqui hanc sapientiam sortiuntur. Quidam enim tantum sortiuntur de recto iudicio tam in consideratione diuinorum, quam in ordinatione rerum humanarum secundum diuinas regulas, quantum est necessarium ad salutem. Et hoc nulli deest* (subintellige Sanctorum, vt ipse prosequitur explicare). [Quidam autem altiori gradu perficiunt sapientiæ donum. Et quantum ad contemplationem diuinorum, inquantum scilicet altiora quædam mysteria, & cognoscunt, & alijs manifestare possunt, & etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas diuinas, inquantum possunt secundum eas non solum seipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit pro vt vult, secundũ illud 1. Corint. 12. Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ &c.] Sed constat nedum sanctissimum fuisse Thomam, verum etiam inter reliquos sanctos Doctorem eximium fuisse, vt ex eiusdem Ecclesiæ Decreto libro 2. iam vidimus, & denuò attestatur Romanum Breuiarium cum magna præ cæteris prerogatiua sic dicens: *Scripta eius, & multitudine, & va-*

rietate, & facilitate explicandi res difficiles adeo excelluit, vt ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici iurè adeptus sit. Ergo non mirum in hoc ipso altiori sapientiæ gradu frequentiores præ reliquis diuinos instinctus, seù illuminationes diuinas obtinuisse, vt iterum ipse peculiariter adhuc à Pontifice, & à Dominicanis Discipulis *non sine speciali infusione sua scripta perfecisse* dicatur.

Quartò, quia eatenus aliqui in hoc excedentem laudandi modum insimulant, aut criminantur, quatenus, aiunt, & ipse tandem D. Thomas homo erat, nec super hominem extollendus est. At nil obstare quod dicunt aduersus eximium adeò Ecclesiæ Doctorem (vt diximus) agnoscet quilibet vel leuiter legens ea, quæ pro communibus Ecclesiæ Doctoribus ad Lutheri sectarios similia iactantes respondebat prudentissimè æquè, ac robustissimè Alphonsus de Castro Ordinis Minorum lib. 1. aduersus hæreses cap. 6. [De Doctrina, quorumcumque, inquit, illustrium Virorum quantumlibet Sanctorum statim proclamant. Homines sunt ac nos. Fateor homines sunt, veruntamen homo homini nihil præstat? Nonne stulto intelligens aliquid interest? numquid non inter prophanum & Sanctum erit aliquis Ordo? vide quid Propheta Ezechiel cap. 33. reprehendat. Inter sanctum, inquit, & prophanum non habuerunt distantiam. Habenda est certè ratio Vitæ perindè ac doctrinæ, quoniam (vt inquit Ecclesiasticus cap. 37.) anima Viri Sancti enunciat aliquando vera, magis quam septem Circumspectores sedentes in excelso ad speculandum; & B. Ioannes in Epist. 1. cap. 9. Vnctio eius docet vos de omnibus.] Hæc ille opportune concinentia prædictis, quæ mox antè ex S. Thoma ar. 5. referente eandem Auctoritatem Ioannis, recitata sunt. Ergo non obstante hac ipsa aduersariorum suspicione, seù obiectione, nullus excessus in ita laudando doctorem Angelicum formidandus est. Quinimmo spontè huc modo veniunt ad idem stabiliendum, quæ scribit ad institutum & nuper Gonet canone 2. de Doctrina San. Thomæ sic dicens. *Ita natura comparatum est, vt res inferiores superiorum consortio perfectiores euadant, veluti quodam magnitudinis genio, & indita propensione, quæ superiora inferioribus benefica esse iubet: vt inferiores hominis facultates nobiliores, & altioribus operationibus aptiores, quam earum natura postulet, vel cætera animantia capacia sint, quod nimirum rationalis animus quosdam rationis, & libertatis radios infra se effundat, quorum inferiores facultates participes sint, & ad altiorem Ordinem euehantur. Hæc cum ita sint in omnibus naturæ Ordinibus, gradibusque distinctis comperta, non potuit D. Thomæ mens non erigi supra cæteros, ipsam mortalitatem, & communem intelligendi vim eo felici cum Cælestibus commercio, scientiæ cum sanctitate fædere, quod habuisse certum est, & quo veluti in apice naturæ constitutus inter Beatos, & cæteros Theologos, medium gradum occupat, & solus implet.* Hæc disertissime Gonet opportuna prædictis.

Quintò, timeri nequit excessus in tribuendo tam eximio præ reliquis Doctori Ecclesiæ id ipsum, quod alijs etiam etsi non adnumeratis in supremo ordine Doctorum Ecclesiæ legitur attributum. At, vt habetur ex Gilio non in celebri scriptore Societatis lib. 1. in primam partem tract. 4. cap. 12. *Theologiæ habitum etsi cæteri communiter ajsi duo studio comparent, non ex infusione accipiant, tamen forte nonnullis Viris Sanctissimis ex dono Dei absque multo ipsorum studio infusum a Deo fuisse, negandum non est, vt multi credunt de D. Bernardo:* & certè de D. Catharina Senensi testatur Pius II. in eiusdem Canonismi Bulla, & repetitum

legitur

legitur in Officio eiusdem *Doctrinam eius infusam non acquisitam fuisse*; quinimmo de alijs altius progressus Baeza, tertia parte Concionum libro 14. cap. 16. eiusdem cum Gilio Societatis scriptor, præ istis adhuc de alijs, non Sanctis, longeque inferioris notæ scriptoribus non dubitauit asserere dici posse, *nec conatos esse in scribendo, sed diuino Spiritu vbertatem dictorum, rerumque omnium ministrante sine vllo molimine capta compleuisse*. Ergo à fortiori timeri nequit excessus in attribuendo hoc ipsum sanctissimo Præceptori Angelico, præ reliquis, approbato ab Ecclesia in eximium Ecclesię Doctorem.

Sextò, ita reipsa S. Thomæ præ cæteris contigisse ex actis ipsiusmet vitæ ab Ecclesia approbatis compendio in præsenti testrictis sic comprobatur. *Et enim* (vt loquitur idem Gonet Canone 2.) [Quoties grauis difficultas D. Thomam, dum Ecclesiam ad instar Solis disputationibus scriptisque illustrat, properantem moratur, quoties in Theologiæ vel scripturæ dubium, vt in syrtim, & scopulum multorum naufragio timendum incidit, pręsto sunt Angeli, Diui Apostoli, Beatissima Virgo, qui periculum errandi amoliuntur, & difficultatem omnem explicant, vt putares inito fœdere Cœlites obligatos ad promouenda D. Thomæ studia, & Angelicum Doctorem iam inter suos (quibus cum necessitudinem summam habent, quos suorum secretorum participes efficiunt, nihilque latere volunt) agnoscere: cuius rei ex historia notæ fidem augent Pontificum Oracula,] vt ipse prosequitur de singulis à Sede Apostolica approbatis ostendere, & nos in libro superiori discussimus; vti & mox antea præmiserat idem Gonet Canone 1. scribens. *Quid cælestium rerum non agnouisset Sanctissimus Vir toties* in extasim raptus, suspenso facultatum inferiorum vsu, cum (vt inquit Augustinus de Adamo post immissum à Deo soporem, quo rebus mortalibus oculos clausit) Angelicæ Curiæ particeps fieret? erat mirabile, *inquit* D. Antoninus, *videre hominem vtentem sensibus, & cum sensibilibus conuersantem subitò rapi, & abstrahi, & ab omnibus separari, & ad Cælestia eleuari &c.* Ita D. Antoninus tertia parte Historiæ titulo 23. cap. 7. Quemadmodum & hæc singula antea asserebat Gulielmus Thocus in antiqua Vita eiusdem S. Thomæ ad idem intentum, & simul cum ipso seù in compendio eiusdem Venerabilis noster Pottecta cap. 7. inscribens hunc titulum; *in septima parte ostenditur, quod habuit scientiam per inspirationem diuinam*, vbi postquam egit ad hoc idem intentum *de deuota in dubijs Oratione, & de raptu, & extasi. Tertium quidem*, inquit, *quod ostendit ipsum habuisse scientiam infusam, fuit multiplex apparitio sanctorum, ac Cælitum &c. Apparuit enim sibi Christus, Beata Virgo, Petrus, & Paulus &c.* vt exactè percurrendo per singula demonstrat, quod præfixum est, & nostro huic instituto iam sufficit. Ergo non denuò formidandus venit excessus in præsenti Thomistis.

Septimò temeritate non caret, qui neget assensum ijs mirabilibus alicuius Sancti, quæ in approbato processu Canonizationis eiusdem examinata leguntur, ac inde in Officio Ecclesiastico Ecclesiæ, præsertim Vniuersalis, recitantur, vt ex instituto probat Grauina parte prima tomi 3. quæst. 2. principali ar. 7. cum Antonio Perez dubio 24. de Ecclesia, & alijs. At de S. Thoma, *quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam diuinitus traditum accepisse*, eisdem his verbis modo prædicto legitur comprobatum, vt mox ostendo. Temeritate igitur non carere videtur, qui huiusmodi dicto abnegaret assen-

ſum. Lege modo, non dicam apud noſtros, ſed apud Bolandum è Societate ad diem 7. Martij in proceſsu Canonizationis S. Thomæ cap. 7. & 9. & videbis ex depoſitione duorum conteſtium, quorum alter erat Iacobus de Viterbio Ordinis Heremitarum (qui poſtea fuit Archiepiſcopus Neapolitanus) comprobatam illam atteſtationem B. Raynaldi, cui B. Thomas (ſua alioquin modeſtiſſimè ſilens) penitiores ſui animi ſenſus detegebat, ex Confeſſione eiuſdem B. Thomæ, *quod eius ſcientia non fuerat à naturali ingenio acquiſita, ſed per reuelationem, & infuſionem Spiritus Sancti, quia nunquam ponebat ſe ad ſcribendum aliquod opus, niſi præmiſſa Oratione, & retulit idem Frater Raynaldus publicè aſſerendo, quod ipſe fuerat prohibitus à dicto Fratre Thoma, quod in vita ſua nemini reuelaret.* Lege ſubinde Bullam Canoniſmi eiuſdem S. Thomæ, in qua Summus Pontifex pra memorans eundem præcitatum proceſſum ab illis verbis, *non feſtine, ſed mature inquiri fecimus*, decernit inde eundem S. Thomam *ſcripta ſua non abſque ſpeciali infuſione perfeciſſe*. Lege Clementem VI. in ſermone de San. Thoma incipiente, *docebat eos de regno Dei* (vt refert etiam Alua nodo 4. §. 1.) inter alia dicentem, *videtur impoſsibile ſic ſcribere, licet tot ac tanta, tam profunda & alta, niſi fuerit à Spiritu Sancto*. Lege in officio proprio pro feſto S. Thomæ ea de hac re verba conſcripta, *de excelſis fons ſapientiæ S. Thomæ infudit copiam tanquam flumen claræ ſcientiæ*. Lege tandem, poſt noſtrum, etiam Romanum Breuiarium, & reperita videbis eadem illa verba, nimirum *quidquid ſciret non tam ſtudio aut labore ſuo peperiſſe quam diuinitus traditum accepiſſe*. Quid quæſo amplius deſideratur, vt vel æmulus Scholæ Thomiſticæ, ſi pius ſaltem, ſi prudens eſt, deſinat dubitare?

Octauò; ne cui iterum id nimis videatur excedens ſupra Doctorem adhuc Sanctiſſimum (qui tamen proculdubio Canonicus Scriptor, nec eſt, nec à noſtris nominatur) aſſerendo ipſum à Spiritu Sancto inſpirante in ſcribendo ac docendo adiutum eſſe. Audiatur, obſecro, Divus Auguſtinus epiſt. 97. apud Hieronymum eidem Hieronymo ſcribens ac de eius doctrina ſic dicens: *hæc tibi non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu Sancto vt in magnis, & laborioſis quæſtionibus me non tanquam ludentem in campo ſcripturarum, ſed in montibus anhelantem adiuues*. Audiatur tum Paulinus epiſt. 31. tum Coſentinus epiſt. 221. apud Auguſtinum ſic eundem viuentem Auguſtinum laudantes, *vt dictata*, inquiunt, *diuinitus verba credantur*. Audiatur Amphilochius Iconienſis in laudem Baſilij ſcribens: *Vere Spiritus Sanctus loquitur per os eius*. Audiatur (vt etiam de Spiritu Sancto in ſpecie columbæ ad aures S. Thomæ inſidente occurramus) præter Abbatem Trithemium in Gregorio id atteſtantem, Audiatur, inquam, Eccleſia ipſa in feſto S. Baſilij die 14 Iunij in lectionibus repetens: *Eius, ſcilicet Baſilij humero, dextro in ſpecie columbæ candidæ Spiritum Sanctum inſiſtentem aliquando vidit S. Ephrem Syrus, & verba ſapientiæ concionanti ſuggerentem*. Audiatur eadem in feſto S. Ambroſij die 4. Aprilis (præter globum igneum ad eius aures apparentem, de quo Baronius) adiungens: *Angelus ad eius aurem loqui viſus eſt*. Nunquid ergo quis credet, aut ſuſpicabitur aliquis prædictos Patres exinde Canonicis ſcriptoribus coæquatos eſſe, aut eorundẽ doctrinam velut ſcripturam canonicam ſuſcipiendam eſse? Cur ergo Thomiſtis, velut id velint exinde deducere, aut indicare de doctrina San. Thomæ, inſultare non deſinunt aliqui, aut præ ſua imprudentia non erubeſcunt?

Nonò

Nonò (vt isti tandem vel discant, vel obmutescant) non grauabor exscribere quæ ad repellendam consimilem impudentium, aut imprudentium non sine iniuria sequelam, tam pro prædictorum Patrum doctrina quam S. Thomæ, noster Ioannes à S. Thoma erudite distinguit disp. 1. procemiali in 1. p. ar. 2. in hæc verba. *Non vno modo*, inquit, [diuina infusio fit, sed aliquando fit cum tota plenitudine, ita vt Spiritus Sãctus se habeat vt dictans, & scriptor solum ea, quæ audit, scribat quasi calamus scribæ, & tunc etiam apices & iota vnum summam habent certitudinem: aliquando solum dirigit instinctu speciali (licet priuato) ne erret aliquis in resolutione vltima determinando, licet non assistat ei specialiter in tota disputatione: aliquando perfectam scientiam infusam donat, vt omnes apprehensiones, & iudicia certa sint, sicut scientia infusa Christi. Ex verbis ergo Pontificis, quibus Ioannes XXII. affirmat D. Thomam scripta sua (non sine speciali infusione perfecisse) non obligamur dicere quod habuerit specialem infusionem, nisi illo secundo modo, idest ad perficiendum & vltimo determinandum.] (vt repetit etiam infra ar. 4. ad 4. ex doctrina eiusdem S. Thomæ 2. 2. q. 171. ar. 5. eodem modo explicantis hunc eundem minus perfectum instinctum Spiritus Sancti ex Gregorio &c.) [Sed cum specialis Dei infusio ad falsum esse non possit, consequenter oportet dicere in vltimis resolutionibus D. Thomæ Ecclesiam nihil falsitatis agnoscere. Nec tamen ob id res illa fit de fide, quia non sic proponitur, aut definitur per Ecclesiam; de Ecclesia enim constat tanquam de fide à Spiritu Sancto regi, ne erret in definiendo, quod non constat de D. Thomæ doctrina, nec illa sic proponitur ab Ecclesia, sed est priuata quædam directio diuina, non definitio publica.] Hæc ille, de quibus priuatis similiter reuelationibus, licet ab Ecclesia probatis, quomodo non constituant in ordine ad nos obiectum de fide, vide sursus, præ alijs nostris, nostrum Grauinam in Lapide Lydio de visionibus par. 1. lib. 1. cap. 5. difficultate vltima per totam, & videbis quam procul ab excessu consimili Thomistæ nostri recedant.

Decimò tandem, ad liberandum vlterius à quocumque imputato excessu Thomistas in laudanda (vt par est) Angelici Præceptoris doctrina, vt imputat author Diatribarum Diatriba 3. §. 52 scribens *plerisque Cyriacis S. Thomam esse præbuctio fatui amoris, quali improuidos erga nonnullos Sanctos corripi, aiebat Origenes Homilia 25. in Lucam*, præsertim, vt concludit, *vanos ei titulos deferendo*; ad liberandum, inquam, ab hoc excessu imputato Thomistas, placet afferre hic celsiora longe quorundam aliorum Patrum elogia, quibus alicuius alterius Patris doctrinam extollere non dubitarunt, nec tamen eadem vel similia de S. Thoma discipuli pronunciauisse adhuc auditi sunt vel reperti. Videlicet: præter Synodum Parisiensem sub Gregorio IV. lib. 3. appellantem generatim *Sacerdotes diuinæ voluntatis indices, & Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores*, præter Philoteum Constantinopolitanum vocantem tres Græcos Ecclesiæ Doctores, *Seruatores nostros post primum Seruatorem*, & præter Rubertum Abbatem in cap. 1. Oseæ vniuersim de alijs ex professo probantem, *rectè Saluatores nostros cognominari*, in singulari Hieronymus epist. 25. apud Augustinum, vocat eundem viuentem adhuc Augustinum *conditorem antiquæ fidei*, Gregorius Nazianzenus epist. 88. inter epistolas Basilij de Basilio sic habet, *laudans Sanctum & communem Patrem nostrum tanquam fidei fulcimentum, veritatis*

canø.

canonem, Ecclesiæ characterem, &c. mediatorem inter Deum & hominem, & Spiritus Sancti habitaculum. Iterum Epistola 84. ad eundem Basilium viuentem adhuc, hæc scribit. *Vnde ad celebrandum encomia tua ordiar? & quo nomine te vere & proprie appellabo? an columnam & stabilimentum Ecclesiæ vocabo? aut luminare mundi, vt apostolico more loquar, aut coronam gloriationis sanæ Christianorum parti? vel donum Dei? aut Legatum veritatis, vel simul omnia hæc, hisque plura?* Basilius inuicem rescribens Nazianzeno inter cætera eum *Os Christi* nuncupauit, Gregorius Nissenus in vita S. Ephrem Syri, Ephrem Syrum eundem vocat, *os Ecclesiæ*, & addit: *Nunquam hic veritatis filius ab ipsa deflexit veritate*, Petrus Cluniacensis epist. 264. inter D. Bernardi epistolas dicere non veretur eundem adhuc viuentem Bernardum *totius Ecclesiæ Dei columnam*. Damascenus sermone de Defunctis appellat Athanasium, *Ecclesiæ Dei fundamentum*, & Nazianzenus Oratione de laudibus Athanasij vltro addit, *Egregium Ecclesiæ columen, vt ipsius dogmata pro fidei Orthodoxæ lege haberentur*, vt omittam mox alibi Nazianzenum eundem Basilio scribentem, *profecto Dei calculus tuus calculus est*, mox afferentem epist. 20. eundem Basilium, *calamum in Spiritus Sancti pixide intinxisse*. Hæc quæso, & similia, quæ sparsim in Sanctorum Patrum opusculis perleguntur, confer modo cum ijs, eorumque supremis elogijs, in quibus pro commendanda Angelici Præceptoris doctrina accusantur Thomistæ, & seposito partium studio vel ipse discernes, an eisdem Thomistis excessus aliquis, in proposito, iure merito, vel data fingendi licentia imputari queat?

Ad primum igitur (in quo Alua dimisso Ægidio Romano, qui prior omnibus mortuo vix Aquinate in defensorio eiusdem ab initio vocauit eiusdem opera, *spiritu veritatis instigante conscripta*, vt solis nostris imponeret hoc velut recens inuentum) socium in primis aduocare possemus pro responsione Theophilum Raynaudum, quem idem Alua indicabat nodo 16. pag. 701. sibi in opponendo collegam, dum tomo 18. idem Theophilus in apologia in Iulium Clementem Scotum non inficiatur obiectum similiter suis commendatissimis Patribus prædicari fundatorem Societatis *ex scientia cælitus infusa tradidisse omnia, quæ habentur in Constitutionibus & continentur in instituto, cui nihil addi vel minui posit*, (de quo libro etiam consuli posset Enricus Noris Ordinis Eremitarum in Vindicijs Augustinianis pag. 205.) Sed nos vt ista obiectata repellimus à pijssimis illis Patribus, sic eisdem aut cæteris aliorum exemplis non indigemus; cum pateat iam, ex relatis hucusque, cui innitantur in hoc asserto Thomistæ, & in quo sensu ex distinctione relata numero 9. id verum sit, absque eo, quod inde inferatur absurdum intentum ab arguente, doctrinam scilicet San. Thomæ esse infallibiliter veram (vt inferebat obijciens) non minus ac si *canonica doctrina* foret, vti nec sequitur absurdum hoc de doctrina illorum Patrum, quos num. 8. similiter dictos esse *Spiritu Sancto inspirante scripsisse* relatum est.

Ad secundum præter exempla similia aliorum Patrum iam recitata de insidente ad aures columbæ specie, quid aliud, quæso, hoc est, quam iuxta canonismi Bullam, aliaque adducta mox ante, *Dominum impleuisse S. Thomam Spiritu sapientiæ & intellectus*, vt ibi Pontifex loquebatur, eundemque S. Thomam, scripta sua *non absque speciali infusione perfecisse?* quemadmodum noster Coquetius aiebat, & ex vno alterum inferebat; quem Coquetium incusat Alua, *quasi primus Spiritum Sanctum columbæ specie affinxerit ad aurem D. Thomæ. Sed* (vt loquitur

quitur Baronius noster lib. 1, sect. 2. ar. 5. §. 4.) *Contra Aluam pro Chouetio proferuntur tapetes ab anno* 1540 *acu elaborati, & imagines ab anno* 1497 *picta, quibus eadem forma columbæ Spiritus Sanctus ad aurem D. Thomæ dicenda suggerebat;* huicque rei allusisse videtur Vrbanus IV, *qui in remuneratione m compositi officij de Corpore Christi* (vt loquitur è Societate Cornelius Hazart in Vrbano IV, & repetit Iustus Camus pag. 75) *argentea S. Thomam columba donauit.*

Ad tertium, in quo non tam Dominicanorum assertum quam Ecclesiasticæ preces id habentes in Lectionibus S. Thomæ impetuntur, & audacissimè impugnantur, remitto pro solutione arguenrem ad Spartianum in Adriano de eodem Ethnico Imperatore dicentem: *vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum Amicis fabulatus est.* Remitto ad Plinium lib. 2. historiæ naturalis cap. 24. de Iulio Cæsare longe his maiora attestantem his verbis: *Scribere & legere simul, dictare & audire, solitum accepimus: Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librarijs dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas;* Quibus (ne forte te minus fidere Plinio dicas) Suetonius, & Plutarchus de re eadem concinunt in vita eiusdem; & postea incredibile erit Doctorem Angelicum tot diuinis adiutum dotibus id præstitisse, immo minus eo potuisse, quod Ethnico homini per solas naturæ vires sic legitur attributum? Sanè (ni mea me fallit opinio) qui similem ei deneget parilitatem, immo non admittat in Sancto Doctore Ecclesiæ in re proposita præ Ethnico homine præcellentiam, videat ipse, ne illorum sectarius sit, quos adeo dementatos fuisse Parisijs enarrat cum censura Cæsarius lib. 5. historiarum cap. 22. vt asserere non erubescerent, *sic Deum loquutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino.* O impudentiam! O dignam fustibus potius quam calamo temeritatem! Expedit enim (vt loquebatur sapiens Prouerbiorum 10.) *Virga in dorso eius, qui indiget corde.*

Ad quartum, quid, obsecro, mali foret post dictatam à S. Thoma vigilante materiam, etiam eo dormiente, & ex vehementi impressione specierum præordinatarum quandoq; syllogizante, ex inde scriptorem aliquem quandoque etiam paucos quosdam syllogismos ex ore dormientis excepisse, exceptosque iam traditæ adiunxisse materiæ, scilicet (vt notanter aiebat ex Thoco Porrecta) *continuando materiam?* An forte nos latet id, quod plurimi experiri solent & docuit iam diu idem S. Thomas p. p. q. 84. ar. 8. ad 2. dicens? *quod si adhuc in somno motus vaporum magis sedetur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime solet contingere in fine dormitionis & in hominibus sobrijs & habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit medicus, non solum imaginatio remanet libera, sed etiam ipse sensus communis ex parte soluitur ita quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quæ videt somnia esse, quasi dijudicando inter res & rerum similitudines &c. Sic igitur per modum, quo sensus soluitur, & imaginatio in dormiendo, liberatur iudicium intellectus.* Hæc S. Thomas vt explicaret illud suæ obiectionis subsumptum, *Contingit quandoque quod aliquis dormiendo syllogizet.* Quid mirum igitur id dormienti per somnum adhuc naturalem Angelico Præceptori contigisse? quid vltro prohibet & dormienti eidem quandoque etiam aliquas illarum cælestium illuminationum (quibus ex dictis assuetus erat) inter insomnia accessisse? vt id non semel fieri docet idem S. Doctor 2. 2. q. 174. ar. 1. ad 3. cum Isidoro recitato ibidem, & iterum ar. 3. cum Augustino, & q. 12. de veritate ar. 3. cum Gregorio Magno; quinimmo in p. p. q. 12. ar. 11. id magis

in

in somnis fieri probat à priori, *quia anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior, unde in somnijs & alienationibus à sensibus corporis magis diuinæ reuelationes percipiuntur*; ideoque de his intelligi solet, & ad idem adaptari, illud Canticorum 5. *Ego dormio & cor meum vigilat*, quemadmodum inter cæteros Rubertus ad hæc verba subiungit, *secundum corpus dormiunt, & secundum animam cælestia vident*, & Ambrosius Epistola 23 ad Anysium, *est itaque & Sanctorum somnus operarius, secundum quod scriptum est: Ego dormio & cor meum vigilat*, & alij passim expositores in eundem locum id repetunt: nec demum aliud de S. Thoma dormiente quam idipsum intellexisse Gulielmum Thocum euincunt subiuncta ab eodem hæc verba, *vt intellectualis scilicet anima a carnis onere videretur esse soluta, & dicere posset: Ego dormio & cor meum vigilat, qui etiam vigilans cum Deo contemplationis otio dormiebat*. Poterat ne manifestius aut verius, iuxta notata ex Patribus, Thocus interpretari, quod scripsit, edisserare, quod sensit? erat ne igitur noster vere Euangelicus Ioseph (cui nec molestia Fratrum, nec custodia carceris, nec mulieris insidiæ defuerunt, & demum supra sapientes, seu Scholasticos reliquos, principatus) eratne, inquam, ab inuidis eiuscemodi Fratribus simili sarcasmo excipiendus, vti antiquo Ioseph illudebant Fratres aientes: *Ecce somniator venit, nunquid Rex noster eris, & subijciemur ditioni tuæ?* Sed vero *Pater rem tacitus considerabat*, vt dicitur Genesis cap. 37, & Summus Pontifex tandem, supremus Ecclesiæ Pater, etiam dormienti sapientiæ filio Aquinati post orationem immissam reuelationem thematis assumendi Parisijs, in canonizationis Bulla probauit, *vt scilicet*, inquit, *illud psalmi, rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra, in eo verissime impleretur, quod thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina incepturus, assumpsit, quodque* (vt ibidem describitur, & in cap. 6. & 7. processus canonizationis habetur) *reuelatione sibi post orationem facta didicerat*. Hæc in Bulla Pontificis.

Ad quintum, omisso in fronte libri Escobar quatuor animalium, & viginti quatuor Seniorum delineamentis, & nominibus, longe quosdam D. Thoma inferiores scriptores exhiberi; etsi rursus molesta sit semper comparatio inter Sanctos (vt monet Hieronymus in Epitaphio Marcellæ ab initio) recolenda tamen est consuetudo etiam Ecclesiæ, quæ in officio passim alicuius Sancti particularis ea verba accommodari permittit, *non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi*, absque eo quod cæterorum Sanctorum laudes minuantur, atque decrescant; repetenda simul non semel est animaduersio Gregorij Magni homilia 10. in Ezechielem, *hoc agere Deum in cordibus hominum, & in dispensatione charismatum, quod facit in regionibus terrarum*, vt, sicut inuicem vna regio in altero fructu superior est, & si in altero altera inferior, *sic mentes Sanctorum quadam vicissim sibi conferant*, de his peculiaribus dotibus, in quibus inuicem se excedunt; nec inde mirum & Thomam Aquinatem cæteris sine dubio quatuor Ecclesiæ Doctoribus in aliqua, eaque non vna (quod non negat noster) prærogatiua posteriorem, in altera aliqua dote velut Angelicum quodammodo apud aliquos anteponi, atque hoc modo alijs sub specie Hominis, Bouis, Leonis, aut Aquilæ in iconculis quibusdam (quas sane typographi excussere non nostri) prælatum esse, quemadmodum in hoc sensu etiam in festo eiusdem Aquinatis Ecclesia canit: *Augustinus Fratri sic loquitur. Thomas mihi*

par

par est in gloria, virginali praestans munditia, & Ioannes à S. Thoma disp. 1. ar. 4. in ordine ad reliquos Ecclesiae Doctores repetebat, *specialiori modo Ecclesiam approbasse doctrinam D. Thomae & Augustini quam aliorum Doctorum*, in eodemque sensu, praeter nostrum Ignatium Galuanium de simili dicto immerito accusatum ab Alua nodo 4. §. 1. pag. 364. etiam Biescas q. procemiali in p. p. dubio 12. id ex professo pertractans subiungit duas alias pro S. Thoma praerogatiuas, *quod scilicet eius doctrina est necessaria ad intelligendos Sanctos Ecclesiae Doctores securius & vtilius, vt à me (inquit) dubio 10. ostensum est, & quod rursus ipsa sola continet in se doctrinas veras omnium Sanctorum Patrum. Vnde & in Breuiario Romano de S. Thoma his concinendo concluditur: scripta eius & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt, vt ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici iure adeptus sit.* Vide excellentiam, & in quo ista prae reliquis sita sit, quamuis alij Ecclesiae Doctores simpliciter superiores in alijs sine dubio sint, vt scite animaduertit noster iterum Ioannes à S. Thoma, eadem disput. 1. tum art. 3. dicens. *Quod vero dicitur ex hoc sequi D. Thomam esse super omnes Patres. Respondeo non esse supra, sed esse omnium discipulum, florem enim veritatis eorum in omnibus collegit, & ideo approbatio eius est approbatio omnium Patrum*, tum ar. 4. ad 1. *Nec in hoc fit iniuria alijs Doctoribus & Patribus, quia Doctrina D. Thomae tota est ex Patribus & in ipsius approbatione omnes honorantur*, & infra ad primam confirmationem tertij argumenti, *nec per hoc*, inquit, *omnibus Patribus praefertur D. Thomas, sed potius vt eorum vestigia sequens laudatur, & sic omnium Patrum sancta doctrina in eo approbatur.* Vide igitur Lector, an isti responsioni, qua singula ab arguente recitata soluuntur (si semel ea vera sint, quae de Anonymo etiam concionatore referuntur) an huic, inquam, responsioni conueniant ac faueant, quae in tomum septimum Bibliothecae veterum Patrum in Sophronio cap. 128. notat Censura Romana edita sub Brasichelensi circa consimilem reuelationem Abbati factam de Chrysostomo viso in Coelo prope thronum Dei, ideo similiter ex Baronio ad annum 407. num. 32. in eodem sensu mox ante à nobis adducto eam interpretando, *nimirum non esse quidem verisimile Chrysostomum in Caelo potiorem locum obtinere supra Doctores omnes Ecclesiae, Verbi gratia supra Athanasium &c. tamen has fieri quoque visiones, seu reuelationes interdum, non ad ostendendam superioritatem sed excellentem quandam & peculiarem cuiuspiam Beati praerogatiuam, qua alijs praeeminuit, cuiusmodi fuit zelus iustitiae in Chrysostomo, indeque merito visus assistere throno.* Haec ibi, quae vti penitus nostrae explicationi consentiunt, ita praeaddu̇ctae omnino oppositioni respondent; tametsi rursus extranei potius quam nostri S. Thomae laudatores impeterentur, inter quos etiam Egnatius celebris aliunde scriptor in praefatione librorum contra gentiles aiebat, *S. Thomam à Diuis Petro & Paulo reliquisque Christianae Religionis heroibus aut primum esse, aut si quis non facilis hoc concesserit, vt non primum eum censeat, nullos saltem primos post Petrum & Paulum, omnes cum Thoma secundos numerandos esse.* Et vniuersim inde (vt claudam) Eminentissimus ille Pallauicinus (cuius nomen simul cum sacrosancti historia Tridentini Concilij perenniter permanebit) in Epistola nuncupatoria ad lib. 7. de virtute & Sacramento Poenitentiae, post eximias D. Thomae laudes, pro nostrorum omnium in re proposita defensione claudebat sic. *Id ex me saepe audiunt, qui me audiunt: quamuis tanta sit D. Thomae & sectatorum frequentia, & laudatorum ap-*

probatio, vtramque tamen adeo infra S. Thomæ merita mihi videri, vt inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem, vel aspernari cogar vel miserari.

ARTICVLVS II.

An Dominicani similiter excesserint in superextollendo Ordinem suum.

Videtur sic affirmandum Auctori Diatribarum non semel, & in primis Diatriba 1. §. 3. *Inde enim*, inquit, *vnusquispiam Cyriacus, audiente Alphonso de Castro, de sacro suggestu dixit, neminem, qui vestem Cyriacorum aliquando induerit, posse in hæresim labi. Ita refert Castro lib. 1. contra hæreses cap. 9, & ex eo Wadinghus anno 1371 num. 27.* Et tamen (vt subdit §. 5.) *eam vestem induerant Martinus Bucerus, Ioannes Paleologus Romæ summo Pontifice Gregorio XIII. combustus, Petrus Paulus de Bellis, & alij in hæresim prolapsi ac hæresibus immortui &c. Et ille trans Pyreneos Prouincialis*, qui origine Hebræus, licet suscepto Baptismate, sub horam mortis professus est (vt obijciens enarrat) se interius mansisse hebræum, *fædumque spiritum expuit non hæreticus dumtaxat, sed etiam Apostata à fide, & tamen vestem Cyriaci prætulerat. Eandem vestem* (vt pergit §. 6.) *item præferebat Frater Matthæus Grabon, qui à Martino Quinto, & Concilio Constantiensi, agentibus Petro Cardinali de Aliaco & Gersone Accademiæ Parisiensis Cancellario, damnatus est de hæresi circa largitionem eleemosinæ, ac paupertatem Euangelicam, & liber eius combustus; nec minus Bartholomæus Charanza, qui apud Hyspanos Quæsitores, & Romæ apud Gregorium XIII. de hæresi iudicia subijt. Itidem capta à Moschis vrbe Smolenchi, quæ in extrema Lithuania est ad Moschorum fines* (vt prosequitur §. 7.) *ablegatis Iesuitis pro more hostium fidei Romanæ, rati Cyriaci eam sedem Cœnobio, quod in vrbe habebant, commodiorem, Collegium vacuum sibi deposcunt ac fidem catholicam eiurant, non vnus aut alter, sed Cœnobium vniuersum, lubentesque consentiunt in Anabaptismum iterato baptizati omnes &c. vt hæc* (inquit) *describuntur in litteris editis Varsauiæ 14. Decembris anni 1654. quo contigerunt.* Contra veritatem igitur excedunt Cyriaci seu Dominicani in sui Ordinis laudem, vti mox ante de deferente eorundem vestem referebatur.

Secundò, quia ne dum *Hiacynthus Coquetius in libro suo de Visceribus maternis B. Virginis erga Ordinem Prædicatorum, (quem animam simplicem* vocat, & valdè exagitat idem auctor Diatribarum Diatriba 6. §. 105.) verum etiam pleriq; alij eiusdem Ordinis referunt eam visionem, in qua B. Dominico anxio de suis reuelati sunt plures Cyriacorum in Cœlo sub pallio Virginis delitescentes. At hoc est planè arrogare prædictis in Cœlis potiorem locum supra eximios tot reliquos Ordines Sanctorum, quod in simili visione reprehendit ex aliorum auctoritate Baronius ad annum 407. num. 32. eamque visionem (de qua apud Baronium agebatur) & si D. Chrysostomo fauorabilem in dubium reuocat. Ergo à fortiori in proposito pro suis laudandis, ac pro suo Ordine Dominicani excesserunt.

Tertiò, ad extollendum Ordinem Prędicatorum tamquam singulari patrocinio D. Magdalenæ fruentem (vt opponit idem Auctor Diatriba 6. §. 100.) *plenam miraculi, Caroli II. Siciliæ Regis, & Prouinciæ Comitis liberationem à captiuitate, qua apud Aragonios detinebatur, factam interuentu B. Mariæ Magdalenæ narrant plerique Dominicani, ex quibus Siluester Prierates in Rosa aurea tractatu 2. in ser-*

mone

tione in Feriam 5. Octauae Paschatis &c. Ac si nimirum, dum ille victus ab Aragonio sub annum 1274. in Barchinonensi carcere indubitatam mortem opperiretur, de consilio confessarij Ordinis Praedicatorum imploranti opem D. Magdalenae, haec ipsa apparuerit per noctem admonens vt se sequeretur, eiq; inopinato in sua reducto detexerit Reliquias suas in Oravel loco S. Maximini latere, easque *suis Fratribus Ordinis Praedicatorum* committere, eorumque ditare Coenobium iniunxerit. Et tamen (subdit idem Auctor opponens) *Historici Galli totam de Carolo per Magdalenam liberato narrationem & translationem Caroli adeo subitam &c. ablegant ad Deum Fabulinum; Carolum enim ad suos inita pace cum Aragonio liberum remeasse absque miraculo, ut exploratum, ponunt.* Igitur Dominicani ne dum aduersus prudentiam, sed veritatem, in suum extollendo Ordinem excesserunt.

Quartò, vt obijcit idem eadem Diatriba §. 97. [Frater Ludouicus Vretè Dominicanus in suo satis spisso volumine de rebus Abassinorum &c. inter alia ait, per Abassinam vniuersam esse multa Ordinis Coenobia, sed duo prae caeteris celebria, quae de Plurimanis, & Alleluia nominantur. In priore ait degere nouem millia religiosorum Ordinis Praedicatorum, in posteriore septem millia &c. & (quod impium, & perniciosum est) cum multos Caelites fictitios ex Ora illa & Ordine suo inferat Caelo, factum est, ut improuidi aliqui (ut Siluanus Razzius, & Antonius Balinghen, & Congestor Exemplorum) per eum acti in fraudem &c. retulerint in indices Sanctorum, & aut colendos, aut imitandos proposuerint hos Caelites Vretianos &c.] Haec autem commenta esse idem auctor subiungit cum Nicolao Lodigno libro 1. de rebus Abassinorum, cap. 34, *qui*, inquit, *manifestis argumentis, & oculatorum testium relatione conuincit omnia praedicta sordere continuo mendacio.* Igitur excedunt adeo Dominicani pro Ordine suo, vt quaedam etiam ne dum ridiculè, sed perniciosè confingant.

Quintò, huc reuocabat idem Auctor Diatriba 8. § 127. id quod *narrabat*, vt ipse loquitur [Abbas Vallumbrosianus, ex sui cuiusdam domestici, diù inter Dominicanos versati, testificatione; Dominicanorum à supremo ad imū, & à primo vsque ad vltimum, cogitationes, verba, & opera, promotionem ac primatum redolere. In eo spiritu adolescunt minores, consenescunt maiores, nemo huius curae, & sollicitudinis exors &c. Vnde contentiones cum reliquis omnibus Ordinibus de praecedentia Contiloriano scripto asserta, & anterius quoque ab Archidiacono in cap. de Decimis in 6. & à Felino in Rubri. de Maiorit. & Obed. & in caput *cum dilecta* V. Ordo Scripturae, praeter alios à Fratribus ad id conductos apud Chassanaeum in Cathalogo par. 4. consid. 73. Ex eodem fonte prodijt, Canonicorum, Clericorumque Regularium tentata depressio, & Sedes ante quoscunque Generales in Concilio Tridentino, & in suppositionibus, supplicationibus publicis prerogatiua in procedendo.] Hoc autem (inquit idem oppositor) *Iudaicum vitium esse notatum est à Iustino in Dialogo, dum scilicet Iudaei acti Cacozelia nascentem Christi Ecclesiam specie honoris Dei, & tuendorum Mosis institutorum, insequebantur*, & ex eo similiter agere Dominicanos supponit, quod *quae sua sunt quaerant, non quae Iesu Christi, non iustitiae, sed causae suae velificantes.* Nimis igitur Dominicani in rebus sui Ordinis excedere assueti sunt.

Sextò, vt idem prosequitur pag. 128. [ex eodem fonte pariter manauit

Indictio silentij omnibus, qui quoquò modo velint obstrepere receptis apud Dominicanos placitis, etiamsi inexplicabilibus, pro quibus, si quis dicat hoc esse inconceptibile, & inintelligibile, Respondent cum Bannez 1. parte quæst. 23. art. 5. in examine tertiæ opinionis, & cum Cabezudo tertia parte qu. 62. ar. 1. difficul. 7. ad 5. (Si non intelligunt, credant). Contra hanc autem Idololatriam (vt vocat Alarcon) figmentis suis à Thomistis exhibitam, pugnant fortissimè Diego Alarcon tract. de Visione Dei disp. 2. cap. 11. nu. 20. scribens: (sunt nonnulli Thomistæ, qui cum præstigijs velint intellectum nostrum deludere, suadere nobis volunt commenta, quasi fidei documenta &c. profectò puto Idololatriam quamdam &c.) & Didacus Ruiz disputat. 59. de Scientia Dei sect. 1. & benè quoque Ægidius à Præsentatione dicens, non esse Theologi, nisi Capitosi recurrere ad mysterij altitudinem, vbi id fides non docet.] In vtroque igitur Dominicani tam pro sua Doctrina Scholæ, quam pro sui Ordinis laude excessisse videntur, immo ex illo priori, quo ad Doctrinam, (de quo etiam in antecedenti articulo dictum est) posterior iste excessus quo ad Ordinem promanasse ab eodem Oppositore ab initio §. 4. supponebatur.

In oppositum tamen est, quod ut aiebat in simili Seneca libro de Vita Beata cap. 18. *nec malignitas me ista multo veneno tincta deterrebit ab optimis: nec virus quidem istud (quo alios spargitis, vos necatis) mi impediet quo minus perseuerem laudare vitam &c. Expectabo scilicet, vt quidquam maleuolentiæ inuiolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato?* Immo cui maleuolentiæ, neque equidem sacer fuit nobilissimus Ordo (quem benè Auctor Diatribarum agnoscit) dum, omissis innumeris vulgatis satyris in eundem, apud Theophilum Raynaudum tomo 18. Apologia in Iulium Clementem Scotum hic ipse desertor *illud institutum* (cuius nomini honorique parco) *prædicari oppimebat à suis omnium perfectissimum, & cui nullum par fuerit, vel par esse possit, nullum fermè sanctum esse, ex Fundatoribus saltem Religionum, cui tantum debeat Ecclesia, ac Fundatori suo, huncque alterum Saluatorem appellari.* Hæc ille. Hincque ijdem dicebantur (vt habetur in relatione Venerabilis Ludouici Soteli Minoritæ Episcopi de re Iaponica, & repetit Iustus Camus in Ismaele) *Sua magnificare, exaltare, & publicare, nec agnoscere sibi vllos in sanctitate, scientia, vel auctoritate æquales.* Vti igitur falso de hoc ipso laudandi excessu accusari supponimus laudandos vtique semper eiusdem Ordinis sectatores, ita in hoc simili earundem obiectionum proposito culpari nunc falso nostros homines reputamus.

Respondeo immerito Dominicanis excessum aliquem in sui Ordinis laudem imputari. Primo quidem, nam ita excedentes, vt auctor Diatribarum opponebat, ambitionis spiritu aguntur, *& quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* At ex aduerso se habent Dominicani, (vt loquitur Pontifex Gregorius IX. in Bulla apud Lateranum 6. idus Maij Pontificatus anno 1. scribens) *Ordinem dilectorum Fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærunt*, tum Martinus IV. in Bulla apud Vrbem veterem 4. Idus Ianuarij Pontificatus anno I. peculiariter vocans, *humiles eiusdem Ordinis Professores*, tum Bonifacius IX. in Bulla recitata in tabula veteri priuilegiorum Ordinis, *Fratres Ordinis Prædicatorum mundanis abiectis illecebris altissimo in humilitatis spiritu deseruire satagunt*, tum Innocentius IV. in data Lugduni 12. Kalendas

lendas Ianuarij Pontificatus anno 3. *humiles habitu, & affectu dilecti filij Fratres de Ordine Prædicatorum &c.* Igitur Dominicani immeritò superbire, & excedere supponuntur.

Secundò, in gloriando non excedit, qui licet quædam diuina bona in se fuisque commemoret non nisi tamen propterea in alio, quam in Domino, seu in Cruce Domini nostri Iesu Christi, gloriatur, iuxta exemplum Apostoli, qui in Epist. ad Galatas tametsi cap. 1. & 2. plura in se diuina bona commendasset, tamen cap. 6. subiungit, *mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Sed, vt apposité attestatur Alexander IV. relatus in Constitutionibus nostris pag. 1, *Fratres Prædicatorum Ordinis hi sunt, qui vitam, & merita B. Pauli Apostoli contemplantes gloriantur in sola Cruce Domini nostri Iesu Christi &c.* Non igitur, iuxta eiusdem Pontificis attestationem, in gloriando adhuc excedere dicendi sunt.

Tertiò, vt loquitur idem Apostolus 2. Corinthiorum cap. 10. *Sic gloriamur non in immensum sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Dominus*, & vt subdit S. Thomas 2. 2. quæst. 132. ar. 1. *Sic potest homo laudabiliter ad aliorum vtilitatem gloriam suam appetere secundum illud Matthæi 5. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*, & vt prosequitur in eadem 2. 2. quæst. 161. ar. 3, *neque hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero: nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundum illud 1. Corinth. 2. (vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis) & ideo absque præiudicio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata*. Sed Prædicatorum Ordini specialiter præ cæteris aliqua dona à Deo collata esse profitetur (dimissis cæteris) idem Pontifex Alexander IV. in eadem Bulla sic dicens: *hi sunt dilecti Deo, & hominibus, morum honestate conspicui, scientiæ titulis insigniti, quos æterni Patris benignitas inter plurimas personas diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attollẽda gloria, & fidelium procuranda salute specialiter elegit &c.* Et Eugenius IV. in Bulla Floren. pridie Idus Augusti Pontificatus sui 9. anno 1439. *inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, scientiæ dono &c. Doctrina magisterio, & Euangelizatione verbi Dei Prædicatorum Ordo dignoscitur specialiter insignitus*. Non superbire igitur reputandi sunt, si non quibuslibet, aut cuiuscunque alterius Ordinis donis hæc sua dona subijcere videantur, quinimmo licebit eisdem repetere cum S. Thoma lect. 3. ad præcitata Apostoli verba 2. Corinthiorum 10. *Hoc nos agentes non in immensum gloriamur, idest non excedimus mensuram nostram &c. commendando nos*.

Quartò, vt præueniens consimilem suæ commendationis censuram, ideò interrogando idem Apostolus in eadem epist. 2. ad Corinthios 3. anteà præmittebat, *Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendaritijs Epistolis ad vos aut ex vobis?* vbi S. Thomas lect. 1. *ne Corinthij obijcerent sibi, quod in hoc vellet commendare seipsum, statim excludit obiectionem, dicens, incipimus etc. & postquam mouit quæstionem respondet ibi, aut nunquid egemus &c. Dicit ergo: dico quod non incipimus commendare nosmetipsos, quia non indigemus commendatione etc. Quasi dicat, ego habeo bonas litteras, non indigeo alijs etc.* At similiter (proportione seruata, & inæqualitate simul) dicere valent Diui Patriarchæ Filij *habemus bonas litteras, non indigemus alijs* habentes videlicet tot Pontificum Bullas in sui Ordinis commendationem, vt præter antiquam

Praue.

priuilegiorum tabulam editam anno 1505.) de recenti Bullarium integrum Ordinis Prædicatorum à Magistro Gonzalez compilatum, & evulgatum Romæ legatur. Licebit igitur Dominicanis eisdem (eadem proportione seruata) repetere cum Apostolo, *nunquid incipimus nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs Epistolis etc.* Integrum sanè in præsenti volumen exposceretur, si præindicatas Pontificum in Prædicatorum Ordinem laudes exscribere tentaremus. Verum ne omnia prætereamus, & vt saltem ex paucis tot reliquæ dijudicentur, solum quæ sequuntur attingam. Honorius III. in data apud Sanctam Sabinam 2. Kalendas Ianuarij sui Pontificatus I. confirmans Ordinem prædicit eiusdem Ordinis Fratres, *futuros pugiles fidei, et vera Mundi lumina,* in altera apud Lateranum 4. Kalendas Aprilis Pontificatus anno V. eosdem appellat *Ecclesiæ Sanctæ pernecessarios*, Gregorius IX. apud Lateranum 6. Idus Maij Pontificatus anno I. sic habet, *quoniam abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit &c.* Innocentius IV. apud Lateranum 12. Kalendas Februarij Pontificatus anno I. *Cum vestri titulus Ordinis adeo sit insignis, quod vix creditur ab his, qui contra vos litteras impetrant, sine malitia subticeri*, & in altera apud Lateranum 3. nona Februarij, *qui Deum tota mente diligitis, & animarum profectus continua diligentia desudatis*, & in altera apud Lugdunum 12 Kalendas Ianuarij Pontificatus anno III. *ita perpetuo, & indeffesso ducuntur spiritu, quod eis nulla formido possit obsistere, quin liberè facienda subeant, quæ de Apostolica Sedis circumspecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriamur in Domino, quod ipse viris talibus suam muniuit Ecclesiam.* Nicolaus IV. Romæ 5. Kalendas Augusti Pontificatus anno I, *Ordo vester in agro Dominico superna dispositione plantatus, vberes in horreum Domini fructus infert*, Benedictus XI. apud Lateranum Idibus Februarij Pontificatus anno I. *in Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi Solis radijs, habitantibus in hac lacrymarum Valle, lux eruditionis elucet &c. in eorum labijs æternæ sapientiæ gratia diffusa est*, Ioannes XXII. Auenioni 8. Kalendas Martij Pontificatus anno XI. *sacer Ordo Prædicatorum in agro Dominico diuina dispositione plantatus, vt latius diffundatur per Orbem, ab Apostolica Sede meretur attolli*, Clemens VI. Auenione idibus Februarij Pontificatus anno II. post ingentes laudes Doctrinæ San. Thomæ, *& propterea dignum quinimmo debitum reputamus, vt Ordo prædictus in eadem Ecclesia longè, latèque diffusus, ob honorem, & reuerentiam prædicti Doctoris almifici, ac præfati Ordinis præclara merita, per Sedem Apostolicam spiritualibus foueatur præsidijs, et a cunctis vbique, qui Christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honoretur*, Bonifacius IX. Romæ apud Sanctum Petrum 5. Kalendas Maij Pontificatus anno XIII. *Alij feruentioris spiritus ardore succensi non timentes, sed amantes, ad conuersionem Infidelium anhelant &c. Hi profecto sunt Patres Ordinis Prædicatorum in Ecclesia Dei multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus Prædicationis per diuersa Mundi climata noscitur exiuisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicauit, & meritis.* Nicolaus V. 1449. apud Sanctum Petrum Idibus Martij Pontificatus anno III. *nostræ dirigentes considerationis obtutum ad vitam laudabilem, ac diuersarum, præsertim sacrarum litterarum scientiam admirabilem, nec non virtutes alias plurimas ac opera fructuosa, quibus religiosi Ordinis Prædicatorum continuò pollere noscuntur &c.* Leo X. apud Sanctum Petrum 22. Nouembris 1513. *cum inter cæteros &c. Ordo Prædicatorum magnos, & probitatis, & Doctrinæ,*

&

& animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur &c. nostris quoque periculosis temporibus Apostolicæ Sedis pacem, ac dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, Clemens VIII. Tusculi 5. Octobris 1604. *ex quo Ordine vberrimi in Ecclesia Dei fructus &c. ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodibunt &c.* Et præ cæteris Alexander IV. tum in data apud Lateranum 5. Aprilis Pontificatus III. *Status Ecclesiæ generalis per vestræ prædicationis ac doctrinæ salutaris instantiam diuina gratia suffragante multipliciter illustratur,* tum apud Viterbium 10 Kalendas Aprilis Pontificatus anno IV. *Ordinis vestri generosa plantatio multa religionis & honestatis flores, et fructus protulit, longè effuso latèque laudabilis conuersationis odore nos prouocat,* tum demum in illa, quæ legitur per extensum in limine constitutionum Ordinis pag. 1. *Cælestis ille agricola etc.* quæ prolixissima est, & tota quanta est in amplissima professorum Ordinis Prædicatorum elogia diffunditur, & pro eisdem integra ac iusta panegyris est. Hæc, & innumera similia Pontifices, quæ satis sunt, vt Dominicani (sicut præmisimus seruato humilitatis ordine) repetere valeant cum Apostolo: *Nunquid incipimus nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs epistolis apud vos aut ex vobis? habemus* (vt subdit S. Thomas ibidem) *habemus bonas litteras, non indigemus alijs.*

Quintò, vt inde pergebat idem Apostolus in eadem epist. 2. ad Corinthios cap. 10, *non audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis: id est,* vt exponit ibidem S. Thomas lect. 2. *non audemus similes nos facere quibusdam, qui seipsos tantum commendant, et tamen ab alijs, et à factis suis non commendantur. Sed ipsi nobis metientes etc. id est secundum ea, quæ sunt in nobis, commensuramus etc. et illa dicimus de nobis, quæ sunt proportionata nobis, id est commensurata.* At ita in proposito, si nos extollimus Ordinem nostrum ex eo etiam, quod ex Ordine nostro habuerimus Doctorem Almificum Ecclesiæ Aquinatem (quidquid fingendo in obiectione 6. diceretur) *secundum ea, quæ sunt in nobis, commensuramus,* quemadmodum antea id approbauit inter cæteros Clemens VI. in Bulla data Auinioni Idibus Februarij Pontificatus anno II. sic dicens: [attendentes, quod Ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis subcrescens, illum prælucidum ac fructuosum palmitem, B. videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac Doctorem egregium produxerit, ex cuius sapientiæ & doctrinæ scriptis, & traditis vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter.] Quidam autem alij, vt supra vidimus lib. 1. q. 8. & 9. ar. 1, quosdam suos, etsi non Sanctos, falsò iactant, & nuncupant *Ecclesiæ Doctores*, contra quos iactabundos nimis statim subiungere videtur Apostolus ibidem; *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat, id est,* vt (S. Thomas interpretatur lect. 3.) *non est probatus seu comprobatus à Deo, vel hominibus ille, qui seipsum commendat, sed quem Deus commendat, seu commendabilem facit bonis operibus & miraculis,* (quemadmodum reipsa præstitit Deus in eundem Sanctum Doctorem, summique Pontifices declararunt.) Neque in hoc igitur excedendo *inserimus nos, seu facimus nos similes quibusdam alijs, qui seipsos tantum commendant,* immo verè in hoc ipsi recognoscimus solum (vt concludit noster Gonet canone 1. de laudibus S. Thomæ) [non vltimam partem felicitatis

discipu-

rancnem, Ecclesiæ characterem, &c. mediatorem inter Deum & hominem, & Spiritus Sancti habitaculum. Iterum Epistola 84. ad eundem Basilium viuentem adhuc, hæc scribit. *Vnde ad celebrandum encomia tua ordiar? & quo nomine te vere & proprie appellabo? an columnam & stabilimentum Ecclesiæ vocabo? aut luminare mundi, vt apostolico more loquar, aut coronam gloriationis sanæ Christianorum parti? vel donum Dei? aut Legatum veritatis, vel simul omnia hæc, hisque plura?* Basilius inuicem referibens Nazianzeno inter cætera eum *Os Christi* nuncupauit, Gregorius Nissenus in vita S. Ephrem Syri, Ephrem Syrum eundem vocat, *os Ecclesiæ*, & addit: *Nunquam hic veritatis filius ab ipsa deflexit veritate*, Petrus Cluniacensis epist. 264. inter D. Bernardi epistolas dicere non vereiur eundem adhuc viuentem Bernardum *totius Ecclesiæ Dei columnam*. Damascenus sermone de Defunctis appellat Athanasium, *Ecclesiæ Dei fundamentum*, & Nazianzenus Oratione de laudibus Athanasij vltro addit, *Egregium Ecclesiæ columen, vt ipsius dogmata pro fidei Orthodoxæ lege haberentur*, vt omittam mox alibi Nazianzenum eundem Basilio scribentem, *profecto Dei calculus suus calculus est*, mox afferentem epist. 20. eundem Basilium, *calamum in Spiritus Sancti pixide intinxisse*. Hæc quæso, & similia, quæ sparsim in Sanctorum Patrum opusculis perleguntur, confer modo cum ijs, eorumque supremis elogijs, in quibus pro commendanda Angelici Præceptoris doctrina accusantur Thomistæ, & seposito partium studio vel ipse discernes, an eisdem Thomistis excessus aliquis, in proposito, iure merito, vel data fingendi licentia imputari queat?

Ad primum igitur (in quo Alua dimisso Ægidio Romano, qui prior omnibus mortuo vix Aquinate in defensorio eiusdem ab initio vocauit eiusdem opera, *spiritu veritatis instigante conscripta*, vt solis nostris imponeret hoc velut recens inuentum) socium in primis aduocare possemus pro responsione Theophilum Raynaudum, quem idem Alua indicabat nodo 16. pag. 701. sibi in opponendo collegam, dum tomo 18. idem Theophilus in apologia in Iulium Clementem Scotum non inficiatur obiectum similiter suis commendatissimis Patribus prædicari fundatorem Societatis *ex scientia cælitus infusa tradidisse omnia, quæ habentur in Constitutionibus & continentur in instituto, cui nihil addi vel minui possit*. (de quo libro etiam consuli posset Enricus Noris Ordinis Eremitarum in Vindicijs Augustinianis pag. 205.) Sed nos vt ista obiectata repellimus à pijssimis illis Patribus, sic eisdem aut cæteris aliorum exemplis non indigemus; cum pateat iam, ex relatis hucusque, cui innitantur in hoc asserto Thomistæ, & in quo sensu ex distinctione relata numero 9. id verum sit, absque eo, quod inde inferatur absurdum intentum ab arguente, doctrinam scilicet San. Thomæ esse infallibiliter veram (vt inferebat obijciens) non minus ac si canonica doctrina foret, vti nec sequitur absurdum hoc de doctrina illorum Patrum, quos num. 8. similiter dictos esse *Spiritu Sancto inspirante scripsisse* relatum est.

Ad secundum præter exempla similia aliorum Patrum iam recitata de insidentie ad aures columbæ specie, quid aliud, quæso, hoc est, quam iuxta canonismi Bullam, aliaque adducta mox ante, *Dominum impleuisse S. Thomam Spiritu sapientiæ & intellectus*, vt ibi Pontifex loquebatur, eundemque S. Thomam, scripta sua *non absque speciali infusione perfecisse?* quemadmodum noster Coquetius aiebat, & ex vno alterum inferebat; quem Coquetium incusat Alua, *quasi primus Spiritum Sanctum columbæ specie affinxerit ad aurem D. Thomæ*. *Sed* (vt loquitur

quitur Baronius noster lib. 1, sect. 2. ar. 5. § 4.) *Contra Aluam pro Chosquetio proferuntur tapetes ab anno 1540 acu elaborati, & imagines ab anno 1497 pictae, quibus eadem forma columbae Spiritus Sanctus ad aurem D. Thomae dicenda suggerebat;* huicque rei allusisse videtur Vrbanus IV, *qui in remunerationem compositi officij de Corpore Christi* (vt loquitur è Societate Cornelius Hazart in Vrbano IV, & repetit Iustus Camus pag. 75) *argentea S. Thomam columba donauit.*

Ad tertium, in quo non tam Dominicanorum assertum quam Ecclesiasticae preces id habentes in Lectionibus S. Thomae impetuntur, & audacissimè impugnantur, remitto pro solutione arguentem ad Spartianum in Adriano de eodem Ethnico Imperatore dicentem: *vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum Amicis fabulatus est.* Remitto ad Plinium lib. 2, historiae naturalis cap. 24. de Iulio Caesare longe his maiora attestantem his verbis: *Scribere & legere simul, dictare & audire, solitum accepimus: Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librarijs dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas;* Quibus (ne forte te minus fidere Plinio dicas) Suetonius, & Plutarchus de re eadem concinunt in vita eiusdem; & postea incredibile erit Doctorem Angelicum tot diuinis adiutum dotibus id praestitisse, immo minus eo potuisse, quod Ethnico homini per solas naturae vires sic legitur attributum? Sanè (ni mea me fallit opinio) qui similem ei deneget parilitatem, immo non admittat in Sancto Doctore Ecclesiae in re proposita prae Ethnico homine praecellentiam, videat ipse, ne illorum sectarius sit, quos adeo dementatos fuisse Parisijs enarrat cum censura Caesarius lib. 5, historiarum cap. 22. vt asserere non erubescerent, *sic Deum loquutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino.* O impudentiam! O dignam fustibus potius quam calamo temeritatem! Expedit enim (vt loquebatur sapiens Prouerbiorum 10.) *Virga in dorso eius, qui indiget corde.*

Ad quartum, quid, obsecro, mali foret post dictatam à S. Thoma vigilante materiam, etiam eo dormiente, & ex vehementi impressione specierum praeordinatarum quandoq; syllogizante, ex inde scriptorem aliquem quandoque etiam paucos quosdam syllogismos ex ore dormientis excepisse, exceptosque iam traditae adiunxisse materiae, scilicet (vt notanter aiebat ex Thoco Porrecta) *continuando materiam?* An forte nos latet id, quod plurimi experiri solent & docuit iam diu idem S. Thomas p. p. q. 84. ar. 8. ad 2. dicens? *quod si adhuc in somno motus vaporum magis sedetur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime solet contingere in fine dormitionis & in hominibus sobrijs & habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non solum imaginatio remanet libera, sed etiam ipse sensus communis ex parte soluitur ita quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quae videt somnia esse, quasi dijudicando inter res & rerum similitudines &c. Sic igitur per modum, quo sensus soluitur, & imaginatio in dormiendo, liberatur iudicium intellectus.* Haec S. Thomas vt explicaret illud suae obiectionis subsumptum, *Contingit quandoque quod aliquis dormiendo syllogizet.* Quid mirum igitur id dormienti per somnum adhuc naturalem Angelico Praeceptori contigisse? quid vltro prohibet & dormienti eidem quandoque etiam aliquas illarum caelestium illuminationum (quibus ex dictis assuetus erat) inter insomnia accessisse? vt id non semel fieri docet idem S. Doctor 2. 2. q. 174. ar. 1. ad 3, cum Isidoro recitato ibidem, & iterum ar. 3. cum Augustino, & q. 12. de veritate ar. 3. cum Gregorio Magno; quinimmo in p. p. q. 12. ar. 11. id magis in

in somnis fieri probat à priori, *quia anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior, vnde in somnijs & alienationibus à sensibus corporis magis diuinæ reuelationes percipiuntur*; ideoque de his intelligi solet, & ad idem adaptari, illud Canticorum 5. *Ego dormio & cor meum vigilat*, quemadmodum inter cæteros Rubertus ad hæc verba subiungit, *secundum corpus dormiunt, & secundum animam cælestia vident*, & Ambrosius Epistola 23 ad Anysium, *est itaque & Sanctorum somnus operarius, secundum quod scriptum est: Ego dormio & cor meum vigilat*, & alij passim expositores in eundem locum id repetunt: nec demum aliud de S. Thoma dormiente quam idipsum intellexisse Gulielmum Thocum euincunt subiuncta ab eodem hæc verba, *vt intellectualis scilicet anima a carnis onere videretur esse soluta, & dicere posset: Ego dormio & cor meum vigilat, qui etiam vigilans cum Deo contemplationis otio dormiebat*. Poterat ne manifestius aut verius, iuxta notata ex Patribus, Thocus interpretari, quod scripsit, edisserare, quod sensit? eratne igitur noster vere Euangelicus Ioseph (cui nec molestia Fratrum, nec custodia carceris, nec mulieris insidiæ defuerunt, & demum supra sapientes, seu Scholasticos reliquos, principatus) eratne, inquam, ab inuidis eiusmodi Fratribus simili sarcasmo excipiendus, vti antiquo Ioseph illudebant Fratres aientes: *Ecce somniator venit, nunquid Rex noster eris, & subijciemur ditioni tuæ?* Sed vero *Pater rem tacitus considerabat*, vt dicitur Genesis cap. 37, & Summus Pontifex tandem, supremus Ecclesiæ Pater, etiam dormienti sapientiæ filio Aquinati post orationem immissam reuelationem thematis assumendi Parisijs, in canonizationis Bulla probauit, *vt scilicet*, inquit, *illud psalmi, rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum saciabitur terra, in eo verissime impleretur, quod thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina incepturus, assumpsit, quodque* (vt ibidem describitur, & in cap. 6. & 7. processus canonizationis habetur) *reuelatione sibi post orationem facta didicerat*. Hæc in Bulla Pontificis.

Ad quintum, omisso in fronte libri Escobar quatuor animalium, & viginti quatuor Seniorum delineamentis, & nominibus, longe quosdam D. Thoma inferiores scriptores exhiberi; etsi rursus molesta sit semper comparatio inter Sanctos (vt monet Hieronymus in Epitaphio Marcellæ ab initio) recolenda tamen est consuetudo etiam Ecclesiæ, quæ in officio passim alicuius Sancti particularis ea verba accommodari permittit, *non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi*, absque eo quod cæterorum Sanctorum laudes minuantur, atque decrescant; repetenda simul non semel est animaduersio Gregorij Magni homilia 10. in Ezechielem, *hoc agere Deum in cordibus hominum, & in dispensatione charismatum, quod facit in regionibus terrarum*, vt, sicut inuicem vna regio in altero fructu superior est, & si in altero altera inferior, *sic mentes Sanctorum quædam vicissim sibi conferant*, de his peculiaribus dotibus, in quibus inuicem se excedunt; nec inde mirum & Thomam Aquinatem cæteris sine dubio quatuor Ecclesiæ Doctoribus in aliqua, eaque non vna (quod non negât nostri) prærogatiua posteriorem, in altera aliqua dote velut Angelicum quodammodo apud aliquos anteponi, atque hoc modo alijs sub specie Hominis, Bouis, Leonis, aut Aquilæ in iconculis quibusdam (quas sane typographi excussere non nostri) prælatum esse, quemadmodum in hoc sensu etiam in festo eiusdem Aquinatis Ecclesia canit: *Augustinus Fratri sic loquitur. Thomas mihi*

par

par est in gloria, virginali praestans munditia, & Ioannes à S. Thoma disp. 1. ar. 4. in ordine ad reliquos Ecclesiæ Doctores repetebat, *specialiori modo Ecclesiam approbasse doctrinam D. Thomæ & Augustini quam aliorum Doctorum*, in eodemque sensu, præter nostrum Ignatium Galuanium de simili dicto immerito accusatum ab Alua nodo 4. §. 1. pag. 364. etiam Biescas q. procemiali in p. p. dubio 12. id ex professo pertractans subiungit duas alias pro S. Thoma prærogatiuas, *quod scilicet eius doctrina est necessaria ad intelligendos Sanctos Ecclesiæ Doctores securius & vtilius, vt à me (inquit) dubio 10. ostensum est, & quod rursus ipsa sola contineat in se doctrinas veras omnium Sanctorum Patrum. Vnde & in Breuiario Romano de S. Thoma his concinendo concluditur: scripta eius & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt, vt ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici iure adeptus sit*. Vide excellentiam, & in quo ista præ reliquis sita sit, quamuis alij Ecclesiæ Doctores simpliciter superiores in alijs sine dubio sint, vt scite animaduertit noster iterum Ioannes à S. Thoma, eadem disput. 1. tum art. 3. dicens. *Quod vero dicitur ex hoc sequi D. Thomam esse super omnes Patres. Respondeo non esse supra, sed esse omnium discipulum, florem enim veritatis eorum in omnibus collegit, & ideo approbatio eius est approbatio omnium Patrum*, tum ar. 4. ad 1. *Nec in hoc fit iniuria alijs Doctoribus & Patribus, quia Doctrina D. Thomæ tota est ex Patribus & in ipsius approbatione omnes honorantur*, & infra ad primam confirmationem tertij argumenti, *nec per hoc*, inquit, *omnibus Patribus præfertur D. Thomas, sed potius vt eorum vestigia sequens laudatur, & sic omnium Patrum sancta doctrina in eo approbatur*. Vide igitur Lector, an isti responsioni, qua singula ab arguente recitata soluuntur (si semel ea vera sint, quæ de Anonymo etiam concionatore referuntur) an huic, inquam, responsioni conueniant ac faueant, quæ in tomum septimum Bibliothecæ veterum Patrum in Sophronio cap. 128. notat Censura Romana edita sub Brasichelensi circa consimilem reuelationem Abbati factam de Chrysostomo viso in Cœlo prope thronum Dei, ideo similiter ex Baronio ad annum 407. num. 32. in eodem sensu mox ante à nobis adducto eam interpretando, *nimirum non esse quidem verisimile Chrysostomum in Cœlo potiorem locum obtinere supra Doctores omnes Ecclesiæ, Verbi gratia supra Athanasium &c. tamen has fieri quoque visiones, seu reuelationes interdum, non ad ostendendam superioritatem sed excellentem quandam & peculiarem cuiuspiam Beati prærogatiuam, qua alijs præeminuit, cuiusmodi fuit zelus iustitiæ in Chrysostomo, indeque merito visus assistere throno*. Hæc ibi, quæ vti penitus nostræ explicationi consentiunt, ita præadductæ omnino oppositioni respondent; tametsi rursus extranei potius quam nostri S. Thomæ laudatores impeterentur, inter quos etiam Egnatius celebris aliunde scriptor in præfatione librorum contra gentiles aiebat, *S. Thomam à Diuis Petro & Paulo reliquisque Christianæ Religionis heroibus aut primum esse, aut si quis non facilis hoc concesserit, vt non primum eum censeat, nullos saltem primos post Petrum & Paulum, omnes cum Thoma secundos numerandos esse*. Et vniuersim inde (vt claudam) Eminentissimus ille Pallauicinus (cuius nomen simul cum sacrosancti historia Tridentini Concilij perenniter permanebit) in Epistola nuncupatoria ad lib. 7. de virtute & Sacramento Pœnitentiæ, post eximias D. Thomæ laudes, pro nostrorum omnium in re proposita defensione claudebat sic. *Id ex me sæpe audiunt, qui me audiunt: quamuis tanta sit D. Thomæ & sectatorum frequentia, & laudatorum ap-*

probatio, vtramque tamen adeo infra S. Thomæ merita mihi videri, vt inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem, vel aspernari cogar vel miserari.

ARTICVLVS II.

An Dominicani similiter excesserint in superextollendo Ordinem suum.

Videtur sic affirmandum Auctori Diatribarum non semel, & in primis Diatriba 1. §. 3. *Inde enim, inquit, vnusquisquam Cyriacus, audiente Alphonso de Castro, de sacro suggestu dixit, neminem, qui vestem Cyriacorum aliquando induerit, posse in hæresim labi. Ita refert Castro lib. 1. contra hæreses cap. 9, & ex eo Wadinghus anno* 1371 *num.* 27. Et tamen (vt subdit §. 5.) *eam vestem induerant Martinus Bucerus, Ioannes Paleologus Romæ summo Pontifice Gregorio XIII. combustus, Petrus Paulus de Bellis, & alij in hæresim prolapsi ac hæresibus immortui &c. Et ille trans Pyreneos Provincialis*, qui origine Hebræus, licet suscepto Baptismate, sub horam mortis professus est (vt obijciens enarrat) se interius mansisse hebræum, *fœdumque spiritum expuit non hæreticus dumtaxat, sed etiam Apostata à fide, & tamen vestem Cyriaci pretulerat. Eandem vestem* (vt pergit §. 6.) *item præferebat Frater Matthæus Grabon, qui à Martino Quinto, & Concilio Constantiensi, agentibus Petro Cardinali de Aliaco & Gersone Accademiæ Parisiensis Cancellario, damnatus est de hæresi circa largitionem eleemosinæ, ac paupertatem Euangelicam, & liber eius combustus; nec minus Bartholomæus Charanza, qui apud Hyspanos Quæsitores, & Romæ apud Gregorium XIII. de hæresi iudicia subijt. Itidem capta à Moschis vrbe Smolenchi, quæ in extrema Lithuania est ad Moschorum fines* (vt prosequitur §. 7.) *ablegatis Iesuitis pro more hostium fidei Romanæ, rati Cyriaci eam sedem Cænobio, quod in vrbe habebant, commodiorem, Collegium vacuum sibi deposcunt ac fidem catholicam eiurant, non vnus aut alter, sed Cænobium vniuersum, lubentesque consentiunt in Anabaptismum iterato baptizati omnes &c. vt hæc (inquit) describuntur in litteris editis Varsauiæ* 14. *Decembris anni* 1654. *quo contigerunt.* Contra veritatem igitur excedunt Cyriaci seu Dominicani in sui Ordinis laudem, vti mox ante de deferente eorundem vestem referebatur.

Secundò, quia ne dum *Hiacynthus Coquetius in libro suo de Visceribus maternis B. Virginis erga Ordinem Prædicatorum, (quem animam simplicem* vocat, & valdè exagitat idem auctor Diatribarum Diatriba 6. §. 105.) verum etiam pleriq; alij eiusdem Ordinis referunt eam visionem, in qua B. Dominico anxio de suis reuelati sunt plures Cyriacorum in Cœlo sub pallio Virginis delitescentes. At hoc est planè arrogare prædictis in Cœlis potiorem locum supra eximios tot reliquos Ordines Sanctorum, quod in simili visione reprehendit ex aliorum auctoritate Baronius ad annum 407. num. 32. eamque visionem (de qua apud Baronium agebatur) & si D. Chrysostomo fauorabilem in dubium reuocat. Ergo à fortiori in proposito pro suis laudandis, ac pro suo Ordine Dominicani excesserunt.

Tertiò, ad extollendum Ordinem Prędicatorum tamquam singulari patrocinio D. Magdalenæ fruentem (vt opponit idem Auctor Diatriba 6. §. 100.) *plenam miraculi, Caroli II. Siciliæ Regis, & Prouinciæ Comitis liberationem à captiuitate, qua apud Aragonios detinebatur, factam interuentu B. Mariæ Magdalenæ narrant plerique Dominicani, ex quibus Siluester Prierates in Rosa aurea tractatu* 2. *in sermone*

mone in Feriam 5. Octaua Paschatis &c. Ac si nimirum, dum ille victus ab Aragonio sub annum 1274. in Barchinonensi carcere indubitatam mortem opperiretur, de consilio confessarij Ordinis Prædicatorum imploranti opem D. Magdalenæ, hæc ipsa apparuerit per noctem admonens vt se sequeretur, eiq; inopinato in sua reducto detexerit Reliquias suas in Oravel loco S. Maximini latere, easque *suis Fratribus Ordinis Prædicatorum* committere, eorumque ditare Cœnobium iniunxerit. Et tamen (subdit idem Auctor opponens) *Historici Galli totam de Carolo per Magdalenam liberato narrationem & translationem Caroli adeo subitam &c. ablegant ad Deum Fabulinum; Carolum enim ad suos inita pace cum Aragonio liberum remeasse absque miraculo, ut exploratum, ponunt.* Igitur Dominicani ne dum aduersus prudentiam, sed veritatem, in suum extollendo Ordinem excesserunt.

Quartò, vt obijcit idem eadem Diatriba §. 97. [Frater Ludouicus Vretè Dominicanus in suo satis spisso volumine de rebus Abassinorum &c. inter alia ait, per Abassinam vniuersam esse multa Ordinis Cœnobia, sed duo præ cæteris celebria, quæ de Plurimanis, & Alleluia nominantur. In priore ait degere nouem millia religiosorum Ordinis Prædicatorum, in posteriore septem millia &c. & (quod impium, & perniciosum est) cum multos Cælites fictitios ex Ora illa & Ordine suo inferat Cælo, factum est, ut improuidi aliqui (ut Siluanus Razzius, & Antonius Balinghen, & Congestor Exemplorum) per eum acti in fraudem &c. retulerint in indices Sanctorum, & aut colendos, aut imitandos proposuerint hos Cælites Vretianos &c.] Hæc autem commenta esse idem auctor subiungit cum Nicolao Lodigno libro 1. de rebus Abassinorum, cap. 34, *qui*, inquit, *manifestis argumentis, & oculatorum testium relatione conuincit omnia prædicta sordere continuo mendacio.* Igitur excedunt adeo Dominicani pro Ordine suo, vt quædam etiam ne dum ridiculè, sed perniciosè confingant.

Quintò, huc reuocabat idem Auctor Diatriba 8. § 127. id quod *narrabat*, vt ipse loquitur [Abbas Vallumbrosianus, ex sui cuiusdam domestici, diù inter Dominicanos versati, testificatione; Dominicanorum à supremo ad imũ, & à primo vsque ad vltimum, cogitationes, verba, & opera, promotionem ac primatum redolere. In eo spiritu adolescunt minores, consenescunt maiores, nemo huius curæ, & sollicitudinis exors &c. Vnde contentiones cum reliquis omnibus Ordinibus de præcedentia Contiloriano scripto asserta, & anterius quoque ab Archidiacono in cap. de Decimis in 6. & à Felino in Rubri. de Maiorit. & Obed. & in caput *cum dilecta* V. Ordo Scripturæ, præter alios à Fratribus ad id conductos apud Chassanæum in Cathalogo par. 4. consid. 73. Ex eodem fonte prodijt, Canonicorum, Clericorumque Regularium tentata depressio, & Sedes ante quoscunque Generales in Concilio Tridentino, & in suppositionibus, supplicationibus publicis prerogatiua in procedendo.] Hoc autem (inquit idem oppositor) *Iudaicum vitium esse notatum est à Iustino in Dialogo, dum scilicet Iudæi acti Cacozelia nascentem Christi Ecclesiam specie honoris Dei, & tuendorum Mosis institutorum, insequebantur*, & ex eo similiter agere Dominicanos supponit, quod *quæ sua sunt quærant, non quæ Iesu Christi, non iustitiæ, sed causæ suæ velificantes.* Nimis igitur Dominicani in rebus sui Ordinis excedere assueti sunt.

Sextò, vt idem prosequitur pag. 128. [ex eodem fonte pariter manauit

indictio silentij omnibus, qui quoquo modo velint obstrepere receptis apud Dominicanos placitis, etiamsi inexplicabilibus, pro quibus, si quis dicat hoc esse inconceptibile, & inintelligibile, Respondent cum Bannez 1. parte quæst. 23. art. 5. in examine tertiæ opinionis, & cum Cabezudo tertia parte qu. 62. ar. 1. difficul. 7. ad 5. (Si non intelligunt, credant). Contra hanc autem Idololatriam (vt vocat Alarcon) figmentis suis à Thomistis exhibitam, pugnant fortissimè Diego Alarcon tract. de Visione Dei disp. 2. cap. 11. nu. 20. scribens: (sunt nonnulli Thomistæ, qui cum præstigijs velint intellectum nostrum deludere, suadere nobis volunt commenta, quasi fidei documenta &c. profectò puto Idololatriam quamdam &c.) & Didacus Ruiz disputat. 59. de Scientia Dei sect. 1. & benè quoque Ægidius à Præsentatione dicens, non esse Theologi, nisi Capitosi recurrere ad mysterij altitudinem, vbi id fides non docet.] In vtroque igitur Dominicani tam pro sua Doctrina Scholæ, quam pro sui Ordinis laude excessisse videntur, immo ex illo priori, quo ad Doctrinam, (de quo etiam in antecedenti articulo dictum est) posterior iste excessus quo ad Ordinem promanasse ab eodem Oppositore ab initio §. 4. supponebatur.

In oppositum tamen est, quod ut aiebat in simili Seneca libro de Vita Beata cap. 18. *nec malignitas me ista multo veneno tincta deterrebit ab optimis: nec virus quidem istud (quo alios spargitis, vos necatis) me impediet quominus perseuerem laudare vitam &c. Expectabo scilicet, vt quidquam maleuolentiæ inuiolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato?* Immo cui maleuolentiæ, neque equidem sacer fuit nobilissimus Ordo (quem benè Auctor Diatribarum agnoscit) dum, omissis innumeris vulgatis satyris in eundem, apud Theophilum Raynaudum tomo 18. Apologia in Iulium Clementem Scotum hic ipse desertor *illud institutum* (cuius nomini honorique parco) *prædicari opponebat à suis omnium perfectissimum, & cui nullum par fuerit, vel par esse possit, nullum fermè sanctum esse, ex Fundatoribus saltem Religionum, cui tantum debeat Ecclesia, ac Fundatori suo, huncque alterum Saluatorem appellari*. Hæc ille. Hincque ijdem dicebantur (vt habetur in relatione Venerabilis Ludouici Soteli Minoritæ Episcopi de re Iaponica, & repetit Iustus Camus in Ismaele) *Sua magnificare, exaltare, & publicare, nec agnoscere sibi vllos in sanctitate, scientia, vel auctoritate æquales*. Vti igitur falso de hoc ipso laudandi excessu accusari supponimus laudandos vtique semper eiusdem Ordinis sectatores, ita in hoc simili earundem obiectionum proposito culpari nunc falso nostros homines reputamus.

Respondeo immerito Dominicanis excessum aliquem in sui Ordinis laudem imputari. Primo quidem, nam ita excedentes, vt auctor Diatribarum opponebat, ambitionis spiritu aguntur, *& quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*. At ex aduerso se habent Dominicani, (vt loquitur Pontifex Gregorius IX. in Bulla apud Lateranum 6. idus Maij Pontificatus anno 1. scribens) *Ordinem dilectorum Fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærunt*, tum Martinus IV. in Bulla apud Vrbem veterem 4. Idus Ianuarij Pontificatus anno I. peculiariter vocans, *humiles eiusdem Ordinis Professores*, tum Bonifacius IX. in Bulla recitata in tabula veteri priuilegiorum Ordinis, *Fratres Ordinis Prædicatorum mundanis abiectis illecebris altissimo in humilitatis spiritu deseruire satagunt*, tum Innocentius IV. in data Lugduni 12 Kalendas

Google

lendas Ianuarij Pontificatus anno 3. *humiles habitu, & affectu dilecti filij Fratres de Ordine Prædicatorum &c.* Igitur Dominicani immeritò superbire, & excedere supponuntur.

Secundò, in gloriando non excedit, qui licet quædam diuina bona in se suisque commemoret non nisi tamen propterea in alio, quam in Domino, seu in Cruce Domini nostri Iesu Christi, gloriatur, iuxta exemplum Apostoli, qui in Epist. ad Galatas tametsi cap. 1. & 2. plura in se diuina bona commendasset, tamen cap. 6. subiungit, *mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Sed, vt appositè attestatur Alexander IV. relatus in Constitutionibus nostris pag. 1, *Fratres Prædicatorum Ordinis hi sunt, qui vitam, & merita B. Pauli Apostoli contemplantes gloriantur in sola Cruce Domini nostri Iesu Christi &c.* Non igitur, iuxta eiusdem Pontificis attestationem, in gloriando adhuc excedere dicendi sunt.

Tertiò, vt loquitur idem Apostolus 2. Corinthiorum cap. 10. *Sic gloriamur non in immensum sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Dominus*, & vt subdit S. Thomas 2. 2. quæst. 132. ar. 1. *Sic potest homo laudabiliter ad aliorum vtilitatem gloriam suam appetere secundum illud Matthæi 5. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*, & vt prosequitur in eadem 2. 2. quæst. 161. ar. 3, *neque hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero: nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundum illud 1. Corinth. 2. (vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis) & ideo absque præiudicio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata.* Sed Prædicatorum Ordini specialiter præ cæteris aliqua dona à Deo collata esse profitetur (dimissis cæteris) idem Pontifex Alexander IV. in eadem Bulla sic dicens: *hi sunt dilecti Deo, & hominibus, morum honestate conspicui, scientiæ titulis insigniti, quos æterni Patris benignitas inter plurimas personas diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attollẽda gloria, & fidelium procuranda salute specialiter elegit &c.* Et Eugenius IV. in Bulla Floren. pridie Idus Augusti Pontificatus sui 9. anno 1439. *inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, scientiæ dono &c. Doctrinæ magisterio, & Euangelizatione verbi Dei Prædicatorum Ordo dignoscitur specialiter insignitus.* Non superbire igitur reputandi sunt, si non quibuslibet, aut cuiuscunque alterius Ordinis donis hæc sua dona subijcere videantur, quinimmo licebit eisdem repetere cum S. Thoma lect. 3. ad præcitata Apostoli verba 2. Corinthiorum 10. *Hoc nos agentes non in immensum gloriamur, idest non excedimus mensuram nostram &c. commendando nos.*

Quartò, vt præueniens consimilem suæ commendationis censuram, ideò interrogando idem Apostolus in eadem epist. 2. ad Corinthios 3. anteà præmittebat, *Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs Epistolis ad vos aut ex vobis?* Vbi S. Thomas lect. 1. *ne Corinthij obijcerent sibi, quod in hoc vellet commendare seipsum, statim excludit obiectionem, dicens, incipimus etc. & postquam mouit quæstionem respondet ibi, aut nunquid egemus &c. Dicit ergo: dico quod non incipimus commendare nosmetipsos, quia non indigemus commendatione etc. Quasi dicat, ego habeo bonas litteras, non indigeo alijs etc.* At similiter (proportione seruata, & inæqualitate simul) dicere valent Diui Patriarchæ Filij *habemus bonas litteras, non indigemus alijs* habentes videlicet tot Pontificum Bullas in sui Ordinis commendationem, vt (præter antiquam

priuilegiorum tabulam editam anno 1505.) de recenti Bullarium integrum Ordinis Prædicatorum à Magistro Gonzalez compilatum, & evulgatum Romæ legatur. Licebit igitur Dominicanis eisdem (eadem proportione seruata) repetere cum Apostolo, *nunquid incipimus nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs Epistolis etc.* Integrum sanè in præsenti volumen exposceretur, si præindicatas Pontificum in Prædicatorum Ordinem laudes exscribere tentaremus. Verum ne omnia prætereamus, & vt saltem ex paucis rot reliquæ dijudicentur, solum quæ sequuntur attingam. Honorius III. in data apud Sanctam Sabinam 2. Kalendas Ianuarij sui Pontificatus I. confirmans Ordinem prædicit eiusdem Ordinis Fratres, *futuros pugiles fidei, et vera Mundi lumina*, in altera apud Lateranum 4. Kalendas Aprilis Pontificatus anno V. eosdem appellat *Ecclesiæ Sanctæ pernecessarios*, Gregorius IX. apud Lateranum 6. Idus Maij Pontificatus anno I. sic habet, *quoniam abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit &c.* Innocentius IV. apud Lateranum 12. Kalendas Februarij Pontificatus anno I. *Cum vestri titulus Ordinis adeo sit insignis, quod vix creditur ab his, qui contra vos litteras impetrant, sine malitia subticeri*, & in altera apud Lateranum 3. nona Februarij, *qui Deum tota mente diligitis, & animarum profectus continua diligentia desudatis*, & in altera apud Lugdunum 12 Kalendas Ianuarij Pontificatus anno III. *ita perpetuo, & indefesso ducuntur spiritu, quod eis nulla formido possit obsistere, quin liberè facienda subeant, quæ de Apostolicæ Sedis circumspecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriamur in Domino, quod ipse viris talibus suam muniuit Ecclesiam*, Nicolaus IV. Romæ 5. Kalendas Augusti Pontificatus anno I, *Ordo vester in agro Dominico superna dispositione plantatus, vberes in horreum Domini fructus infert*, Benedictus XI. apud Lateranum Idibus Februarij Pontificatus anno I. *in Ordine Fratrum Prædicatorum, quasi Solis radijs, habitantibus in hac lacrymarum Valle, lux eruditionis elucet &c. in eorum labijs aeternæ sapientiæ gratia diffusa est*, Ioannes XXII. Auenioni 8. Kalendas Martij Pontificatus anno XI. *sacer Ordo Prædicatorum in agro Dominico diuina dispositione plantatus, vt latius diffundatur per Orbem, ab Apostolica Sede meretur attolli*, Clemens VI. Auenione idibus Februarij Pontificatus anno II. post ingentes laudes Doctrinæ San. Thomæ, *& propterea dignum quinimmo debitum reputamus, vt Ordo prædictus in eadem Ecclesia longè, latèque diffusus, ob honorem, & reuerentiam prædicti Doctoris almifici, ac præfati Ordinis præclara merita, per Sedem Apostolicam spiritualibus foueatur præsidijs, et a cunctis vbique, qui Christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honoretur*, Bonifacius IX. Romæ apud Sanctum Petrum 5. Kalendas Maij Pontificatus anno XIII. *Alij feruentioris spiritus ardore succensi non timentes, sed amantes, ad conuersionem Infidelium anhelant &c. Hi profectò sunt Patres Ordinis Prædicatorum in Ecclesia Dei multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus Prædicationis per diuersa Mundi climata noscitur exiuisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicauit, & meritis*. Nicolaus V. 1449. apud Sanctum Petrum Idibus Martij Pontificatus anno III. *nostra dirigentes considerationis obtutum ad vitam laudabilem, ac diuersarum, præsertim sacrarum litterarum scientiam admirabilem, nec non virtutes alias plurimas ac opera fructuosa, quibus religiosi Ordinis Prædicatorum continuò pollere noscuntur &c.* Leo X. apud Sanctum Petrum 22. Nouembris 1513. *cum inter cæteros &c. Ordo Prædicatorum magnos, & probitatis, & Doctrina,*

&

& animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur &c. nostris quoque periculosis temporibus Apostolicæ Sedis pacem, ac dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, Clemens VIII. Tusculi 5. Octobris 1604. *ex quo Ordine vberrimi in Ecclesia Dei fructus &c. ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodibunt &c.* Et præ cæteris Alexander IV. tum in data apud Lateranum 5. Aprilis Pontificatus III. *Status Ecclesiæ generalis per vestræ prædicationis ac doctrinæ salutaris instantiam diuina gratia suffragante multipliciter illustratur*, tum apud Viterbium 10 Kalendas Aprilis Pontificatus anno IV. *Ordinis vestri generosa plantatio multa religionis & honestatis flores, et fructus protulit, longè effuso latèque laudabilis conuersationis odore nos prouocat*, tum demum in illa, quæ legitur per extensum in limine constitutionum Ordinis pag. 1. *Cœlestis ille agricola etc.* quæ prolixissima est, & tota quanta est in amplissima professorum Ordinis Prædicatorum elogia diffunditur, & pro eisdem integra ac iusta panegyris est. Hæc, & innumera similia Pontifices, quæ satis sunt, vt Dominicani (sicut præmisimus seruato humilitatis ordine) repetere valeant cum Apostolo: *Nunquid incipimus nosmetipsos commendare? aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs epistolis apud vos aut ex vobis? habemus* (vt subdit S. Thomas ibidem) *habemus bonas litteras, non indigemus alijs.*

Quintò, vt inde pergebat idem Apostolus in eadem epist. 2. ad Corinthios cap. 10, *non audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis: id est*, vt exponit ibidem S. Thomas lect. 2. *non audemus similes nos facere quibusdam, qui seipsos tantum commendant, et tamen ab alijs, et à factis suis non commendantur. Sed ipsi nobis metientes etc. id est secundum ea, quæ sunt in nobis, commensuramus etc. et illa dicimus de nobis, quæ sunt proportionata nobis, id est commensurata.* At ita in proposito, si nos extollimus Ordinem nostrum ex eo etiam, quod ex Ordine nostro habuerimus Doctorem Almificum Ecclesiæ Aquinatem (quidquid fingendo in obiectione 6. diceretur) *secundum ea, quæ sunt in nobis, commensuramus*, quemadmodum antea id approbauit inter cæteros Clemens VI. in Bulla data Auinioni Idibus Februarij Pontificatus anno II. sic dicens: [attendentes, quod Ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis subcrescens, illum prælucidum ac fructuosum palmitem, B. videlicet Thomam de Aquino Confessorem, ac Doctorem egregium produxerit, ex cuius sapientiæ & doctrinæ scriptis, & traditis vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore reficitur incessanter.] Quidam autem alij, vt supra vidimus lib. 1. q. 8. & 9. ar. 1, quosdam suos, etsi non Sanctos, falsò iactant, & nuncupant *Ecclesiæ Doctores*, contra quos iactabundos nimis statim subiungere videtur Apostolus ibidem; *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat, id est*, vt (S. Thomas interpretatur lect. 3.) *non est probatus seu comprobatus à Deo, vel hominibus ille, qui seipsum commendat, sed quem Deus commendat, seu commendabilem facit bonis operibus & miraculis*, (quemadmodum reipsa præstitit Deus in eundem Sanctum Doctorem, summique Pontifices declararunt.) Neque in hoc igitur excedendo *inserimus nos, seu facimus nos similes quibusdam alijs, qui seipsos tantum commendant*, immo verè in hoc ipsi recognoscimus solum (vt concludit noster Gonet canone 1. de laudibus S. Thomæ) [non vltimam partem felicitatis discipu-

discipulorum nostri Præceptoris, eos scilicet dumtaxat Magistrum, cui dato sacramento adhærent, etiam vt Diuum colere, & vicissim vnum esse D. Thomam, qui præter scripta, suæque eruditionis monumenta, quæ Ecclesiæ, & Orbi fœcunda reliquit, discipulis, qui promouendæ eius doctrinæ incumbunt, opem, quam inter Diuos receptus plurimam præstare potest, impendit.]

Sexto hinc dato gratis & non concesso in gloriando aliquem nostrorum excessisse, apposite concludebat in eadem Epistola 2. ad Corinthios cap. 11. hanc de sui laude obiectionem Apostolus: *Iterum dico, ne quis me putet insipientem; alioquin velut insipientem accipite me, vt ego modicum quid glorier &c. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes &c. Idest* (subdit S. Thomas lectione 4.) *Dato quod insipienter agerem, nihilominus tamen deberetis me supportare (licet in veritate non sim insipiens) accipite, inquam, velut insipientem vt ego modicum quid glorier &c. Quoniam multi gloriantur*. At (proportione seruata & inæqualitate iterum) in proposito aliqui, qui neque ab Alua, neque ab auctore Diatribarum vellicari possunt, nisi reprehendendo se ipsos, nimis vtique excessiue gloriati sunt, vt inter cæteros Alua ipse in suo libello inscripto, *Naturæ portentum*, & in Thesibus Toleti defensis suum Fundatorem exhibens, *vt Deum paruum, Vice Deum, Christum minorem, Crucifixum nouum, alterum reparatorem Ecclesiæ, Redemptorem secundum, per omnia primo similem*, præter alia excessiue grandiora, quæ ex eodem exscribebat ac refellebat Baronius noster lib. 1. apologetico sect. 1. pag. 68. addens pag. 29, similiter excessisse *Ludouicum Ianninum* (cuius institutum hic nobis silendum bene auctori Diatribarum notum est) *in vita sodalis sui Alphonsi dicentem, Deum eidem Alphōso reuelasse nullum ex eius instituto sibi coætaneum, morte æterna periturum*, vti & similem reuelationem Henricus Engelgraue in Luce Euangelica alteri è suis factam referebat. Dato igitur & non concesso aliquem etiam è nostris excessiue videri aliquibus locutum esse (licet id falsum esse in obiectionum solutione ostensuri simus) *Iterum diceret* his vellicantibus, & cum Apostolo loqui posset, [ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, vt ego modicum quid glorier &c. quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes &c.] quemadmodum ad hæc eadem verba Apostoli San. Thomas apposite sic concludendo inferebat: [Dicit ergo Apostolus, dato quod sit insipientis quod glorier secundum carnem, tamen quoniam multi, scilicet Pseudo, gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor secundum carnem. Prouerbiorum 26. Responde stulto, secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.] Et post pauca: [Tamen licet sit eadem materia gloriationis, non tamen est eadem intentio, & idem finis, quia Pseudo commendabant se propter gloriam propriam, & vt ipsi haberentur in auctoritate & possent lucrari. Apostolus autem gloriabatur, vt verbum Dei per eum prædicandum, seu prædicatum, esset maioris authoritatis & ponderis, & fructum faceret Christo,] qui apposite pariter proprius Ordinis Prædicatorum finis est, ex supra relata attestatione Pontificum. Concludimus itaque hanc nostram probationem cum Lyrinensi in commonitorio aduersus profanas vocum nouitates cap. 37. nos sane ex ijs non esse, *Qui*, (vt ille dicebat) *audent polliceri & docere, quod in Ecclesia sua, idest communionis suæ Conuenticulo magna & specialis ac pæne personalis quædam sit Dei gratia, vt sine vllo tædio, sine*

sine

sine vlla industria, etiamsi nec quærant, nec petant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensantur, vt Angelicis euecti manibus, idest Angelica protectione seruati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum; Cuiusmodi gratiam *personalem, non* Augustini seguaces, sed Cassianus, & Massilienses cum ipso secernebant, atque iactabant, vt contra eundem D. Prosper libro in collatorem inuehitur, atque nos alibi ostensuri sumus.

Septimò eatenus nostri saltem reprehendi posse viderentur, quatenus imprudenter ad minus laudando domestica agerent id quod congruentius exequerentur alieni, iuxta illud Prouerb. 26. *Laudet te alienus.* Sed hoc non obstāte immo Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri Gorgoniæ sororis suæ, ne dum non reprehend itur, verum etiam ibidem id, preueniendo respondet & pro nostris simul perorat his verbis: *Laudans fererem domestica prædicaui nō tamen quia domestica, ideo falso; sed quia vera, ideo laudabiliter; Rem autem non modo quia iusta verum etiam quia nota &c.* Ergo similiter hoc non obstante, in proposito, nostri reprehendendi non essent.

Octauò, ne tamen alieni desiderari videantur, qui nostra etiam velut iam nota commendent, quam plures possem ex alieno quocumque fortasse instituto congerere, qui id præstitisse noscuntur: sed præstat potiores tantum è pijssima æque ac sapientissima Societate percurrere, quos insigniora nostri elogia Ordinis non latuerunt. Huiusmodi sunt Orlandinus parte prima historiæ Societatis lib. 8. num. 45. Mariana tom. 1. Annalium lib. 12. cap. 8. Plati libro 2. cap. 30. & 32, Iacobus Aluarez de vita spirituali tomo 1, lib. 2. parte 5. cap. 35. Ribadineira in vita S. Dominici, Maphæus in vita S. Thomæ, Vasconcelos in descriptione Lusitaniæ, Spinellus in opere de B. Virgine cap. 35. num. 6. Contzen lib. 6. Politic. cap. 45. §. 5, & cæterorum omnium grauissimus auctor ipse Suarez tomo 4. de religione tract. 9. lib. 2. cap. 6. de cœtu nostro inter alia sic habens: *Ex hoc tanquam ex equo Trojano, vel potius arce instructissima ad destructionem munitionum, vt Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositarum, prodierunt strenui propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerant. Sed piget omnium Cathalogum texere, cum facile constare posset ex ipsius Ordinis monumentis quot & quales prodierint Ecclesiæ Prelati, sacri, vt vocant, Palatij Magistri Monarcharum Hyspaniæ Confessarij, Quot in celeberrimis Accademijs Professores primarij, vt facile credas omnia hæc, iure prope hereditario, huic illustri Ordine obuenisse.* Hæc, & similia si auctor Diatribarum temperato saltem affectu odioue seposito perpendisset, non sane nostros atrociter adeo accusauisset inscitiæ, aut inuidiæ in alienos, velut laudatis in eisdem dotibus superiores præ nostris, quemadmodum nihilominus præstat diatriba 9. per totam.

Nonò tandem, vt constet re ipsa nostros collatas potius ab alijs laudes excedentes repudiauisse, quam summet Ordinem excedentibus laudibus cumulasse, exscribam hic solum, quæ impressa leguntur apud Grauinam parte 2. de Visionibus lib. 2. cap. 3. in hæc verba: [Excedentia priuilegia Sanctissimo Patriarchæ Dominico quidam Nobiles, qui eum in Patronum suæ Ciuitatis elegerant, tribuere conati sunt, nempe in vtero sanctificatum esse: nostra obstitit Religio, & indebitos istos honores noluit suo parenti affigi, Pauli & Barnabæ exemplo, qui Lycaoniæ vanos sibi oblatos titulos respuerunt, idē alios facturos sperans, si similes suis parentibus defferri deprehendent.] At, an id

vere præstiterint, seu nostros in hac re imitati sint illi, qui apud Sherlogum anteloquio 1 2. in Cantica sect. 6. num. 54. longe recentioris suæ (præ nostra) Religionis Fundatori (reticendo & hoc loco) addixere priuilegium visionis diuinæ essentiæ in hac vita (quod Grauina ibidem eandide renuit vel D. Dominico tribuendum) iudieare nos nolumus, sed audire dumtaxat è nobilissima Societate Palumbum in p.p.q. 12 pag. 100. de hoc priuilegio disputantem *an vel antiquiori Fundatori concedendum esset*, ac inter alia dicentem. [Nomino Moisem, & S. Apostolum Paulum, nã sine dubio de S. Benedicto non sunt tam certa principia hoc asserendi, vt S. Thomas notauit, & ita de alijs, vt inde sumamus regulam, ne tam grande priuilegium sic de facili alijs temere, & sine fundamento concedamus; certe non omnis extasis, non omnis raptus hæc patientem ad Dei in se ipso euehit visionem;] Eandem doctrinam approbat, vt Grauina subdit, sequensque S. Thomam tuetur Recupitus ad p. p. folio 589. lib. 6. de veritate q. 14. cap. 4. (& si oppositum sustinuerat in libro concionum folio 192.) *doctè equidem & eruditè*, inquit Grauina, *ne occasio daretur fingendi & pro libito similia priuilegia cudendi*, seu, vt falso nobis affingit, vltra metas efferendi domestica.

Ad primum igitur, etsi verum sit Alphonsum de Castro (cui soli Wadingus innititur) his eisdem verbis testatum esse *Quendam fraternitatem suam & Societatem laudibus extollere volentem, dixisse, eum, qui habitum illius Ordinis semel induerit, non posse esse hæreticum*, falsum tamen est, vt auctor Diatribarum imponit, vnquam Alphonsum dixisse, *hunc fuiße Dominicanum*, quinimmo continuo ibidem Alphonsus adiungit. *Ne hoc toti Ordini aut Societati impegiße videar, nomen Ordinis ex industria subticui*. An non aderant tot alij Ordines alienique instituti Societates, e quibus ille *quidam* Ecclesiasticus orator existeret? An forte non legitur par. 2. directorij Inquisitorum q. 11. error 2. Arnaldi Monteuerij (non nostri, sed alieni instituti expressi ibidem, quod ego reticeo) à Gregorio IX. proscriptus, nimirum *nullum posse damnari qui deferat habitum B. F.*? an vel iste alterius Ordinis à Dominicano similia declamando pronuncians, ex Castro, in intimiori verborum sensu, vel vix mutatis parumper verbis, aliquid aliud voluit, quam perseueranter obtemperantem instituto (cuius habitum semel induerit) fore à damnatione securum? An non sic vltro nouissime interpretatur Bail Parisiensis tomo 2. Conciliorum pag. 792. prædictum etiã Arnaldi errorem (iure aut falso non quæro) & si sine dubio iustissime à Gregorio damnatum? An potiori iure intelligendam in hoc sensu non refert apposite Beata Birgitta in suis reuelationibus lib. 3. cap. 17. sibi factam à Virgine reuelationem (vt affert etiam Maluenda noster tomo 1. Annalium pag. 371) scilicet Virginem sic D. Dominico locutam esse, *qui in regula tua perseuerant, saluabuntur?* Hæc sane si minus in hoc sensu probentur, non video quomodo defendi queant, quæ apud Henricum Engelgraue in sua Luce Euangelica atque in octaua sui Fundatoris Beato euidam reuelata afferuntur, Deum scilicet suo instituto *concessisse beneficium, quod etiam Ordini S. Benedicti, nimirum vt trecentis primis annis, nemo, qui in eo vsque ad mortem perseuerauerit, damnetur*; ex quo proinde idem Beatus sub hora mortis alteri eiusdem Ordinis dixisse ab eodem auctore refertur, *In quo Ordine quicumque decedit, vita fruitur sempiterna*. His non obstantibus puto nec primores ac nobiles eiusdem ordinis professores

dedi-

Google

dedignari repetere, quod repetunt lubenter & nostri cum Augustino epistola 137. [Quantumlibet vigilet disciplina familiæ nostræ, homines sumus & inter homines viuimus, nec nobis arrogare audemus, vt familia nostra melior sit, quam Arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est: aut melior sit quam Domus Abrahæ, vbi dictum est: Eijcie Ancillam & filium eius: aut melior sit quam Domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est (Iacob dilexi Esau autem odio habui) aut melior sit quam Domus ipsius Iacob, vbi lectum Patris filius incestauit: aut melior sit quam Domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, & alter filius contra tam Sanctam Patris mãsuetudinem rebellauit: aut melior sit quam cohabitatio Apostoli Pauli, qui tamen si inter bonos habitaret non diceret (foris pugnæ, intus timores &c.) aut melior quam cohabitatio ipsius Christi Domini, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior sit postremo, quam Cœlum, vnde Angeli ceciderunt.] Immo, si paucissimi quidam, cum quibus in eodem instituto conuiximus, in barathra quoque perfidiæ laberentur, *ex nobis exierunt*, (tunc repeteret Ordo noster cum Apostolo Ioanne in prima Canonica cap. 2.) *sed non erant ex nobis*, vt idem Augustinus adaptat tract. 3. in eandem Ioannis Epistolam, *quomodo etenim*, inquit, *humores mali quando euomuntur, tunc subleuatur corpus, sic mali quando exeunt &c. ideo ex me exierunt, sed non erant ex me; non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent: Ex nobis exierunt, sed nolite esse tristes, non erant ex nobis*. Non ideo tristaremur & nos seu non conquereremur, si in obiectione arguentis aliqui proferrentur, quos vere Dominicanos fuisse simulque hæreticis adnumerandos esse constaret. Verum contrarium totum & ex aduerso in eadem accusatione præstitum esse conuincitur. Siquidem Martinum Bucerum Iudæis exortum, vestem nostram, quam semel induerat, sine legitima professione abiecisse probati illius temporis homines tradiderunt, ideoque Cardinalis Palauicinus admonitus in secunda editione historiæ Tridentini, non amplius eum Dominicanum appellauit. Petrus Paulus de Bellis chymericus homo est, nullibi agnitus, & inuerisimiliter Geneuę cõfictus velut arbiter, cui adhuc hæretico remiserit Catholicus alter Anonymus excitatum cum alio hęretico secum Lugduni disputante, dissidium, & inuerisimilis adeo fabulæ auctor, sub nomine supposititio *cuiusdam* alterius Anonymi Augustiniani, creditus est idem ipse laruatus auctor Diatribarum, vt idem de se ipso testatur Diatriba 8. §. 151. & ibidem noster Casalas aduertit, & antea Alua indicauit, in simili, nodo 2. §. 2. & alibi. Paleologum, quem nec Victorellus in vita Gregorij XIII, nec Ciappi ibidem Dominicanum agnoscunt, altumque de hoc silentium apud Prateolum, Spondanum, Gualterium, & alios, hunc, inquam, Paleologum adhuc pęnituisse, & piè in carcere obijsse commemorat idem Ciappi in vita Italicè scripta Gregorij XIII. §. 7. pag. 67, & 68. & ex eo Casalas pag. 60, & Vincentius Baronius noster lib. 1. pag. 66. *Matthæus Grabon heresi in Concilio Constantiensi, Ioanne Gersone teste, renunciauit*, vt loquitur Alphonsus de Castro lib. 1. aduersus hæreses cap. 9. idemque testatur Spondanus ad annum 1418. num. 6, errata scilicet, quæ damnari audierat, reuocasse, vt olim Abbati Ioachimo contigerat. *Bartholomæi porro Carranzæ causa* (vt respondet pro nobis Cardinalis Pallauicinus in secunda parte historiæ Tridentini Italicè scripta lib. 14. cap. 11.)

11. per plures annos fuit ventilata apud Inquisitionem Hyspanicam, dein apud Romanam sub Pio V. & Gregorio XIII. nec est inuentum fundamentum eum absolute condemnandi, sed solum adigendi vt fateretur grauem dedisse ansam male de ipso suspicandi. Post qua liber à carcere, non solum intaminatæ fidei, sed etiam singularis diuotionis signa dedit; & re ipsa (præter alia insignia eiusdem gesta legenda in Fontana ad annum 1554. & infra,) Sachinus eiusdem Societatis scriptor lib. 2. 139 & libro 4. 189. Caranzæ eiusdem insignes virtutes à Beato etiam Francisco Borgia prædicatas fuisse testatur, idemque Pallauicinus infra lib. 21. cap. 7. eundem Caranzam vocat, *Vnum e maioribus Christianismi Prælatis*. Rursus Prouincialis illius Anonymi, sub Iudaismi impietate obeuntis, ideo silet obijciens tempus ac nomen, & cuius nostræ Prouinciæ fuerit, Catalauniæ, Aragoniæ, Murciæ, Castellæ, vel Beticæ, vt sine vllo vel ficto teste (quem prudens omisit) nobis imponeret Dominicanum fuisse, cum tamen Vincentius Baronius lib. 1. pag. 30. protestetur, *se dum in Hyspania versaretur, comperisse historiam conuenire viro alterius Ordinis, cuius nomini parcit*, Et Casalas pag. 37. *Id accidisse in altero cætu, quem*, inquit, *ex religiosa veneratione affectuque Christiano taceo, narratque Rabzacus scriptor Gallus in Socrate Christiano (quem scripsit aduersus Doctorem Louaniensem per modum apologiæ) mihi pag. 373. in alia editione 151*. Demum de nostris Smolenchi degentibus, vbi plerumque pro more regionis ligneæ molis Domus sunt, non *magnificentia visendæ*, (vt de sua fingebat obiiciens) & nostris magis instituti homines quam alieni hostibus fidei in odio sunt (vt fatebatur etiam Pallauicinus lib. 1. historiæ cap. 23) non solum nimis inuerisimiliter prius à Moscho sine abiuratione suscepti, post abiurationem exilio pulsi finguntur, verum etiam mirum videtur nullum vel saltem nostræ ætatis historicum recenseri eadem de nostrorum Anabaptismo narrantem, quæ solus iste combibit ex nundinalibus e triuio litteris, quibus quam sæpe ridicula emantur vicissim ac venundentur in vulgus vel otiosi homines comprobarunt. Itaque (ut rite concludebat post Ioannem Casalas Baronius noster libro 1. pag. 31.) *totius historiæ sunt Romæ testes multi & incorrupti, qui iurant falsissimam esse, quæ ex solis litteris nundinalibus datis Varsauiæ anno 1654 hic nobis imponit. Cænobium illud Dominicanorum decem tantum Religiosos alebat, ex quibus in illa Moschorum inuasione tres in odium fidei trucidati sunt, septem vero reliqui tempestiue fugierunt &c. Horum omnium testes oculati, qui viuunt, interrogari possunt*. Hæc illi, & hæc nos iam satis ad primum, dimisso opportunè Lectore ad *monumenta Dominicana* Fontanæ, quæ nunc (dum ista nostra recognoscenda pro editione paramus) in nostras manus adueniunt, in quibus quot nostri in obsequium fidei perempti sint, ne dum eodem anno 1654. sed singulis ferme annis inspiciet.

Ad secundum, non ita videtur (vt fit in obiectione) posse ibi recitata visio contemni, aut in deteriorem sensum interpretari, quin eadem philautiæ culpa notetur D. Antoninus, ex quo simul & Theodorico & ex alijs officium Dominicanum Bononiæ impressum anno 1624 profitetur, in epigraphe lectionis dicendæ singulis ferijs tertijs pro Mense Iunio, eandem desumptam esse visionem, quam recitandam in Ecclesijs Ordinis ibidem proponit his verbis: *Ardenti Dei aliquando orationi defixus B. Dominicus subito in extasi factus vidit se rapi ante solium diuinum &c.* Et post plura concluditur, *Sacra Virgo expanso amplissimo pallio ostendit illi innumerabilem multitudinem Fratrum, Sororumque Ordinis Prædicatorum*

torum atque adiecit: hos omnes singulari ego patrocinio foueo, atque conseruo. Hæc ibi, quibus alludit, quod legitur repetitum de Deipara, & canitur in celebratione sacri pro Festo Sanctorum omnium Ordinis Prędicatorum: *Datrix nostri Scapularis amplum Virgo singularis his expandit pallium.* Nec vnus dumtaxat (vt forsan aliquis putare posset) D. Antoninus præcitatæ visioni suffragatus est, verum etiam eidem adstipulatur D. Birgitta in lib. 3. suarum reuelationum cap. 17. (vt Maluenda quoque perpendit tomo 1. annalium pag. 371) eandem sibi reuelatam in hæc verba describens: *Beata Virgo ad Dominicum respondit: ego sub lato mantello meo defendam, & tegam filios tuos &c. mantellus vero meus latus misericordia mea est.* Proinde præueniens eam, quam proponit obiectio, difficultatem auctor censuræ Romanæ in Bibliothecam veterum Patrum ad tomũ 7. in Sophronio cap. 128. post recensitum Baronium, occurrebat his verbis: *Hæ fiunt quoque visiones, seu reuelationes interdum non ad ostendendam superioritatem, sed excellentiam quandam & peculiarem cuiuspiam Beati prærogatiuam, qua alijs præeminet, cuiusmodi fuit zelus iustitia in Chrysostomo, indeque merito visus est assistere throno Dei. Huius generis visio illa S. Dominico oblata, cum visis diuersorum Ordinum religiosis in Cælo nullum ex suis alumnis aspexit; quos tamen Sacra Deipara eximio & singulari fauore sub pallio suo occulea ns postmodum ostendit eidem.*

Ad tertium de Carolo II. exempto carcere Barchinonensi beneficio Diuæ Magdalenæ ac in suam Phocensem Prouinciam reducto, Siluestrum nostrum id referentem defendit tum eadem vniuersa Prouincia Phocensis id habens certa traditione susceptum, tum *illa Chronica* (vt ibidem Siluester loquitur) *quæ adhuc asseruatur in Archiuis Sancti Maximini manuscripta incipiens, Mirabilis Deus &c.* ex qua, id prius sibi vulgo narratum ibidem anno 1497. dum deuotionis causa ad S. Maximinum accessisset, fatetur se dumtaxat hæc eadem descripsisse, nec Causinus è Societate scriptor eidem Historiæ dissentit, quam simul refert, & approbat Ribadineira eiusdem Societatis Auctor in Vita Diuæ Pænitentis, & alij. Verum si minus Scriptoribus istis Deo sacris, simul hæc enarrantibus fidat obijciens, quam prophano alicui de eadem re sacra taceanti, cur quæso ad minus non vidit, quod docuit S. Thomas 2. 2. quæst. 176. ar. 6. cum Augustino lib. 12. super Genesim ad litteram cap. 5. raptus consimiles bifariam contingere posse, vel solum per visionem in anima, vel physicè simul cum corpore, *adeo vt etiam D. Paulus dicat se aliquid scire, scilicet se raptum esse vsque ad tertium Cælum, & aliquid nescire, scilicet vtrum in corpore, aut extra corpus?* quo modo priori etiam *Ezechiel 8. dicitur, quod adductus est in visionibus Dei in Hyerusalem*, refertque Hieronymus in prologo super Danielem hoc eodem modo, iuxta cuiusdam Iudæi interpretationem, *Apostolum non fuisse ausum affirmare se in corpore raptum, sed ideo dixisse, siue in corpore, siue extra corpus nescio*, etsi id aliter Augustinus interpretetur &c. Sanè eodem modo priori in actibus Apostolorum cap. 9. dum adhuc Ananias domi suæ remanens audiuit sibi loquentem Deum, ac pręcipientem pergere ad Saulum, qui postea Paulus dictus est, de hoc eodem tempore scriptura inquit. *Ecce orans Saulus vidit Virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat;* & postmodum inde ad designandum id ipsum in Corpore factum, quod prius in visione contigerat, eadem scriptura subiungit: *& abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit, Saule Frater Dominus misit me Iesus &c.* Quid

prohibet

Digitized by Google

prohibet igitur priori modo similiter in visione contigisse ac vera esse, quæ in Chronica recitata à Siluestro narrantur? & postea inde beneficio Beatæ Carolum inopinato reipsa à die sequenti compositis rebus è carcere in regionem suam (vt per visum viderat) restitutum esse, ac repertis Beatæ Patrocinantis exuvijs singula præuisa per noctem, atque enarrata in Chronica perfecisse? An fortè adhuc sic præuisa, & sic gesta liberatio Caroli miraculi plena non fuit? dùm prius *indubitatam mortem in duro carcere opperiretur?* dum oranti precibus Beata *per noctem apparet?* dum singula mox futura *inopinato* reuelat? dum continuo iuxta visionem compositis rebus singula reuelata reipsa succedunt? dum per visionem indicatæ adiutricis reliquiæ eo loco, quo per noctem audiuerat, delitescentes per tot antea sęcula, reperiuntur? An in eiusdem Historiæ euentum exstare adhuc Cœnobia singula erecta tunc vel ditata ab eodem Carolo II. ex professo non conuincit Altamura noster in appendice Bibliothecæ ad annum 1523. pag. 532? An *hæc tandem plena miraculis ad Deum Fabulinum ablegenda erant?* Quæso iudicet cordatus arbiter, aut æquus iudex, dum ipsi non cogimur amplius (in Magdalenæ causa potius quam nostra) morosiori nos immiscere iudicio.

Ad quartum negabit nemo fuisse olim Ierosolymis (licet à mille, & sexcentis annis non adsit) *tantam amplitudinem, & magnitudinem templi* (vt ex Iosepho Hebræo lib. 6. de bello Iudaico cap. 1. admiratur, & loquitur Cardinalis Baronius ad annum 71) *in quo duo exercitus sibi ipsis contrarij habitarent absque violatione tertiæ partis templi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum*. Et tamen postea (vt à maiori, vt dicitur, arguamus ad minus) fabula tam ridenda nunc erit saltem olim fuisse (& si modò non adsit post tot fidelium clades) in remotiori longe Abbassinorum regione, non quidem templum, sed cum templo Cœnobium, non duos quidem ingentes adeò inter se digladiantes exercitus, sed mille vix pauperes Cœnobitas angusta Cella suscipiens! Sanè nec noster vnquam Ludouicus Vrete descripsit conuentum eundem, vt semper alentem, sed vt capientem dumtaxat Fratres, non quidem 9000 sed 900. (vt ex falsa alias supputatione, aut verius additione litterulæ irrepsisse mendum typographi aut transcriptoris aduertunt Vincentius Baronius libro 5. sect. 4. & Casalas S. 97.) vbi Cardinalis Baronius ad annum 798. num. 1. immo in Constantinopolitano Studitarum Cęnobio sub Theodoro Archimandrita mille religiosos suetos semper immorari testatur. Non ne (vt veteriora linquamus) vel intra monasterij septa nostri Bononiensis singulis Prouinciæ comitijs quingenti simul, & Romæ milleni religiosi (cum conuocantur Comitia) morantur, in Conuentu Minorum Obseruantium (vt vocant) in Ara Cæli? numquid Vrete quid voluit aliud, quam statis tunc temporibus confluentes non aliquos Selectos solum (vt in Comitijs) sed singulos quoslibet circumfusis veluti Religiosorum colonijs in eo simul ampliori velut Religionis Emporio solitos sic capi, vt non proinde tot perenniter adhuc ibidem solitos commorari contendat? an non superabunde sufficerent pro vno retundendo Godigno hæc irridente, tot alij grauiores longe scriptores vindicantes ab improbabilitate sub hac forma descriptum numerosius illud sub Alleluia nomine ab Vrete Cœnobium? scilicet præter Vincentium Baronium, atque Casalam, Seraphinus Razius lib. de Beatis, Ioannes Marietta in triumpho Ordinis Prædicatorum,

Michael

Digitized by Google

Michael Plodius par. 1. de Viris illustribus lib. 1. titulo de Indis Orientalibus, & iterum infra parte 2. annota. 3. Antonius Balinghen, & Congestor Exemplorum ad sacras cathecheses, & alij. Sed præ cæteris Geographiæ Scriptoribus (quibus valde in præsenti fidendum est) Ioannes Boterus Benensis parte 2. suæ Geographiæ lib. 3. titulo *de Christianis Abbissinis*, inquit, *Monasteriorum ibi numerus non est, inter catera duodecim mille passibus longè ab vrbe Cassumi est illud dictum Alleluia, eo quod Frater quidam intentus suetis precibus eo loci cani ab Angelis Alleluia audiuit*. Ioannes Baptista Ramusius volumine 1. itinerum, & nauigationum, in itinere Æthiopiæ cap. 40. ait: *duodecim mille passibus procul ab Vrbe Cassumi versus Aquilonem, Monasterium adest, quod magnos habet redditus, & magnam Fratrum multitudinem, & Monasterium Alleluia nuncupatur*, addita eadem, quæ relata est, nomenclaturæ occasione illius *Fratris, quem sanctum fuisse* subiungit; & mox ante cap. 29. præmiserat *Fratres in ea regione adhuc deferre Cappas, quas ferunt Fratres S. Dominici*. Eadem fere verba habet Franciscus Aluarez in suo itinerario Æthiopiæ vbi de Abbissinis, ideoque repetere piget. Idem habet omnino Dauitì in tomo agente de Aphrica in descriptione Æthiopiæ; idem Christoual Suarez in relatione de rebus Abbissinorum cap. 3. & sequentibus, & cum eo sodalis eiusdem Gonzalez Rodriguez, & alij, qui omnes, & singuli prædictum nominatim Cœnobium agnoscunt, eorundemque relationi suffragantur Ioannes Auban lib. 1. cap. 4. de moribus nationum in eadem Regione Presto Ioannis, recensens *multos Religiosos D. Antonij, & D. Dominici Catalogensis*, Petrus Calzolauius Dialogo 1. de Historia Monastica idem repetens, Antonius Sabellicus Æneade 9. lib. 6. cap. 5. post enumeratos ætate sua conuentus Prædicatorum, *quatuor mille centum quadraginta tres*, subiungens, *multa preterea familia huius Ordinis in Armenia, & Æthiopia*, quod Plodius 2. parte laudata annot. 3. apposite de nostris Fratribus in Abbissina *verissimum esse* confirmat ex Breuibus Innocentij IV. sub anno 1254, & Eugenij IV. sub anno 1439. repetentibus in Epigraphe. *Dilectis Filijs Fratribus de Ordine Prædicatorum in terris Saracenorum &c. Ethiopum, Iacobitarum, Indorum &c.* eisdemque verbis Abbissinos nostros expresse denotari, nõ vero interpretari posse de Indis alijs non detectis adhuc tunc temporis, ibidem euincit. Demum Patrem Tacheupeuanoch amplioris ibidem Cœnobij fundatorem *Beatum* nuncupant, præter Vretem, ne dum Seraphinus Razzius, & alter Siluanus Razzius Camaldulensis, Antonius Balingen, Marietta, & Plodius ibidem, verum etiam Ramusius & Franciscus Aluarez scriptor societatis, & alij laudatis locis subdentes *Virum Sanctum fuisse*. Quæ nos non ideo hic recensemus, vt quid amplius quam fidei humanæ testimonium (iuxta Vrbani Decreta) huic aut huiusmodi cæteris tribuamus, sed ne *Chymaras Sanctorum* nostri effinxisse culpentur (vt affingit obijciens) aut ne id similiter affingatur Episcopo Apamensi Spondano ad annum 1341. num. 12. de Dominicano, nostro Abbissino dicenti: *Taclaureth nepos ex Sorore Monarcha Abyssinorum, quem Presbyterum Ioannem vocant, miraculis insignis, Martyrio coronatus est ab impio Rege, cuius impuritatem zelo Christiano coarguebat*.

Ad quintum cordatus quilibet, vt puto, ridebit Abbatis Vallumbrusiani (cuius nomen siletur, & tempus) famulum quemdam ignotum, Anonymum, *versatum* anteà (in quo Cœnobio ignorantur) inter Dominicanos (an pro

Coquo,

Coquo, vel Baiulo reticetur) totius per Orbem effusi Ordinis Prædicatorum *à supremo ad imum cogitationes, verba, & opera* speculantem, suoque tam venerando & inappellabili iudicio sancientem *primatum, & ambitionis spiritum redolere.* Apage (repeteret hic sine dubio pro nobis Augustinus lib. 2. in Petilianum, cap. 13.) *etiamsi possetis singulorum nostrorum per totum Orbem diffusorum Vitas, & facta nosce, & ostendere, tamen antequam id faciatis, & temerè ista iactatis, os vestrum vipereum est, os vestrum maledictione, & amaritudine plenum est.* Eia (dum hæc ridenda tantum reperit contra nos, quæ ex liuore quæsiuit testimonia) tam longe abest ab accusantium inuidia humilitas Prædicatorum, quam multa obtinuit, vt vidimus, laudantis Apostolicæ Sedis elogia. Eam vix nato Ordine instillauit pro lacte Dominicus, qui, vt Ecclesia canit, *nulla re æquè delectabatur ac sui contemptu.* Humbertus quintus Magister Generalis Ordinis in Epistola ad B. Albertum eandem nostris adeò cordi esse monstrauit, vt inter plurima huius generis scripta concluserit: *vtinam Dilectum meum Fratrem potius audiam feretrò, quam Sede Pontificia elatum,* quod postea Benedictus XI. de se ipso promoto ad supremam sedem repetiuit (vt legitur apud Olmedam atque Fontanam) dicens: *mallem in feretro quam in throno Apostolico eleuari.* Subsequentes cæteri imitati sunt, aut reluctantes ad Cydaras Infulasque pertracti (vt B. Pius V. idem Benedictus XI. & huiusmodi alij non agnoscentes suos agnatos, nisi cum induti vilibus apparuerunt) aut oblatas repellentes, vltroue susceptas deponentes, vt B. idem Albertus, D. Thomas, Raymundus, ac inter exteros (veterioribus omissis) tres hoc agnomine Soto, Petrus, Dominicus, & Hurtado, Melchior Canus, Bartholomæus à Martyribus, Tapias, Dominicus à Rosario, ac innumeri plures, quos nimis longum esset in proposito recensere. Neque profectò vnquam nostri vel Generales Ordinis de Primatu cum alio Præfecto antiquioris Religionis certarunt, sed suum dumtaxat seruauere locum, ac ius, quod seruandum esse relati in obiectione iuris Doctores confirmant. Neque nostri Ordinis Generales adhuc, si renuissent locum cedere in Concilio, fortasse sedere elegissent eo modo, quo Dioscorus in Synodo Chalcedonensi actione prima sedere voluit *separatus ab alijs.* Neque ex nostris fuit Petrus ille Suauius, vel Paulus Sarpius Ordinis Seruorum, qui similem alterius Generalis cum antiquioribus controuersiam accusat, vt refert in Historia Concilij Tridentini Pallauicinus lib. 15. cap. 15. num. 10, & lib. 18. cap. 2. num. 5. vtique ex nostris fuit Bartholomæus de Martyribus, cuius humilitatem in cedendo cæteris locum ibidem collaudat Spondanus ad annum 1562 num. 2. Sed vnum dumtaxat debemus auctori Diatribarum, quod falsam saltem agnouerit, ideoque dimiserit, (non omissurus sanè, si verisimilem reputasset) consimilem contra nos fabulam de apparentibus apud Neapolim spectris *ob ambitionem, & crapulam* (vt dixisse feruntur) *ad tartara destinatis,* quam vltrò Grauina noster Neapolitanus in p. p. Lydij Lapidis de visionibus lib. 2. cap. 4. à pag. 41. vsque ad 50. commentitiam esse robustè, ac eruditè demonstrat.

Ad sextum, Cabezudo difficultate illa 7. agebat *de motione supernaturali impressa instrumentis gratiæ, quam non fuisse cognitam ab Aristotile* subdit, ideoque *singularem,* & lumini naturæ *admirabilem,* appellauit, non vero vspiam ea verba protulit, *si non intelligunt, credant,* & quod solum dixisse retulimus, immeritò ab

Ægidio

Ægidio Lusitano carpebatur, vti respondet Ioannes à S. Thoma disp. 14. de visione ar. 2, *quasi verissimum non sit Aristotelem hæc supernaturalia non cognouisse*. Nec minus immeritò Bannez in obiectione accusatur, quod in primam partē quæst. 23. ar. 5. agens de infallibilitate diuinæ Prædestinationis concilianda cum vsu liberi arbitrij creati, concluserit. *Si quis hæc non intelligit, oportet eum credere*, ac si eadem ratione non dixerit D. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum cap. 14, *hanc esse difficilem ad soluendum quæstionem*, epist. 2. ad Valentinum, *difficillimam*, epist. 1. *difficillimam, & paucis intelligibilem*, & consequenter hi *pauci*, quibus *inintelligibilis est*, eam ad minus credere non teneantur. Ac si præter Eminentissimum Caietanum in cap. 9. epist. ad Romanos, & p. p. quæst. 22. ar. 4. similia scribentem, & præter Zumellum, qui Dominicanus non erat, p. 2. quæst. 111. art. 3. disp. 1. id ipsum omnino repetentem cum Bannez, etiam Cardinalis Sadoletus lib. 2. in epist. ad Romanos non fateatur *hanc veritatem* quæ de fide sancta est, *pene inexplicabilem esse*; Benedictus Percrius tomo 6. selectarum disputationum in sacram scripturam ad cap. 9. epist. ad Romanos cum eodem Caietano non comparauerit obscurum mysterium hoc cū superiori Trinitatis mysterio concludens, *quo tandem vinculo siue glutino connectantur infallibilitas Prædestinationis, & vsus libertatis &c. & copulentur inter se, videtur esse incomprehensibile homini in hac vita?* Sapientissimus ipse Suarez in tomo posthumo 2. de gratia lib. 5. cap. 28. num. 15. non concedat ingenuè, *etiam scientiam mediam Societatis &c. nimis obscuram esse, & difficilem, necessariumque esse fidei adiutorium, vt ea credatur*. Audiat hæc verba, si potest, auctor Diatribarum, immo (quid vltro?) audiat saltem alterum non sibi ignotum, sed amicissimum, Theophilum scilicet Raynaudum in Apologia pro Valeriano cap. 4. num. 13. de eadem sua scientia futurorum dicentem, *in ea esse adhuc ingenijs omnibus fixam crucem, hærendumque esse in diuino iusto, sed occulto iudicio*. At non itaque hi ijdem, qui alios reuerentes in præcitatis Bannesij verbis obscurissimi mysterij altitudinem, additis conuitijs, irrident, an non illis opportune consimiles sunt, qui, vt aiebat D. Prosper in epist. ad Augustinum, *Cum, vt ipsi exponerent secundum quorum vellent sensa, deposcerentur, nihil se profitebantur inuenisse quod placeret, & de his doceri exigebant, quorum altitudinem nullus attigisset?* An non eidem iterum reponeret Augustinus ea sibi verba domestica? *O altitudo! Requieuit Apostolus, quia inuenit admirationem, nemo quærat à me occultam rationem. Ille dicit inscrutabilia, & tu scrutari venisti? ille dicit inuestigabiles sunt viæ eius, & tu vestigare venisti?* Et paulò ante. *Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credā:* hucusq; Augustinus serm. 20. de Verbis Apost. c. 7. vt audias, nec crimineris, similia nostri Bannesij verba, *si quis hæc non intelligit, oportet eum credere*, vti perperā nimis condemnat auctor Diatribarū appellans *Idololatriam figmentis suis à Thomistis exhibitam*, mutuatis ab Alarcone verbis, quibus (licet ab isto dissimuletur) iamdiù responderat noster Ioannes à S. Thoma loco laudato post recitata hæc eadem Alarconis verba subiungens. [Bone Deus! quam fœcunda est inscitia, cum rationis pondere destituta in auras dilabitur vanitatis &c. Quibus præstigijs Thomistæ deludant, non est nostrum discutere. Patent libri eorum, authores presto sunt, ijque non vulgares; Disputationes quotidie voluuntur: ad illas remitto Lectorem, sed passionis amaritudine non tinctum. A quadringentis annis, & amplius infaticabili studio in Ecclesia Dei, & pro

Ecclesia Dei Thomistæ desudant; nullis tamen in eorum Doctrinis, dum D. Thomam sequuntur, deludi Ecclesia se sensit præstigijs: Nulla eorum figmenta in adorationem erecta respuit, aut execranda notauit, quæ nunc tamquam commenta, & fictitia, laudator noster ructauit, ac tussit, sed tamquam salubertimos fructus, & Doctrinæ, & Veritatis, maturitate suauissimos perpetuo prædicauit, & extulit] & recitatis ad hoc Eugenij IV, Leonis X, aliorumque posteriorum Pontificum Bullis, quas nos probatione 4. retulimus; *Certè*, subdit, [præstigijs ac figmentis tot ac tales tamquam laudatos Doctrinæ fructus Ecclesiæ Catholicæ afferri, quis nisi præstigiatus affirmet? &c. Hæc sunt figmenta Thomistarum, hæ præstigiæ, quibus cultum suum tam religiosè denegat iste Author, quasi rem valde expetendam aut ambiendam nobis subtrahat. Sed valeat cum suo cultu aut obseruantia, & quibus voluerit, eam exhibeat.] Nos nimis aut magis protractum (quam credebamus) Articulum hunc cum Leone Bizantio concludimus, in Auctuario tomi 2. aduersus Eutychianos & Nestorianos, aiente: *hi diuina ludunt, & Theologos conuitijs consectantur, & quid mirum si nos, qui nihil sumus, contemnunt? non ignoramus, quod qui nobis aduersantur & quibus vnum cum Sanctis Patribus* (cum S. Thoma) *Certamen est, sicut illos, sic etiam nos, qui illorum disciplinam sectamur, & defendimus, inhonorant; quin nos potius nescientes honorant, dum probra, quæ illis obijciunt, nobiscum communicant*; seù cum D. Basilio epist. 70. *Quid ergo? non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliquid aliud rerum temporalium, sed propter communem Thesaurum* (doctrinæ S. Thomæ) *propter hæreditatem paternam* (vti appellabat Suarez) *dum propter sanam doctrinam in acie, & certamine nos stare compellunt.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De imputato Thomistis contemptu Apostolicæ Sedis.

ROta, *quæ trahunt elationis currum* (aiebat Hugo lib. 1. de Claustro animæ) *sunt & contemptus, & inobedientia. Superbia enim* (vt idem addebat) *est elatio vitiosa, quæ inferiorem despiciens superioribus, & ne dum paribus, satagit dominari*. Postquam igitur egimus de imputato Thomistis excessu in laudem San. Thomæ, & suorum, consequenter de imputato eisdem contemptu agendum est, primo in ordine ad Apostolicam Sedem in hac quæst. 2. (de quo Auctor Diatribarum similiter agit Diatriba 2.) deinde in ordine ad Sanctos, in q. 3. sequenti, de quo idem Auctor Diatriba 3. pertractat.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Soto, Canus, Combefisius, aut Bzouius de hac contemptione iure accusati sint.

VIdetur sic asserendum Petro à Valleclausa Diatriba 2. criminanti hos singulos velut Apostolicæ Sedis contemptores. Primo quia Leo X. approbante Lateranensi Concilio Montes Pietatis licitos esse, & vsuræ labe vacare pronunciauit. Et tamen Dominicus Soto lib. 6. de Iustitia quæst. 1, ar. 6. post Concilium Lateranense & Leonis X. Bullam Montes Pietatis explosit vt vsurarios, allegans pro excusatione, quod ea Leonis, & Concilij

doctrina

Doctrina non sit recepta. Manifesta est ergo in hoc asserto Soti contemptio Pontificij illius Decreti.

Secundò, ex antiquo Decreto Sancti Leonis, & Concilij IV. Carthaginensis statutum erat absoluendum esse ægrum, qui ante aduentum Confessarij signa doloris, & voluntatis confitendi dedit, licet superueniente Confessario oppressus morbo ea signa (quæ dedisse iam idonei testes attestantur) dare non potest, eundemque absoluendum docet Rituale Romanum à Paulo V. suo præfixo diplomate approbatum. Et tamen ne dum Soto, & Canus ante Rituale Paulinum, inualidam esse illam absolutionem sacramentalem tradiderunt, non obstante statuto Leonis, & Concilij Carthaginensis, verum etiam alij posteriores Thomistæ post Rituale Paulinum adhuc maluerunt adhærere Doctrinæ Soti, & Cani, subterfugiendo potius Ritualis Romani auctoritatẽ. Magna igitur in Apostolicam Sedem irreuerentia notari queunt.

Tertiò, similiter Martyrologium Romanum comprobauit Gregorius XIII. præ impresso diplomate, & tamen Combefisius Dominicanus (tanquam non Ecclesiæ sed Baronij, qui illud notis illustrauit, Martyrologium esset) in suis notis ad acta Anonymi apud Nicæam num. 6. occasione S. Paphnutij, de quo tabula 11. Septembris, admodum licenter Martyrologium idem exagitat pro exemplo hallucinationum, non quidem Ecclesiæ (vt ipse loquitur) sed collectorum, producens tum exemplum SS. Xynoridis & Felicis, tum Luciferi Calaritani, & Fausti Regiensis, de quibus valde disputatum est, tum iterum in notis ad orationem Asterij de Sancto Phoca, dubitans ipse de perennante miraculo sanationis à morsu serpentium allato in Martyrologio 5. Martij, inquit, *Id non extare nisi apud Baronium diuinantem, & Surium ex illo describentem*, cum tamen prius obierit Surius, quam Baronius aliquid vulgaret; & longè melius ipse Combefisius corrigere potuisset Martyrologium sui Ordinis Prędicatorum, in quo ad nostram vsque ætatem Eusebius Cęsariensis, Arianismi signifer, tanquam insignis Sanctus (vt obijciens loquitur) sedem inuenit. Et hic igitur de contemptione Apostolicæ Sedis non immerito accusatur.

Quartò, Pontifices summos in approbando Religioso instituto errare non posse indubitata est sententia Doctorum, ex Thoma Valdensi tomo 3. à c. 83. contra Wicleffum & Husum, & præter Azorium, Suarez, & Valentiam, id docuit S. Thomas opusculo 19. cap. 4. Et tamen Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. non modo asseruit Pontificem in hoc errare posse, sed etiam errasse de facto, immo lib. 4. cap. 2. in nomen ipsum Societatis Iesu a Pontificibus delatum, & à Synodo Tridentina confirmatum sess. 23. de Regularibus cap. 16, genuinum infixit. Iniurius igitur in Apostolicam Sedem fuit.

Quintò, idem Canus lib. 11. eiusdem operis cap. 6. loquens de impressione historiarum sacrarum ait, *Pontificum hac in parte prudentiam, & diligentiam desiderari*, & lib. 5. cap. 5. circa stigmata S. Catharinæ Senensis à Sixto IV. Ordinis Minorum abrogata & soli S. Francisco adscripta, collidentem cum illo facit Pium II. Senensem velut eadem stigmata Diuæ Senensis admittentem. Iterum igitur in Summos Pontifices iniurius est.

Sextò, institutum Franciscanorum & eorum arctissimam paupertatem varij Pontifices comprobarunt verbis amplissimis, Inno. III. Honor. III. Gregor. IX. Innoc. IV. Alexan. IV; & præter alios cum Concilio Viennensi Clemens

V. Et tamen Abrahamus Bzouius Dominicanus ad annum 1371. num. 8. non exhorruit scribere (*artificem omnis doli Sathanam persuasisse Minoritis spectare ad perfectionem, nihil habere & omni dominio carere, etiam in communi*,) vt Dormitius quoque Thadæus in Bzouio expostulato conqueritur dicens, hanc esse Wicleffi delirationem damnatam sessione 8. Concilij Constantiensis. Nec iste igitur à contemptione Apostolicæ Sedis liberari queit.

Septimo tandem aduersus Combefisium (de quo mox ante) denuo accusator insurgit; quia ne dum de fide est Pontificem vt publicam personam longissime abesse à labe hæresis, verumetiam ex speciali Dei prouidentia factum esse, vt nullus vnquam Romanus Pontifex etiam vt persona priuata in fidem Catholicam peccarit, pia est Pighij & Bellarmini sententia, ab Agathone Papa non obscure insinuata. Et tamen Combefisius in Commentario pro Actis sextæ Synodi cap. 2. §. 3. pro certo habet *haud errasse censuram quæ id insimulauit erroris*, innixus præcipue exemplis Liberij & Marcellini, quorum alterum in hæresim Arianorum, alterum in Idolothysiam pro aliquo tempore lapsos esse contendit, vti & cap. 3. §. 3. adhærens Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. vltimo (tametsi reprehenso à Baronio ad annum 302) Honorium I. Monothelismi labe fœdatum exhibere conatur, quamuis purgatum, ne dum à Baronio, Bellarmino, Coccio & alijs, verum etiam à Ioanne IV. successore eiusdem Honorij, & à D. Maximo, Monacho & Martyre, quos duos excusatores ille ait locutos esse ex fide hominis scribæ, qui Epistolam Honorij verbis Catholicis exarauit. Quid igitur remanet, siue desideratur, vt huiuscemodi Dominicani scriptores de inhonoratione Pontificum, non solum accusari, verum etiam conuinci posse dicantur?

In oppositum tamen est, quod nil magis euacuat accusantis fidem, & de mendacio conuincit, quam si idem in accusando sibimet incautè contradicat. At hic ipse accusator nostrorum de inhonoratione Pontificum, in hac eadem Diatriba 2. §. 31. sibimet contradicere visus est, dum accusat ex aduerso nostros tanquam de nimio ardore in explodendo theses cuiusdam Theutonici asserentis (*non esse de fide hunc singularem Pontificem nunc sedentem esse Christi Vicarium*) quam addit & conqueritur proscriptam fuisse sub Innocentio X. Dominicanorum opera, *velut inhonoram Pontifici immo iniuriosam*, vt ipse loquitur (quidquid sit de antiquioribus quibusdam paucis, non tam nostris, quam extraneis, vt Corduba, Vega, Castro, & huiusmodi, in quibus nec re ita discussa, nec ita importunis temporibus, simile hoc probabiliter assertum permissum fuit); nec minus infra Diatriba 4. §. 67. palponem seu adulatorem Pontificum appellat Grauinam nostrum eo quod asserat (vt ipse imponit) *omnem Congregationem humanam cui intersint delecti a Pontifice Administri, potiri infallibilitate*, cum tamen, vt legenti patebit, pie asserat solum euenturum nunquam, vt integer Clerus Romanus simul cum Cardinalibus alijsque omnibus Romæ degentibus (nec vno excepto reclamante) det manus hæresibus manifestis: Iam igitur de non merendo fidem accusator hic noster, vt sibimet contradicens in accusatione, conuictus est.

Respondeo iniustè nimis Dominicanos accusari de inobseruantia siue violatione obsequij in Apostolicam sedem, de quo immo peculiariter obsequio perpetuas ab eadem Sede Apostolica laudes meruerunt. Sic enim in primis

Inno-

Innocentius IV. in Bulla data Lugduni 12. Kalendas Ianuarij Pontificatus anno 3. de Dominicanis aiebat: *Ita perpetuo & indefesso ducuntur spiritu, quod eis nulla formido possit obsistere, quin libere facienda subeant, quæ de Apostolicæ Sedis circumspecta prodeunt voluntate.* Audiat detractor hic noster. *Nos itaque gloriamur in Domino, quod ipse viris talibus suam muniuit Ecclesiam, qui mori pro Christo diligunt, & pati pro iustitia delectantur.* Hic ne genius dicendus erit Sedem Apostolicam aspernandi?

Secundò Ioannes XXII. in diplomate edito Auenioni 6. Kalendas Martij Pontificatus anno 13. *Fratres,* inquit, *Ordinis Prædicatorum in virtutum Domino militantes & Crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs carnem suam ad diuinæ maiestatis obsequium, pietatis Apostolicæ vbera complectuntur.* Hæc ne rebellantium in matrem, scilicet Apostolicam Sedem, effigies est?

Tertiò, idem Ioannes XXII. in alia Bulla Auen. 8. Kalendas Martij Pontificatus anno 11. de Prædicatorum Ordine ait: *Eo, vt latius difundatur per orbem, ab Apostolica sede meretur ad tolli, quo ipsius professores erga Sedem ipsam* (id quæso expendatur) *per ingentis deuotionis constantiam, & bonorum studia operum ad robur & munimentum fidei orthodoxæ se exhibent plus deuotos.* Hæc ne specimina sunt inhonorantium eos, qui in eadem Apostolica Sede successerunt?

Quarto Benedictus XI. in diplomate dato 6. Idus Martij Pontificatus anno 1. *Isti sunt* (ait, scilicet Fratres Prædicatores) *egregij bellatores, qui inimicos Sanctæ Matris Ecclesiæ per fidei scutum, gladium spiritus, & arma iustitiæ debellantes obruere conari solent;* & mox repetendo collaudat ad hoc ipsum *eiusdem Ordinis firmissima fundamenta, duces insignes, milites strenuos, pugilesque indefessos.* Hi ne igitur velut refractarij in Apostolicam Sedem è conuerso diffamari nunc poterant, aut potuerunt?

Quintò Bonifacius IX. in magno illo, ac deplorabili Ecclesiæ Schysmate, quod mox antè exortum erat, & perdurauit per 39. circiter annos, hic, inquā, Bonifacius IX datis Apostolicis litteris apud Sanctum Petrum Kalen. Augusti 1402. cognouit eodem tempore, ac commendauit eiusdem Ordinis *grata deuotionis obsequia, quæ sibi, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderat, & adhuc sollicitis studijs impendere non desistebat.* Hæc ne vera, ac notissima nostrorum gesta, nunc accusantis mendacia reprimere non potuerunt, aut debuerunt?

Sextò, Alexander V. in data Pisis 13. Kal. Augusti anno primo, de exantlatis à nostris aduersus idem prædictum Schysma laboribus, pro pace Ecclesiæ, sic ad nostrum tunc Magistrum Ordinis Generalem scribebat, agnoscens, ac nominans *indefessa, & studiosa opera, pro sanctissima vnione, & readunatione populi Christiani, & præfatæ Ecclesiæ periculis, laboribus, & impensis non parcendo, exhibita &c.* iuxta quæ anno sequenti 1410 in actis Capituli nostri Generalis Bononiæ hæc, inter alia, decreta leguntur: *Item fidelitatem nostri Ordinis ab ipsius fundatione continuatam, & solitam erga Sanctam Matrem Ecclesiam prosequentes volumus, & mandamus &c.* Hæcne laudata nostrorum obsequia in Apostolicam Sedem ab accusante in contemptum Apostolicæ Sedis vertenda erant?

Septimò, Martinus V. in datis Constantiæ 6. Nonas Nouembris anno Pontificatus I. 1418. sublato iam Schysmate, scribens ad nostrum Generalem Ordinis, inquit, *quem pro eiusdem Ecclesiæ, vt à diuturnæ eriperetur scissuræ laqueis, reintegratione felici, curis, studijsque indefessis fructuosius elaborasse experimentaliter*

cogno-

cognouimus: & iterum in altera Bulla data Romæ apud SS. Apostolos 11. Kal. Maij Ponrificatus anno 11. 1428. *Priores, & Fratres, & dictum Ordinem erga nos, & Romanam Ecclesiam singularis deuotionis claritate relucere conspicimus.* Hæc ne testimonia Pontificum exhibitorum obsequiorum à nostris cum modo confictis ab isto criminationibus poterant conuenire?

Octauò (vt etiam ad tempora propinquiora descendam) Leo X. in Apostolicis litteris evulgatis apud S. Petrum die 22. Nouembris anno 1513. de Ordine Prædicatorum hæc habet: *Cum fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, decet, vt etiam in hac vita pro tot suis sanctis studijs, honestisque laboribus ab Apostolica Sede, cuius nostris quoque periculosis temporibus pacem, ac dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, spiritualia subsidia, ornamentaque accipiat.* Heene laudatorum pro Apostolica Sede laborum merces est, de eiusdem Sedis contemptione accusari?

Nonò (vt tot alios omittam) Clemens VIII. in Breui edito Tusculi die 5. Octob. 1604. Pontificatus anno 13. *Ex Ordine*, inquit, *Fratrum Prædicatorum vberrimi in Dei Ecclesia fructus ad omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum, & vtilitatem, ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodibunt.* Sicne igitur prodirent, aut prodijssent, si tot in Sedem Apostolicam refractarij eiusdem filij (nec ab eodem Ordine reprehensi) vt imponit hic auctor, erupissent?

Sed stultus ego, qui immoror his exscribendis dumtaxat elogijs Pontificum, aut testimonijs, cum vel res ipsæ laudatæ nostrorum superabundè nunc testimonium perhibeant veritati. Legat, qui forsan nostrorum gesta ignoraret, *Monumenta Dominicana*, quæ ipse nunc video, dum ista iam antea scripta pro editione parabam, nuper ac breuiter à Magistro Fontana *collecta in Synopsim*, ad institutum hoc nostrum, inscriptam hoc titulo, *De fidis obsequijs ab Ordine Prædicatorum Sanctæ Dei Ecclesiæ vsque modo præstitis*; & vel inuitus agnoscet, quomodo à prima Ordinis institutione, eiusque primordijs vsque ad hæc tempora nostra, non singulis solum annorum centurijs, sæculis, vel Iubilæis, vel Lustris, sed singulis (quod mirum est, & tamen sine dubio certissimum) singulis, inquam, per quinque sæcula annis Dominicanæ familiæ homines, Diuique Dominici filij pro Apostolica Sede Ecclesiaque Sancta, virili pectore, ac indefesso labore, neque interrupta vnquam ingenita fidelitate in eandem, velut fidi Dominici Canes, electam Domini vineam custodierunt pro viribus desuper sibi datis, oppugnarunt, ac vindicarunt aduersus Mundi rectores ac Principes tenebrarum, aduersus Paganorum sæuitias, hæreticorum insanias, Schysmaticorum insultus, sacris prædicationum latratibus, minacibus editorum voluminum dentibus, atramenti sudore simul ac sanguine, in tam immanem copiam effuso, vt vel hostilis æmulorum perfidia suffundi rubore non immerito crederetur, cum sui insuper ingenti adeo Ordinis temporaliumque rerum pernitie, innumerorumque iactura Conuentuum, perlatis vbique in perduellium Ecclesiæ regionibus erumnis, ludibrijs, eiectionibus, exilijs, carceribus, fustigationibus, lapidationibus, næcibusque frequentibus, vti in vulgata prædicta *Synopsi*, per singulos pedetentim annos, obuia cuicumque ac commendanda perenniter exempla superabundè succurrunt, cum vnum ipse, inter tot alia, ex denso adeo spissoque volumine tanquam è flumine

stillam

stillam haurire in praesenti contentus sim, vt agnoscas saltem velut è fimbria vestem.

Dederat antea (vt ibi adducitur, ac enarratur ad annum 1245.) in Lugdunensi Concilio Innocentius IV. *primum, non antea datum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus rubrum galerum, vt agnoscerent capita sua pro Ecclesiae libertate tuenda exponenda esse ad sanguinem & mortem*. Nunc, quaeso te, si huiusmodi insigne & aliquibus alijs alicuius instituti Regularis alumnis Ecclesia impertita fuisset pro decoranda eorundem promptitudine ad mortem alacriter subeundam in Apostolicae Sedis officium, nonne subinde dignoscerentur istius Ordinis filij prae alijs probari peculiari titulo de obsequio in eandem? At perge, si cupis & istud de Innocentio eodem IV. Fontanam eundem, ac Bzouium afferentes simul in probationem exempla, atque in haec verba subdentes. *Concessit Fratribus nostris Polonis inter Gentes praedicantibus Euangelium Christi, vt rubeo galero, rubeis sandalijs, ocreis & chirotecis rubeis, caput, manus, & pedes tegerent ad instar Cardinalium, quibus & ipse Innocentius rubeum galerum in Lugdunensi Concilio iam dederat*. Hinc igitur erunt (vt tandem claudam) quos velut desertores Ecclesiae rebellesque in eandem nunc auctor Diatribarum propudiosa adeo & atroci calumnia proscindit, editoque, licet proscripto, libello diffamat? Sed, obsecro, quid aliud, post tot simul ac tanta, tam manifesta, tam repetita praeconia pro nobis, remanet, nisi vt breuissima manu (quamquam ingestae materiae longiorem paginam postularent) nunc singula praeadducta superius accusationum capita diluamus?

Ad primum igitur de Monte Pietatis, cum tres essent conditiones eiusdem Montis, prima dari mutuo pauperibus de pecunijs Montis aliquam certam summam ad certum tempus, secundam mutuatarium exhibere pignus, quod nisi pro statuto tempore pecuniam reddiderit, vendi possit; tertia, vt, intra praedictum tempus, singulis mensibus mutuatarius minutum aliquid soluat pro expensis Montis, nimirum stipendio Ministrorum, libris rationum, & huiusmodi; inde approbantibus omnibus Doctoribus duas priores conditiones, de tertia dumtaxat, an tanquam immunis ab vsura liceret, acriter ante Lateranense Concilium disputatum fuit, inclinante inter caeteros, etiam Caietano nostro in negatiuam sententiam, opusculo de Monte Pietatis inscripto ad annum 1498 (vt in fine opusculi auctor ipse fatetur, vbi Lateranense Concilium anno 1515. celebratum est) & inter alia ibidem cap. 6. respondente ad auctoritates quorundam anteriorum Pontificum ab aduersa sententia relatas pro Monte Pietatis, in decretis eorundem Pontificum approbantium Capitula Montis Pietatis adfuisse olim, seque legisse, hanc limitationis particulam (*quatenus Sacris Canonibus non aduersantur.*) In Concilio deinde Lateranensi (cui idem Caietanus interfuit tunc Ordinis Generalis, vt idem ipse recenset 2. 2. q. 1. ar. 10.) in sessione 10. Leo X. in Bulla incipiente, *inter multiplices &c.* referens prius hanc controuersiam, *non sine populorum scandalo, & murmuratione exortam olim inter nonnullos dilectos filios Sacrae Theologiae Magistros, ac iuris vtriusque Doctores* (vt ipse loquitur) *& nuper his diebus innouatam*, post compendio restrictas, tum partis reprobantis, tum approbantis rationes, *Nos*, inquit, *super hoc, pro vt nobis ex alto concessum, opportune prouidere volentes, alterius quidem partis iustitiae zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis amorem &c.*

vtriusque vero partis studium commendantes (nota) *cum hæc ad pacem & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ spectare videantur, sacro approbante Concilio declaramus &c.* atque descendens in partem fauorabilem Monti Pietatis, adiungit, *multo tamen perfectius, multoque sanctius foret, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent &c:* pro expensis nimirum Montis, vt in tertia conditione, quam approbauerat, dicebatur, *ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem pertinentia &c.* Inde, vt præmiserat, *ad pacem &c. sub excommunicationis pœna latæ sententiæ,* prohibet *contra suæ declarationis formam de cætero prædicare seu disputare &c.* quamuis nedum in sessione 10 post eandem Bullam referatur *Hieremias Archiepiscopus Tranensis dixisse sibi non placere &c.* verum etiam deinde ob recentem nimis controuersiæ ardorem (non quidem de veritate decreti) sed in quo sensu ea tertia conditio per idem decretum declarata fuisset immunis ab vsuræ labe, dubitatum sit, vt ex nostro Magistro Soto, & ex Siluestro, verbo vsura, colligitur. Interim itaque noster Magister Soto non longe post superueniens ac scribens lib. 6. de Iustitia & iure q. 1. ar. 6. aggressus est expliceare rationem, qua dicta tertia conditio contributionis pro ministrorum expensis, declarata sit per Leonem immunis ab vsura, & prius recitat sententiam eorum, qui pro ratione afferebant, *obligationē ad seruanda excutiendaq; pignora,* ad quam (etsi à ministris Montis assumptam in locum pauperum) teneri tamen pauperes mutuatarios hi supponebant, eiusdemque auctores sententiæ Bullam Leonis X. proferebant. *Alij vero, quorum est Caietanus* (subiungit modeste Soto) *putant hoc non interesse mutuatariorum, sed mutuantis &c. atque in hanc sententiam nostra conclusio inclinat.* Inde pro hac Caietani sententia (quam in hoc solo sensu sequitur) impugnata per integrum ferme articulum præcitata prioris sententiæ ratione vel causa, aliam ipse recenset & addit, dicens: *& si pro mutuationis beneficio nihil possit vltra sortem recipi, tamen mutuandi obligatio, vt supra asserebamus articulo 1. ad 1, digna est prætio, potest quis, inquam, stipendium suscipere, vt sit mutuare obligatus. Cum igitur Mons ille tali sit vinculo adstrictus, licite à mutuatarijs aliquid pro illa obligatione exigitur.* Quid clarius? & concludit, *In hoc nullum apparere vsuræ vitium, dummodo hac solum de causa tenuissima esset exactio.* Deinde responsurus præimpugnatæ aliorum aliter explicantium sententiæ, quæ pro se eandem Bullam Leonis X. referebat, tres subdistinguit solutiones, primam quidem referendo & secundam, quibus non acquiescit, & tertiam denique, in qua ipse persistit. Prima erat, *non omnia acta illius concilij more & vsu esse recepta,* cui solutioni merito noster Soto non acquiescit, licet assentiri postea visus sit Miranda in summa eiusdem Concilij, & Suarez disp. 23. de Censuris sec. 7. dicens *Censuræ huius Concilij Lateranensis, vt Nauarrus adnotat, non sunt visu receptæ,* & denuo nuperrime refert etiam Bail Parisiensis tomo 1. Conciliorum pag. 616. Secunda solutio erat *quod excommunicatio non fertur nisi cum illo moderamine, vt disputatio cohiberetur contra Capitula quatenus sacris Canonibus non sunt aduersa,* quod effugium forte sic respondêtes eruebant ex illa Bullæ particula *ad pacem &c.* & ex Caietano, licet scribente ante Concilium, similiter respondente ad alias minus vrgentes authoritates, quem falso aliqui id scripsisse post Concilium Lateranense supponebant. *Tertia demum solutio* (concludit Soto in eaque persistit) *est quod pensio, quam Bulla in Monte Pietatis approbat, sit illa tantum,*

que

quæ soluitur ratione obligationis ad mutuandum, atque hanc dicit cedere in ministrorum sustentationem. Hæc Soto noster *vir doctissimus & valde pius* (vt loquitur Bellarminus de scriptoribus anni 1500) *qui Carolo V. Imperatori à Confessionibus fuit, & Concilio Tridentino interfuit*, nequaquam inde contemnens (vt falso temereque nunc carpitur) sed interpretans Bullam Leonis, vt ab initio eiusdem articuli conceptis his verbis profitebatur: *Cum hac, quam facimus, protestatione, quod decretis vel Concilij, vel Sanctæ Sedis nullatenus volumus contraire, sed eisdem Sanctissimè obedire, paratissimi retractare quidquid Ecclesia Catholica iusserit, nihil aliud quam operæ pretium arbitror explicare rationes, quæ eundem Montem oppugnare videntur* (audi) *ac post subijcere, qua ratione eadem Apostolica Bulla interpretanda sit.* Hæc ille, quæ abunde pro eodem liberando à calumnia sufficiunt; præter alia quæ habet in defensionem Caietani, & Soto, noster Ioannes à S. Thoma disp. 9. de fide ar. 3. ab initio.

Ad secundum, De absolutione moribundi &c. Profectò quo ad Leonem I. & Concilium Carthaginense 4. præter Sotum & Canum Sapientissimus Aluarez in p. 2. disp. 80. difficultate appendice per totam per integras nouem paginas grauissimè (ut solet) singula eorundem verba perpendit, oppositasque expensiones excludit, ostendens (etiam cum Scoto, alijsque plerisque Doctoribus, quos falso ab aduersa sententia citari demonstrat) non de absolutione Sacramentali à peccatis, sed de altera à Censuris & huiusmodi non sacramentali illos Canones locutos esse, similique responsione Glossæ in cap. *is qui 26*. q. 6, nostros se expedire fatetur Coninchius è Societate disp. 7. dubio 10. num. 100. Nec minus deinde easdem Canonum ponderationes prosecutus est doctissimus æque, ac pijssimus Vincentius Candidus (qui fuit sacri Palatij Magister) disp. 24. art. 25. Romæ scribens ac sua opera dicans (30. post annos ab editione eiusdem Ritualis Paulini) Cardinali Panfilio, qui fuit Innocentius X, adiungens (si Auersæ credimus q. 10 de Confessione Sacramentali sec. 17.) *cum Petro Ioanne de Heredia Rituale loqui in casu, quo Sacerdos præsens per se ipsum perceperit, vel in specie, vel in genere peccata ab infirmo & postea adstantium testimonio edisci dolorem illius de peccatis per desiderium confitendi*. Sed vbi nam, obsecro, probabitur vnquam nostros eorumve libros, Carthaginensis Concilij, vel Leonis Canonem, vel Pauli V. Rituale aspernatos esse? Vtique verum est adhæsisse (vt par erat) edicto Clementis VIII. die 20. Iunij 1602 proscribentis eam propositionem (auctorem honoris causa reticemus) *Licere per litteras, vel internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, quemadmodum etiam Cardinalis de Lugo recenset, & addit noster Ioannes à Cruce, (quem idem Lugo hic pro sua sententia collaudabat) de Sacramento Pœnitentiæ q. 3. dub. 8. *Quod cum P. Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 21. sec. 4. Decretum Clementis ita interpretatus esset, vt ostenderet casum hunc de moribundo non comprehendi illo decreto, tota eius interpretatio à Sede Apostolica damnata, & integra illa sectio 4. prohibita ex libro iussa penitus amoueri, ita vt nulla alia loco eius subrogari posset, cum tamen nihil aliud præter doctrinam de tali moribundo contineret*. Do impressa verba eiusdem auctoris, non mea, etsi, quæ scribit Ioannes à Cruce, scribat omnino & Isambertus de Sacramento Pœnitentiæ disp. 17. ar. 7. Insuper adhærere nostri decreto alteri Congregationis Sanctæ Inquisitionis Generalis die 2. Decembris 1621, quo, dubitantibus

aliquibus, quomodo Rituale Romanum sub Paulo V. commendās *absoluendum ægrum, si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit*. quomodo, inquam, non videretur repugnare præallato decreto Clementis VIII; responsum fuit (vt refert idem Lugo, in hac ipsa sec. 4. disp. 17. de Sacramento Pœnitentiæ num. 52.) *nihil illud aduersari decretis Clementis; propter aliam & aliam rationem*. Verum an hæc alia & alia ratio foret ea præallata ex Aluarez cum tot Doctoribus recitatis ab ipso, aut alia ex Candido, aut quam fere cum Aluarez Ioannes à Cruce prosequitur, vel tandem aliæ potius sint, quas mox subiungo ex alijs extraneis, an hæ, inquam, fuerint concordandi rationes, (vt verum fatear) non adeo rem compertam esse demonstrat, quod habent hoc eodem loco idem Lugo, & Auersa. Prima etenim concordandi ratio, quam refert Lugo hac eadem sect. 4. num. 63. ea fuit, Clementem intendisse confessionem in absentia Confessarij esse ordinariè illicitam, non tamen per se inualidam, vnde stat in casu prædicto extraordinario necessitatis licitam quoque esse, iuxta Rituale, pro qua etiam explicatione Auersa recenset Villalobum & Coninch in opusculo de absolutione moribundi num. 27. Sed tam Lugo quam Auersa fatentur in decreto Clementis hanc simul explicationem proscriptam esse. Secunda fuit, vt refert Lugo num. 65, damnatam fuisse à Clemente simul copulatiuè Cōfessionem factam in absentia Confessarij, & absolutionem in absentia pœnitentis, non vero diuisiue, seu disiunctiue, vel præcise loquendo de confessione facta in absentia confessarij, qui postea præsentem pœnitentem absoluat: *ità* (inquit Auersa) *explicabat Suarez disp. 21. sec. 4. & adhuc sic explicant Fillincius, & Villalobos, & non reprobat Becanus cap. 37. q. 8.* Sed ijdem Lugo, & Auersa confitentur & istam explicationem, *à Paulo V. in Congregatione habita die 14. Ianuarij 1605. reprobatam esse*: tertia fuit *satis communis inter huius sententiæ auctores*, vt loquitur Lugo num. 66. sufficere confessarium esse præsentem postea, cum per testes ipsi dolor pœnitentis manifestus fit &c. fuitque ista explicatio Vasquez: sed nec istam subsistere probat tum Lugo ibidem à numero 66. vsque ad 70; tum Auersa §. *nondum obstat*. Quartam refert ac reprobat idem Lugo à num. 71. scilicet Clementem loqui de Confessione Peccatorum in particulari, quæ fieri solet, Rituale vero de Confessione in generali, quæ in eo casu sufficeret. Quintam demum eligit cum solo Armacano ipse Lugo à num. 72. Clementem loqui de Confessione strictè, Rituale vero de Confessione latè, qualis est petitio Confessionis &c. sed istam etiam reijcit ex proposito Auersa §. *verum*. Quærendum ergo ab auctore Diatribarum erat, an qui huiusmodi explicationibus interpretabantur verba Clementis, Clementem ipsum aspernarentur? Et si semel id renuat de illis admittere (quorum in particulari explicationes reprobatæ sunt) cur id ergo de quibusdam nostris commentus est interpretantibus, per explicationes adhuc non reprobatas, Canones simul antiquos, & Rituale sub Paulo V. præfixo diplomate in generali dumtaxat approbatiuo vulgatum? Sed vltro demus, & admittamus in Rituali eodem pro necessitatis casu laudari (vt accepere recentes extra Scholam D. Thomæ) velut licitam tunc sacramentalem absolutionem à peccatis; numquid exinde de Thomistarum sententia opinantium adhuc ex inualiditate materię inualidam absolutionem fore, tamquam de Opinione improbabili iam actum esset? Audiat, qui hoc opinaretur, in hac hypothesi adhuc, Merolorum 2. p. Basij ar. 13.

sic

sic differentem: *si esset periculum irritandi sacramentum, & simul salus proximi periclitaretur, seruanda est regula illa, (de duobus malis minus eligendum) vt si dubium sit, an monstrum baptizandum sit animal rationale, an moriens dederit sufficiens signum Pœnitentiæ, vt possit absolui, tunc sequenda est pars, quæ fauet saluti animarum, tuncque sacramentum sub conditione esset administrandum. Ita Parochi instruuntur ex Rituali Romano edito sub Paulo V. quod etiam docuit D. Thomas 3. p. quæst. 68, art. 7. ad 2.* hæc Mercorus, ac si diceret: sicut nato monstro, quod aliqui probabiliter opinantur animal rationale esse, alijs probabiliter opinantibus irrationale esse, stante hac diuersitate opinionum, adhuc vtrique concederent, licite vtique sub conditione (ex dicta Regula) baptizandum esse; & tamen exinde non sequeretur improbabilem remanere priorum opinionem opinãtium illud animal rationale non esse. Ita in re nostra stante diuersitate sententiæ Thomisticæ ex vna parte, & quorundam recentiorum ex alia, circa validitatem materiæ, seù absolutionis sacramentalis in hoc casu morientis &c. adhuc licite (iuxta hunc sensum Ritualis) absolutio sacramentalis exhiberetur, & ne dum cæremonialis à censuris, nec tamen propter hoc antiquior, & prior illa Thomistarum sententia improbabilis remaneret. Sic me quidem consule (vt dicam ingenue) hæsitatio quæcunque de hac re manu breuiori quiescit.

Ad tertium de Baronio in vno, aut altero loco Martyrologij correpto per Combefisium, vtinam nec in Montecutio tomo 1. sui apparatus in præfatione ea verba legere licuisset: *Et Castrio Tornielo de la Puente aliàs licuit à Baronio dissentire, & nouissimè ac in primis Doctissimo Petauio.* De Martyrologio tamen illustrato ab eodem Baronio, Baronius ipse in Præfatione cap. 8. præmonebat, *Romani Martyrologij triplicem hactenus in Vrbe esse factam editionem, eiusq; primam, & secundam esse mendosam, nec satis dignam, quæ iterum prælo tradatur, quod cuius culpa acciderit, libentius silentio prætermus. Tertia editio purior atque sincerior facta 1584. accedentibus Litteris Apostolicis &c. cui etsi ex nostris notationibus leuis, certè aliqua accessit emendatio:* Hæc ille, & tamen de hac eadem sua emendatione (post aliam Molani, quam agnoscit cap. 9.) idem Baronius in epist. ad Lectorem aiebat: *homines sumus omnes: nec nobis ipsis tantum tribuimus, vt nusquam putemus offendisse: sed quæ diuturno studio, & labore nobis comparauimus &c. proponimus, Doctorumque iudicio examinanda peruulgamus.* Sic itaque cum hac modesta protestatione auctoris vulgatum, & emendatum à Baronio Romanum Martyrologium præfixo eidem diplomate, Gregorius XIII. approbauit ab initio dicens, *per eruditos, ad fidem Historiæ &c.* (nota) *correctum, & multis in locis auctum &c. mandamus &c. vt hoc vtantur, nulla re addita, mutata, adempta,* hoc est ne quis audeat illud aliter mutando evulgare, aut cum huiusmodi mutationibus evulgatum adhibere; cum quo tamen stat licuisse adhuc postea, tum Baronio, tum aliquibus alijs (quos mox recensebo) non quidem mutatum denuò martyrologium edere, sed in scriptis separatis aliorum iudicio examinandis notitias suggerere, quibus illud iterum alicubi (si videretur his, ad quos attinet) forsan illustrari posse supponerent. Sic etenim præter Antonium Caracciolum è Theatinorum Familia Opusculo integro huic rei adlaborantem (vt omittam Molanum, & alios) idem ipse Baronius post præfatam cum approbatione Pontificis Martyrologij editionem, deinde in appendice ad Tomum 10. expertus est ancipitem alicubi Historiæ fidem, ancepsque ipse per-

mansit, an Faustus Rhegiensis ritè apud Gallos Martyrologio inter Sanctos adscriptus sit, propter acta Ecclesiæ Rhegiensis ex vna parte, & eiusdem Fausti opera ex alia, spirantia Pelagianismum; idemque sensit de Lucifero Calaritano, ac de Felice II, quem ab Albo Pontificum expungendum crediderat, nisi sub eodem Gregorio XIII. inscriptio tumuli Corporis eius nuper reperti, Sanctum & Papam declarassent. Similiter de Sancta Xinoride (quam vnam, Cælitem aliqui crediderunt) auctor ipse Diatribarum hoc loco fatetur *Xinoridam* significare potius, quam vnam Cælitem, bigam, seu binarium duarum personarum, vt apud Hieronymum epist. ad Demetriadem Iuliana Demetriadis mater; & Proba Auia *sancta Xinoris* appellantur, & Nazianzenus Oratione in Basilium, semet simul & Basilium *Xinorida* vocauit. In quo ergo vnus noster Combefisius horum exempla sequutus, in notis vel notationibus alicubi suggerendis, Martyrologium contempsisse culpatur? Si, quod Baronius ipse in Martyrologij præfatione fatebatur, & alibi postea experimento suæ dubitationis comprobauit, non quidem Ecclesiam, (vt Combefisius idem protestatus est) sed Collectores huiusmodi *ad Historiæ fidem* alicubi raro hallucinari potuisse supponit? quænam in eodem Combefisio acronismi culpa, si dum in Autographo ipse scribebat, ea, de quibus ibi sermo erat, *non exstare nisi apud Baronium &c. & ex Surio illa describentem*, mendosè Typographus sic parum per verba mutauit, *apud Baronium &c. & Surium ex illo describentem?* nisi fortasse & Surij nomine simul Scholiasten Surij, (vt sæpe auctor cum Commentario nuncupatur, verbi gratia Martyrologium cum Baronij notis) Combefisius ibidem intellexisset, qui Scholiastes appositè eadem ex Baronio referebat. Quanto igitur peius auctor ipse Diatribarum hoc eodem loco peccauit, imponens, *ad nostram vsque ætatem in Martyrologio Prædicatorum Eusebium Cæsariensem, Arianum, sedem inuenisse?* cum tamen eum vtique Sanctum vocet Ribadineira in vita S. Fabiani Papæ, & Martyris, & Posseuinus eandem notet hallucinationem in Petro in Cathalogo Sanctorum lib. 5. cap. 13. & irrepentem inde in Vsuardum, & Monologium, nostrum vero Martyrologium, anterioris etiam ante hoc sæculum editionis, nullibi habeat Eusebium Cæsariensem, bene septem alios Eusebios, vt Eusebium Palatinum Martyrem die 5. Martij, Eusebium Episcopum Samosatenum & Martyrem 21. Iunij, Eusebium Episcopum Vercellensem & Martyrem 1. Augusti, Eusebium Præsbyterum Romæ sub Constantio XIV. Augusti, Eusebium alterum Romæ martyrem sub Commodo, 25 Augusti, Eusebium Gazensem martyrem in Palestina sub Iuliano, 8. Septembris, & Eusebium Papam Romæ sub die 16. eiusdem mensis, vt legere est in eodem, & inspicere accusatoris mendacium.

Ad quartum de approbatione Religionum, aut Ordinum, expedit audire prius Classicos de hac materia scriptores. Doctissimus noster Ioannes à Sancto Thoma 2. 2, disp. 9. art. 3. *notandum*, inquit, *id quod etiam aduertit Suarez, & Bañez, non esse inconueniens quod Pontifex errare possit in aliquibus circumstantijs Legum, quas statuit, puta multiplicando præcepta aut nimium rigorem &c.* inde post conclusionem de infallibilitate Pontificis in substantia, & moralitate Legum, non in circumstantijs, quæ pertinent ad prudentiam, subinfert eodem modo *Pontificem non posse errare in approbatione alicuius Religionis*, mox infra subiungês, *& hoc intelligendum est sicut conclusio supraposita, de approbatione Religionis, quantum*

ad

ad substantiam, non solum quoad tria vota substantialia, sed quoad bonitatem, & moralitatem ipsius Regulæ & Statutorum, quæ pro ea approbantur, vt conducentia ad perfectionem, quidquid sit de circumstantijs Religionum, aut earum multitudine, quæ per se non sunt connexa cum substantia, & bonitate Religionis approbatæ: Hæc ille, quibus concinunt reipsa Suarez disp. 5. de Fide sect. 8. num. 7. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. & ex proposito Bannez 2. 2. quæst. 1. ar. 10. dub. 7. conclus. 5. in hoc sensu dicens: *possibile est summum Pontificem &c. aliquando errare secundum prudentiam in approbatione, & confirmatione plurium Religionum, quam opus erant in Ecclesia Dei, nunquam tamen huiusmodi error cedet in perniciem Ecclesiæ*, quia nimirum vt mox subiungit, *pertinet ad officium supremi Pastoris, Religiones reformare, vel ad minorem numerum reducere, aut certè quasdam dissoluere, quoniam illarum professi reformari non possunt, aut certè quia inutilis aliqua religio est. Nostra igitur prædicta Conclusio ita est intelligenda, vt error, qui contingere potest in confirmandis Religionibus, non sit maior, quam qui accidere potest in multiplicatione legum Ecclesiasticarum de ijs rebus, quæ ad salutem necessaria non sunt.* Addit inde conclus. 6. ex confirmatione alicuius Religionis cum suis oblatis tunc, & approbatis statutis, non propterea inferri *omnia statuta, quæ postea fiunt ab eiusdem Religionis Prælatis, aut Capitulis confirmata censenda esse, aut approbata virtualiter à Summo Pontifice*, & cur id addiderit causam assignando subiungit: *Sunt enim quidam, qui si forte aliquis vir doctus, & grauis zelo Dei prudenter reprehenderit mores aliquos Religionis eorum, aut defectus particularium personarum, statim argumentum, quasi temerarium accusant, quod Religionem approbatam à Summo Pontifice condemnet*: Hæc Bannez, qui à præcitato Ioanne de S. Thoma laudabatur. Post istos nouissimè Vincentius Ferre quæst. 3. de Fide §. 12. in Opere edito Romæ, ac dicato Summo Pontifici, aliam addidisse aliquibus visus est limitationem pro infallibilitate Papæ in hac re dicens, ac repetens, *Papam non posse errare approbando aliquam Religionem sic quod approbet aliquam regulam, et illam toti Ecclesiæ vt imitandam, vel sequendam proponat, quæ moraliter bona non sit*, ac si subindicet aliam fore rationem de locali aliquo priuilegio aut indulto, quo in aliquo nouo Monasterio, aut Cœnobio noua aliqua velut priuata Ecclesiasticarum personarum Congregatio institui concederetur, velut per *approbationis principium*, (vt appellatur in Concilio Lugdunensi cap. 23.) non per approbationem, eo modo, quo statim ibidem subdistinguit idem Ferre *de Beatificatione simpliciter*, qua solemniter toti Ecclesiæ proponitur aliquis vt Beatus, & de Beatificatione secundum quid, qua pro aliquo loco solum indulgetur celebratio Officij de aliquo, vbi, inquit, *hac approbatio Religionis de qua loquimur*, (scilicet qua toti Ecclesiæ imitanda, vel sequenda proponitur) *non diuiditur in eam, quæ est talis simpliciter, & eam quæ est talis secundum quid*. Adhuc tamen loquendo de eadem, de qua antea, concedit & ipse, *quod aliquando multitudo, quæ bona erat, Religionum, quando approbata est, mutatis temporibus vtilis non apparet*, vndè aliquas etiam ex approbatis hoc modo per Pontifices succedentes iure aboleri concludit. His stantibus (obsecro) nunc videamus quid Canus (& si ab aliquibus in ampliori sensu intellectus ideoque reiectus) amplius velit in loco, quem referebat opponens, ac prælaudati voluere Doctores, vtarque ipse consulto antiqua eius Operis editione, scilicet Salmantina ad annum 1563, vt præcludatur fingendi licentia, qua idem criminator imponit *quædam expun-*

expuncta clam ex Cani Codice recuso fuisse. In præallato igitur lib. 5. locorum cap. 5. sibi propositæ obiectioni responsurus (in qua dicebatur, *aliquos Ordines non modo inutiliter verum noxiè etiam approbatos*, ac inde *in iudicio morum Ecclesiam errasse*, vt hæretici inferebant) iam late defensa mox antè infallibilitate Apostolicæ Sedis, etiam *in morum iuditio*, pro cautiori ad hoc argumentum responsione, ac præueniens auctoris Diatribarum censuram præmittebat: *Qui Summi Pontificis omne de re quacunque iudicium, temerè ac sine delectu defendunt, hos Sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare non fouere, euertere non firmare*, præbendo nimirum, vt subdit, hæreticis ansam suspicandi *tales non iudicio sed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ suscipere. Non eget* (hinc addit ex 6. Decretalium) *non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget*. Inde concludit: *Ordines igitur, vel probare vel refellere, quoniam non est scientia solum* (quæ substantiam respicit religionis, & moralitatis) *sed etiam è prudentia pendet* (quæ scilicet circumstantias multitudinis, & huiusmodi inspicit) *non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit*. Hæc Cano iuxta prælaudatam à nobis antea doctrinam aliorum, quæ iuxta eundem atque in aliorum sensu hoc vltro exemplo facillime explicari valerent. Æque certum est (nisi vis dicere magis) panis substantiam fieri Corpus Christi, quoties à Sacerdote rite ordinato consecratur, ac certum sit religionem saltem quoad substantiam bonam esse, quoties à Summo Pontifice approbatur. Sed non obstante priori illa certitudine, adhuc ita applicatio characteris, seù facultatis sacerdotalis dependet à prudentia Sacerdotis hic & nunc celebrare volentis, vt inde quandoque Sacerdos errare, immo peccare possit in ordine ad circumstantias loci temporis, aut personarum in consecrando. Ergo pariter non obstante hac posteriori secunda certitudine, ita applicatio auctoritatis Pontificiæ pendere potest ab humana prudentia Pontificis hic, & nunc approbare volentis, vt quandoque error secundum prudentiam accidere possit in ordine ad circumstantias temporis, multitudinis, & huiusmodi, vti iam antea præcitati Auctores asserebant. In hunc ergo præexplicatum sensum adducit Cano, tum Concilium Lateranense cap. 13. cuius hæc verba erant, *ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicunque voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis assumat*, tum Lugdunense succedens Concilium cap. 23. in hæc verba alludentia prædictis, *Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetuit, sed quia & importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit &c*. tum demum exemplum Ordinis à Fratre Baptista Cremensi, indulgente Paulo III. (vt dicebatur) instituti in Italia, & postea Romæ reprobati, & extincti. Ex quibus hæc Cano subinfert: *imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex huiusmodi priuilegijs* (en forsan loquitur *de principio approbationis* localis, vt allatum est, non de approbatione generali) *quæ his facile temporibus, vel conceduntur, vel potius extorquentur* (vt hoc verbo etiam vtebatur Lugdunense Concilium) *nouas Religiones non aliter ac de Cælo lapsas* (idest velut etiam in singularibus suis postmodum subrogatis statutis ac moribus indefectibiles) *excipiendas esse confirmant: eas quoque, quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel à suis editam profitentur. Nostro hoc sæculo tam multæ sunt Religiones a Pontificibus confirmatæ, vt qui eas omnes tueri voluerit tamquam*

Ecclesiæ

Digitized by Google

Ecclesiæ vtiles vel necessarias (nempe vt aiebat Ferre, quia multitudo, quæ bona erat Religionum, quando approbata est, mutatis temporibus vtilis non apparet) *hic imprudentiæ ne dicam stultitiæ nomine, iure optimo summis rationibus arguatur*. Hæc Cano, quæ etsi viderentur effusa liberius, non est quin possint interpretari facilius (quam ab Auctore Diatribarum crudelius detorta sint) in præallatis sensibus cæterorum: cum præsertim vix edito hoc opere Cani reipsa Pius V. ob prætactam etiam in multitudine inutilitatem, Ordinem Humiliatorum extinxerit, vti & antea Bonifacius VIII. Fraticellorum Ordinē prius à Cælestino V. approbatum, & Clemens V. Templariorum Ordinem aboleuerant; & succedente hoc nostro sæculo amplius tres alij Ordines simul à Clemente IX. vno diplomate deleti sunt. At (inquiunt tandem) Cano saltem in Institutum ac nomen Societatis Iesu, tum hic, tum supra lib. 4. cap. 2, licet ab Ecclesia approbatum, inuectus est. Sanè (vt id etiam occludam, omisso ex Orlandino lib. 2. num. 84. bene Cardinalem Guidiscionium tunc librum edidisse de non approbanda noua Religione, aut Societate, quam iam approbandam esse suaserat Summo Pontifici noster Thomas Badia tunc sacri Palatij Magister postea Cardinalis) hoc loco Canum (cuius iam verba transcripsimus) vel vnum verbum de Societate habuisse splendida calumnia est. Altero verò superiori loco, ne dum non approbauit, verùm nec memorauit id, quod Suarez deinde tomo 4. de Religione tractatu 10. libro 1. cap. 1. num. 9. confessus est, *non defuisse viros catholicos & doctos arrogantiæ Patrum Societatis tribuentes, quod nomen Vniuersæ Catholicæ religionis proprium sibi vsurparent &c.* atque (subdit) *hoc dicitur fuisse primus Articulus Censuræ, quam contra Societatem Vniuersitas Parisiensis edidit*; eandemque Censuram Parisiensem agnoscit Orlandinus lib. 15. Historiæ Societatis, & Thuanus libro similiter 15. primi tomi subiungit, *plerisque nouum ac superbum hoc nomen visum esse*, & demum nouissime etiam Cardinalis Pallauicinus lib. 24. Historiæ Tridentini cap. 6. num. 6. hoc apud Gallos, immeritum certè, Societatis infortunium recognoscit, cuius apud Canonostrum Hyspanum hominem, ac Episcopum, altum silentium est. Solummodo itaque eruditissimus idem Cano præuiderat ex vna parte Catharos olim, & Donatistas mentitos esse in suis dumtaxat conuenticulis apud se Ecclesiam Christi esse, imitatos & Marcionistas longè antiquiores; de quibus Tertullianus lib. 4. in Marcionem aiebat, *faciunt fauos & Vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionistæ*, vti & denuo eiusdem Cani ætate Caluinistæ, ac Lutherani id iactabant, seu mentiebantur: ex alia parte prænouerat iuxta Epiphanium hæresi 29. *Ecclesiam Christianorum, antequam Antiochia primum Christiani nominarentur, Societatem etiam Iessæorum id est à Iesu nuncupatam esse*, vt alijs ad hoc congestis Baronius etiam obseruat tomo 1. ad annum 64, nec diffitetur Sherlogus tomo 1. in Cantica vestigatione 3. sec. 2. num. 62. Hinc Cano eo citato lib. 4. cap. 2. ex professo perquirens, *Quid Ecclesiæ voce significetur, Ecclesia*, inquit, *græcum nomen est, etsi verbum verbo reddas, latinè conuocatio dicitur*, ac inde in hunc sensum recitatis Apostoli verbis in priori ad Corinthios, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filij Iesu Christi*, continuò in præsupposita mox antè arrogantiam hæreticorum sui temporis infert: *quæ sine dubio Societas tum Christi Ecclesia fit; qui titulum sibi illum arrogant &c.* (scilicet in Conuenticulis suis Caluinistæ, & Lutherani) *hi videant an hæreticorum more* (nempe

Catha-

Catharorum, Donatistarum, & Marcionistarum) *penes se Ecclesiam existere mentiantur*. Hæc Cano. Vbinam ergo de his, qui non sibi arrogarunt titulum Societatis Christianorum, vel Euangelicorum, vt illi, sed delatum sibi solummodo ab Apostolica Sede nomen Societatis Iesu (vt ipsi fatentur) meritò susceperunt, vbi nam, inquam, Cano de istis loquutus est? numquid ergo (sine dubio reponeret idem ipse Cano verba Hieronymi lib. 3. in Ruffinum) *Numquid ergo sciui, quod irascereris si contra hæreticos scriberem? hic vtique est totus error tuus, & hæc iusta querimonia, quod quæ nos in hæreticos dicimus, tu in te dicta confingis.*

Ad quintum de cautione seruanda in imprimendis Sanctorum vitis, seu Legendis, vt vocant, quo ad illa verba attributa Cano lib. 11. cap. 6, *Pontificum in hac parte prudentiam & diligentiam desiderari*, parauerам illud, quod etiã Matthæus Pasinus aduertit, verbum *desiderari* nõ semper vel apud Latinissimos accipi pro eo, quod est *deficere* (vt hic opponens accepit) verum etiam pro eo, quod est requiri, seu necessario, vel vtiliter adesse, iuxta illud Ciceronis lib. 5. ad Atticum epist. 104. *quæ longiorem desiderant orationem*, & pro Quintio 32. *desideremus, & instituta honorum virorum requiramus &c.* atque in hoc posteriori sensu planum erat Canum non male intendisse, *Pontificum in hac parte prudentiã, & diligentiam necessario, vel vtiliter adesse*, quemadmodum re ipsa eodem cap. 6, *audiui*, inquit, *Aloysium Lipomanum Episcopum Veronensem huic malo mederi historia de vitis Sanctorum constanti ac graui ratione edita*. Veruntamen postea consulto eodem cap. 6. per integrum (in quo de hac re pro dignitate materiæ ac pro solita sua eruditione pertractat) nullibi potui offendere verba, quæ hoc loco attribuuntur eidem, bene illa, quibus incautiorum scriptorum potius, quam Pontificum, (quos neque commemorat) culpæ, si quæ sit, id Cano tribuebat, appellans & excusans illos (quos denuo eum proscripto Ludouico Viues hoc eodem §. auctor Diatribarum accusat) excusans, inquam, velut *bonos ac minime fallaces viros, sed indiligentes &c.* ac si pro eisdem cum Seneca responderet: *Antiquitus meliores erant viri: postquam docti prodiere, boni desinunt, accemur enim disputare non viuere*. Et tamen hoc non obstante eodem hoc capite Cano continuo statuit in fauorem Apostolicæ Sedis tertiam hanc ordine regulam: *Si cui*, inquit, *historico authoritatem Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam authoritatem adiungamus*. Vbi nam ergo Pontificum in hac parte incuriam, vel meminit, vel accusauit? Nec fideliter magis accusabatur ipse de tentata collisione Pontificis Pij II. cum Sixto IV. circa stigmata Catharinæ Senensis, commendata subinde in lectione 3. eiusdem Festi ab Vrbano VIII. Summo Pontifice proprio descripta calamo, & authoritate firmata, & sacræ insuper Rituum Congregationis decreto approbata, sub die 16. Februarij 1630. (vti nunc legitur in Dominicano Breuiario) non magis, inquam, fideliter de hoc accusabatur Cano ex lib. 5. cap. 5, vbi nec nomen Pij II. recensetur, tam & si eiusdem vtique approbatio Pontificis pro hac re inter cæteros ab Episcopo etiam Thomasino in Bibliotheca manuscriptorum Patauij existere referatur, & alioquin certum sit à Pio II. reliquas officij partes pro eiusdem Senensis Festo exaratas esse, inter quas in hymno ad primas Vesperas hoc habetur. *Vulnerum formam miserata Christi exprimis ipsa*. Solummodo itaque Cano ibidem intendens (vt sibi proposuerat) assignare discrimen inter

Digitized by Google

Scriptores Canonicos, & Patres Synodi, seu etiam Pontifices, assignato pro secundo discrimine, *quod illis adest Dei spiritus in singulis, etiam minimis, at istis in rebus solum fidei, seu ad salutem necessarijs.* Post alia ad hoc recitata exempla de rebus non ad fidem pertinentibus, vel ad salutem non necessarijs, subiungit: *Sixtus IV. docuit* (non inquit, *definiuit*, cum & plura scripsisse vt priuatum Doctorem versatum diu inter Scholasticos, vel Alua fateatur) *Sixtus*, inquam, *Quartus docuit D. Catharinam Senensem stigmata non habuisse, non defuit, qui contra iudicauit. Neutrius Pontificis iudicium ad Christi Ecclesiam spectat, vtrumque aut probare, aut improbare sine fidei discrimine possumus. Sed valeant stulti, qui de rebus nihili digladiantur.* Hæc Cano in bono (ne id diffitear) legenda lumine, præter alia legenda in Fontana de hoc ad annum 1483. vt inde videas quam inhumane ab auctore Diatribarum, tum hic, tum alibi pessumdari soleat opus hoc eruditissimi simul, ac eloquentissimi Cani, de quo, præ alijs, e Societate Posseuinus in Bibliotheca Scriptorum, *Quo ad libros locorum communium* (ait,) *negandum non esse, quin è fæcundo, erudito, ac facundo ingenio prodierint; eo commendandi magis, quod ipse nostra ætate primus ea breuitate, copia, dispositione, ac perspicuitate de ijs perutiliter egerit,* & Eminentissimus Pallauicinus lib. 12. historiæ Tridentini Concilij cap. 1. eundem *Melchiorem Canum* appellat *Theologum ita abundantis, ac selectæ eruditionis, vti aureum eiusdem opus de locis Theologicis ostendit,* & demum (vt alios omittam) ex eadem Societate Franciscus Garcia in prolegomenis Euangelici Concionatoris, *Verissime*, inquit, *possum affirmare vnum Melchiorem Canum suspiciendæ Monachalis Togæ authoritate, acumine ingenij in disserendo, constantia atque felicitate argumentorum, multiplici nexu iunctorum robore; in ipsa Doctorum instituti Dominicani Accademia, potuisse integræ classis vicem præstare.* Hæc ille.

Ad sextum de sugillatis per Bzouium ad annum 1371. num. 8. Franciscano instituto, eiusque arctissima paupertate &c. ne dum Bzouius ea verba in argumento recitata eo loco non habet, verum nec verbum vllum ad illum annum de Franciscanorum instituto somniauit, in cuius laudes alibi idem ipse diffunditur simul cum laudibus Diui Patriarchę Francisci ad annum 1217 pręsertim num. 9, & ad annum 1220 num. 17. vocans *paupertatem virtutem Reginam fœdere iunctam D. Francisco, qui & eam in summo apice est assecutus.* Bene coactus, ob historiæ fidem ac seriem, ad annum postea 1318 recensere transfugarum quorundam (ex eodem meritissimo Ordine) Fraticellorum aut Beguardorum errores à Ioanne XXII. condemnatos, hoc infortunium Religionis deplorans ac dolens sic exorditur. *Si quo vnquam alio, hoc præsertim tempore impletum est in Ecclesia Orthodoxa illud solemne propheticum, qui manducat panem meum leuauit super me calcaneum suum &c.* Et tandem penitus historiam ad eundem annum 1318, grauioribus etiam descriptis pęnis, Spondanus habet; & prosequuti sunt fusius tum Bail Parisiensis tomo 1. Conciliorum pag. 469, tum Odericus Raynaudus Congregationis Oratorij in supplemento annalium Baronij ad annum 1317 (quorum singulorum verba exscribere, honoris causa, præterimus) recensens etiam tum Bullam Ioannis XXII. incipientem *Fratrum Minorum Sacer Ordo &c.* tum eorum *signiferum Henricum à Cera familiæ Franciscanæ Apostatam &c.* tum falsam eorundem excusationem adductam à quodam recentiore (scilicet Dermitio Thadæo in Bzouio expostulato) id deducente ad hoc solum,

quod illi obsolescentem Sancti Francisci disciplinam suo splendori restitui cuperent, & maxime Petrus Ioannis, qui sub Nicolao IV. incurrit aliquorum, quibus vita laxior placuit, indignationem ex studio veræ disciplinæ. Sed contra huius excusationis auctorem ira Odericus prosequitur: *crediderim authorem hunc ignorasse Petrum Ioannis insignem hipocrytam plurium hæresum inuentorem iudiciali sententia damnatum, neque aduertisse quam longe absit à Sedis Apostolicæ, in condendis decretis, maturitate dignitateque ob leues obtrectatorum susurros, ita Christianorum Orbem commouere.* Hæc ille. quæ occurrunt etiam atque respondent Diatrib. authori, vbi vel Io: XXII. in prædictos, vel Leonem X. in Lutherum, vel Clementem VIII. in quendam alium è suis, vel Innocentium X. in hominem Teutonicum, vel Cardinales Congregationis Indicis in proscriptos libros & huiusmodi, à Dominicanis inflammatos fuisse abreptosvè ausu temerario confingit. Omitto inde, quæ addit pro hac eadem repellenda calumnia in proposito idem Odericus de eadem Apostatarum secta hæresibus contaminata pro germinante sub Cælestino Pontifice atque per Bonifacium VIII. Benedictum XII, & Clementem, repercussa decretis pœnisque, vt de quatuor præsertim Massiliæ adiudicatis incendio ex manuscripto Vaticani describit. Omitto & quæ de eisdem Pseudo Minoribus nominatim habet vel Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ li. 2. cap. 52. Ordinis Minorum. Omitto, inquam, exscribere singula, vt vel inuitum agnoscas me huiusmodi Ordinum infelicitates, ne dum repetere, sed audire, prætactos tantum ad liberandum ab impostura ingenuum scriptorem Annalium Abrahamum Bzouium, qui leuius adhuc (quam Spondanus, vel Odericus, vel alij) attingens eadem pro necessitate materiæ, proinde repeteret cum D. Bernardo aduersus Abailardi sequaces: *Quædam etiam fieri videntur in Ordine, absit tamen, vt sint in Ordine. Nullus quippe Ordo quidquam recipit inordinatum; quod vero inordinatum est, Ordo non est. Vnde non aduersus Ordinem, sed pro Ordine disputare dicebaus eram, si non Ordinem in homine, sed hominis vitia reprehenderam.*

Ad septimum de pia illa sententia Pighij, quod nullus Pontifex adhuc vt persona priuata vnquam peccarit in fidem; etsi & illam permittamus esse probabilem, longe tamen oppositam plerisque communem probabiliorem esse, iam constantior res esse videtur, vt tractat nouissime Ferre, iuxta quam præter lapsum vel interiorem Honorij I, de quo problematica fere apud authores, eorumque probationes, opinio remanet, vt videre est in Bellarmino de Romano Pontifice lib. 4. quo ad alios duos, noster Combefisius sic solum habet: *Defecit Marcellinus ab assertione, & defensione Catholicæ pietatis, item Liberius quicquid sit de ipsa fide:* Hæc Combefisius, & hæc Combefisij assertio est, quam tute defendit in proposito etiam de Honorio Bail Parisiensis nouissime tomo 1. Conciliorũ pag. 326. Potius ergo Combefisij discursus rationibus; (si quas habebat (non sarcasmis, impetere, aut vltro eidem censuram) quam non adhibet Combefisius) non attribuere author Diatribarum debuisset: proponit enim sibi Combefisius ibidem verba Agathonis Papæ dicentis. *Væ mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi* (scilicet prædecessores Pontifices) *sinceriter prædicauerunt, prædicare neglexero,* & de horum verborum sensu dubitans, an inde, ne dum ipsam Apostolicam Sedem, idest Põtifices vt Pontifices (quod de fide certum esse supponit) verum etiam vt priuatos homines immunes semper ab errore fuisse probetur, producit pro affirmatiua interpretatione Pighium, &

inquit,

inquit, *Asserit Albertus Pighius: Sed*, subdit statim Combefisius, *negant docti quique, vt & aliqui erroris insimulent, nec certe errante censura*: Hæc ille, in quibus bene vult, cum alijs doctis, Pighium errasse, ideſt falsum esse, interpretando in hoc sensu verba Agathonis, nunquam tamē dixit piam illam Pighij ab initio recitatam sententiam *erroneam* esse, seu theologica censura notandam; quēadmodum, si ipse ego respondens alicui mecum disputanti de opinione probabili aliqua, & Aristotilis verba referenti pro se, subijcerem eum in aliqua sua glossa eorundem verborum errasse (quod nil aliud esset quàm à me falsam eam glossam reputari) nunquid exinde oppositæ illi alterius scholæ sententiæ velut *erroneæ* censura theologica infixa per me esse diceretur? Apage, nimis hæc leuia sunt, adeoque futilia, vt vel hoc ipso experimento probetur, quam longe absit à merendo fidem idem author Diatribarum, tum de alijs alibi, tum de eodem Combefisio superius Diatriba prima §. decimotertio denuncians eundem *Combefisium in collatione actorum sextæ Synodi adhærentem assertioni Arnaudi Galli (quem Innocentius X. damnauit hæreseos) de SS. Petro & Paulo duobus simul Ecclesiæ capitibus indiuiduè in vnum coalescentibus &c. sic per cuniculos molientis exæquare Romano Pontifici omnes Episcopos*. Et tamen reuera ibidem Combefisius pro Sancta Sede protestatus aiebat: *Hæc obiter pro eius reuerentia, & subnotatione* (ideſt proscriptione) *libelli de duplici capite Ecclesiæ &c.* ideoque vbi Arnaudus ille, sicut & in Petro, ita & in Paulo amplam eam celsitudinem velut *ordinariam* reponebat, hic solum *extraordinariam* asserit, vbi ille intendebat eandem deriuabilem formaliter in Episcopos, hic tantum, inquit, *materiali saltem successione in Romanos Pontifices* deriuatam: Vbi ille Petro *æqualē Paulum* omnino supponebat, hic ait aperte, *Paulum nec extraordinarij illius Apostolatus celsitudo ab eiusdem Petri, velut saltem personali, subiectione eximebat*; Vbi ille subinde nec Episcopos inferiores Romano Pontifici indicabat, hic excludit idipsum inter alia dicens, *vnus maior inter Fratres Romanus Pontifex, Petro succedens in plenitudine potestatis, eiusque vna Sedes Apostolica &c.* Adeo vt (licet quæ hic, aut alibi etiam respondendo explicamus, non omnia velut asserendo probemus) & ista Combefisij explicatio videatur accinere Bellarmino lib. 3. de Romano Pontifice cap. 3. hinc concludenti: *Itaque omnis Pauli gloria ad Pontifices pertinet. Nihil etiam efficeret Petri Pontificatui summa dignitas, & authoritas Pauli, quoniam extraordinaria erat, quanta, quanta tandem esset*, ac proinde Combefisius idem Diatribarum authori, sua truncanti, aut mutanti verba, valeret occurrere cum Augustino lib. 4. in Iulianum cap. 8. *Tu vir honestus, & verax abstulisti verba, quæ dixi, & dixisti, quæ finxisti; redde ergo verba mea, & euanescet calumnia tua*.

ARTICVLVS II.

An Euchardus, Eimericus, Ptolomæus Lucensis, Martinus Polonus, aut Nicolaus Burgundius eidem Sedi Apostolicæ iniurij fuerint.

VIdetur sic asserendum Petro Valclusino eadem Diatriba secunda singulos istos criminanti similiter, velut Sedis Apostolicæ contemptores. Et primo, quia S. Franciscum stigmata Domini Iesu in corpore suo portasse soli hæretici diffitentur, vt Beza in cap. 6. ad Galatas, Mornæus in Mysterio

iniquitatis pag. 345. Balæus, & alij; multi vero Pontifices eadem stigmata attestati sunt, vt Gregorius IX, & Alexander IV. & tamen Frater Euchardus Dominicanus solus inter Catholicos concionem habens Copani in Morauia hoc decus S. Francisci commentitium esse effutiuit, ne dum igitur D. Franciscum, sed præclaros Pontifices contemnere ausus est.

Secundò, similiter illud ex Apocalypsi (*vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis*) in sensu accomodatitio aptauerant aliqui S. Francisco, vt D. Bonauentura in prologo Legendæ maioris, & alij longo agmine adducti à Fratre Saluatore Vitali in Floreto Aluerniæ, Hyacintho IV, & diserte Leo X. in Bulla, quæ dicitur *Vnionis*. Et tamen solus Nicolaus Eimericus Ordinis Prædicatorum 2. p. Directorij Inquisitorum q. 11. in hanc accomodationem zelo amaro efferbuit visus eam hæreseos condemnare. Inhonorauit igitur simul cum D. Francisco Leonem X. accomodatione eadem vtentem.

Tertiò, Ptolomæus Lucensis Dominicanus adhærēs vulgi rumoribus (quos excitarat malignitas Petri de Flotte fingentis Epistolam Bonifacij VIII, ad Regem Galliæ) asseruit Bonifacium scripsisse litteras ad Regem Franciæ, quibus esse se Dominum omnium & temporalium, & spiritualium affirmabat, & contrarium tenere iudicabat hæreticum, at iudicare, negantes dominium vniuersale Pontificis in temporalia, esse hæreticos, sordet errore manifesto, cui nec ipsi Pontifices adscribuntur. Affingendo igitur Bonifacio hunc errorem aut hæresim hic Ptolomæus Lucensis eundem atrocius longe dehonestauit, quam quod ab alio quocumque inhonoratus esse historicis referatur.

Quartò, Hæretici ad eorundem Pontificum subsannationem vix aliquid crebrius ructant, quam narrationem de Ioanna Papissa, licet absurdam fabulam esse conuicerint postea Onuphrius in additionibus ad Platinam, vbi de Ioanne VIII, Floremundus Remundus iusto opusculo, Turrianus lib. 3. dogmatum, Bellarminus lib. 3. de Pontifice cap. vltimo, & ex multis Coccius tomo 1. Thesauri lib. 7. art. 14. Et tamen *primus orbi has merces intulit Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum, vt bene statuit Trithemius libro de scriptoribus*, si opponenti hoc loco credamus. Et hic igitur Dominicanus vulgatæ per heterodoxos subsannationis Pontificum in causa est.

Quintò tandem (vt minutiora quædam alibique soluta dimittam) certe in Concilio Basiliensi Eugenius IV. legitimus Pontifex omnibus tetris notis deformatus est, ita vt hæreticus relapsus & pertinax sit declaratus, octo præsertim inter Theologos conclusiunculis approbatis, quas veritates appellabant. Sed id euenisse *industria & solertia Nicolai cuiusdam Burgundionis ex Ordine Prædicatorum*, testatur, & scribit Æneas Syluius, qui aderat, *quem Nicolaum*, inquit, *longe maioris animi quam corporis, nec disputationum, nec Congregationum aures vnquam personare omisisse, donec res capta & consummata esset*. Homunculus igitur iste Dominicanus tantorum in Eugenium motuum excitator post præadducta conuincit, & vere Dominicanos inhonorationis seu dehonestationis Sedis Apostolicæ reos esse demonstrat.

In oppositum tamen est, quod iuxta illud vulgatum adagium, *oderunt lupi Canes*, Hæretici iurati hostes Apostolicæ Sedis nullos alios vnquam atrociori odio prosecuti sunt, quam illos, qui in Apostolicam Sedem obsequentiores agnoscebant, atque ardentius pro eiusdem defensione laborarunt. At nullos

magis

magis oderunt quam Dominicanos, sicut praecaeteris ex Luthero colligitur praesertim in libro contra Regem Angliae dicente, *Hic sto, hic sedeo, hic insulto Thomistis*, ac vniuersim de Sectarijs eiusdem simul atque Caluini id obseruabat Pallauicinus lib. 1. historiae Tridentini cap. 23. scribens, *Eorum cum Dominicanis inimicitias specialiores & acerbiores fuisse ob administratum ab eisdem munus Quaestionis &c.* in eosdem scilicet perduelles Apostolicae Sedis, quibus ex aduerso Marcus Antonius de Dominis in potentissimo opere inscripto *de Republica Christiana* aduersus Ecclesiasticā Pōtificatus Monarchiam, acceptissimus fuit. Signum igitur euidens est nullos alios, prae Dominicanis, fuisse obsequentiores in Apostolicam Sedem, aut ardentius pro eiusdem defensione laborasse, aut laborare.

Respondeo eos potius inhonorare Apostolicam Sedem, qui de non praestito in eandem obsequio, Dominicanos accusant. Praeter enim recitatas in hanc rem in superiori articulo Pontificum Bullas, certum est eosdem Summos Pontifices ab ineunte Ordine Dominicanis, prae caeteris, specialiora semper pro Sede Apostolica munera detulisse, in praemium veluti recogniti antea ac subinde comprobati eorundem obsequij in eandem, quemadmodum vel Diatribarum authore fatente §. 157. *Caetus Dominicanorum tametsi respectu caeterorum Iacobi filiorum non fuerit principium paterni doloris, est tamen citra dubium prior in Donis, Maior in Imperio. Sunt Dominicani praecipui administri Pontificum in plerisque Tribunalibus, non absque spe infularum aut purpurae. Iidem omnino insignibus praerogatiuis ab eisdem Pontificibus exornati sunt, supra omnes Religiosos ac etiam supra Clericos.* Haec ille, non sanè in re discedens à Benedicto XI. in data Laterani 6. Idus Martij Pontif. anno 1. vocante Ordinem Praedicatorum, *Apostolicae Sedis clementia tot gratijs dotatum, sublimatum donis & priuilegijs roboratum.* Aut ergo necesse est aduersarius idem fateatur, Dominicanos vere peculiari obsequio in eandem Apostolicam Sedem haec sibi velut in praemium seruata adhuc munera promeruisse, aut imprudenter Pontifices tam grandia eisdem Dominicanis decora conferre simul ac retinere prae reliquis voluisse: Et cum illud prius pro suo in nos liuore non velit, iam hoc secūdum pro sua in eosdem Pontifices irreuerentia subeligat necesse est. Contra quod tamen nimis temere prolatum assertum, audacter taxans imprudentiae Pontifices, insurgeret merito, tum inter veteres ipse Ioannes XXII. de Ordine nostro sic habēs, *eo latius ab Apostolica Sede meretur attolli, quo ipsius professores erga sedem ipsam &c. se exhibent plus deuotos*, tum Clemens VI. *dignum*, inquit, *quinimmo debitum reputamus, vt Ordo praedictus in eadem Ecclesia longe lateque diffusus, ob honorem & reuerentiam B. Thomae Doctoris Almifici, ac praefati Ordinis praeclara merita, per Sedem Apostolicam spiritualibus foueatur praesidijs, & à cunctis vbique, qui Christiana professione censentur, deuotione congrua multipliciter honoretur*, tùm Nicolaus V. prae alijs à se laudatis Ordinibus, *Ordinem tamen*, ait, *Fratrum Praedicatorum eiusque pro tempore Religiosos tanto potioribus fauoribus & gratijs confouere satagimus, quanto illorum scientiae, virtutibus & fructuosis operibus etiam ad fidei Catholicae conseruationem & incrementum, ad aiunt nominis laudem & gloriam, id conspicimus in Domino expedire*, tum è posterioribus Leo X. addens, *decet, vt etiam in hac vita pro tot suis Sanctis studijs, honestisque laboribus ab Apostolica Sede &c. Spiritualia subsidia ornamentaque accipiat*, scilicet Ordo Praedicatorum, tum pro postremo hoc seculo Clemens

VIII.

VIII. & alij, quorum etiam verba in superiori quæstione retulimus. Immo reclamarent Annales & scripta vel ab extraneis nostrorum gesta, quibus pro nobis hæc veritas comprobaretur: Omissa siquidem singulorum Conciliorum serie, in quibus ab ineunte Ordine (vt infrà ostensuri sumus) nostri semper pro Sancta Sede egregiam operam nauauerunt, atque in reprimendis, aut conuertendis hæreticis id strenue semper prosecuti sunt (vt infra iterum pertractabimus) hoc solum in præsenti velut spicilegium exemplorum pro re nostra collectum de ingenti alioquin messe sufficiet.

Spondanus ad annum 1245. num. 6. de quibusdam nostris hæc scribit: *Ab Innocentio IV. missi in Persidem ad Baiothnoi peruenere, vnum ex præcipuis Ducibus Tartarorum: A quo arrogantissimè excepti, quod dixissent se missos esse à Papa, qui apud Christianos dignitate maior quouis alio existimaretur, ac renuerent ipsum Baiathnoi adorare in signum subiectionis Papæ ad ipsum &c. vix necem sæpius in eos à Barbaro decretam effugerunt &c. varijs modis delusi & ignominiosè habiti in summa victus egestate aliquamdiu detenti fuere.*

Ex Alberto Leandro lib. 5. fol. 249 & ex Spondano ad annum 1428, sub Martino V. cum Bononiensis Ciuitas ab obedientia Ecclesiæ simul & Pontificis defecisset, ne dum Frater Dominicus Magacosta Prior Conuentus Dominicani Ciuitatem pro Pontifice obsedit, verum, & timentibus reliquis eidem Vrbi significare Pontificis interdictum, noster ibi Beatus Conradinus Brixiēsis gestans illud affixum hastæ ipseque insidens equo euocatum in plateam maiorem Populū constantissime inclamauit: *Ecce vobis Deo, & Vicario eius rebellibus Vniuersa diuinorum sacra interdicuntur*; & licet detentus ad mortem, per vicos, per quos ducebatur, vociferari non desijt (*obedite rebelles Pontifici*) repetebatque vel inclusus carcere, quousque Viri Dei constantia fracti tandem Bononienses resipuere.

Apud Bailium Parisiensem in Summa nouissima Conciliorum tomo 2. pag. mihi 580. in notis ad Concilium Parisiense sub Gregorio IX. anno 1231, vix instituto Ordine, ob Dominicanos fidei Quęsitores à Gregorio IX. missos in Galliam aduersus hæreticos, & ob persequutionem Raymundi Toparchi Tolosani omnes nostri eidem *pro Romanæ Ecclesiæ deuotione intrepide resistentes publico interdicto abire Tolosa iussi rebus omnibus exuti, & ferè seminudi, bini, & bini per mediam Ciuitatem cruce prælata exeuntes, ingenti voce symbolū fidei concinebant &c. Nec multo post Narbonense Cænobium eiusdem Ordinis à furentibus hæreticis solo æquatum, Fratres capti, & multis iniurijs affecti.* Hæc ibi, quibus longe peiora perlata à nostris in Italia & alibi à Bauaro persequente nostros aduersos intrepidè sibi stantesque pro Ioanne XXII. Summo Pontifice legi possunt, in Fontana recenter edito ad annum 1328, simulque testatur Ioannis XXII. in Bulla *Quam procellosis &c.*

Ex Fernandez in concertatione Prędicat. ad annum 1512, conuocata Pseudo-Synodo Pisana aduersus Pontificem, imperterrite renuerunt nostri in Dominicano Cęnobio Pisis degentes eidem conciliabulo assentiri, malueruntque exilium pati, vt pertulere reipsa Mediolanum exinde petentes, similemque, immo maiorem, nostrorum Pisis constantiam pro Apostolica Sede afferemus infra q. 6. ar. 1. calamo fusiori descriptam.

Ex Michaele Michouio de rebus Polonię apud Fernandez eundem disserta-

tione

tione 301.numero 30;ad annum 1559.sub Paulo IV, cum Brentius hæreticus, alijque Germaniæ sectarij Sigismundo I. Poloniæ Regi obtulissent libellum suas aduersus Romanum Pontificem hæreses continentem, vt subscriberetur à Rege, Rexque deceptus iam subscribere paratus esset, Melchior Mosticensis Dominicanus Inquisitor generalis Poloniæ, superueniens (dum ista agerentur) intrepida, & apostolica libertate porrectum iam Regi calamum de manu excussit, Schedas hæreticorum discerpsit, eosque coram Rege viua voce, ac tonanti spiritu confundens repulit in Germaniam, præpediens ne rebellio ab Apostolica Sede serperet in Poloniam, adeout, nedum ex hoc facto, sed subsequentibus alijs, postea (vt habet cum Bzouio Fontana ad annum 1571) Episcopus Cracouiensis Romam S. Pontifici hæc verba scripserit. *Si Fratres Prædicatores in Polonia contra hæreticos non stetissent, vix vestigium aliquod orthodoxæ fidei in eo regno Poloniæ remansisset.*

Verum, ne hic diutius fatigeris, ô Lector, & vt nos hic vnius compendio exempli plurimos comprehendamus è nostris, videndus tantum (vt Plodium nostrum omittam p. 1.lib. 2.& Fontanam ad annum 1260) videndus Martinus Chromerus lib. 9. Poloniæ vel laudatus Michouius lib 3. cap.4. de rebus Poloniæ, & tibi clades occurret Vrbis Sandomiriæ post Lublinensem illata ad annum 1260, sub Alexandro IV. per Tartaros Religionis Catholicæ ac Romani Pontificis infensissimos hostes, ante quam cladem præcedente nocte dum nostri ibidem in Choro matutinas preces absoluerent, Nouitius legens (de more) indiculum Martyrologij pro die sequenti, inopinatò aureis in eodem characteribus scriptum offendit, tremensque perlegit hæc verba: *Sandomiriæ Passio 49. Martyrum*, qua re tam mira à Priore perpensa, ac intellecta (vt par erat) portendere sequuturam in crastinum necem sui ac suorum per manus hostium Apostolicæ Sedis, sacra à singulis exomologesi percepta, reipsa dum die sequenti sacras preces in Ecclesia repeterent, omnes ab imo ad supremum quadraginta nouem Dominicani ibidem stantes intrepide pro Apostolica Sede interempti decoris laureas meruerunt. Hæc constantiæ nostrorum (vt omittam omnia, quæ Lopez tota quarta parte suæ historiæ, & nuper Fontana in *monumentis Dominicanis* per volumen integrum de hoc eodem argumento percurrunt) constantiæ, inquam, nostrorum pro Sancta Sede grauiora longè ac veriora specimina sunt, quam falsa sint illa, (leuissima licet, & paucissima, etiam acriori studio hinc inde quæsita ac collecta) quæ pro accusandis eisdem nostris de Pontificiæ maiestatis contemptu auctor Diatribarum afferebat.

Ad primum igitur de Euchardo in Morauia concionem habente, ac negante (vt ei imponitur) stigmata Diui Francisci à Pontificibus commendata; interrogandus erat id referens, an ipse inter alpes ortus, Lugdunique scribens, vnquam in Morauia fuisset, ibiq; audierit loquentem illum ac ita dicentem, vel potius (cum illius ætate non fuerit) ex quonam historico aut Scriptore ista desumpserit; & cum nec primum affirmare valeret, nec pro secundo scriptorem aliquem nuncuparit, iam illis D. Basilij verbis lib. 1. in Eunomium repellendus est: *qua de causa id quando scribebat, reticuit? interrogetur, respondeat, qui sunt, qui accusarunt? &c. qua ex parte Orbis terrarum venerunt? qui fuerunt iudices, apud quos ille certamen hoc subijt? in quod iudicium hæc accusatio delata fuit?*

sed

sed vt arbitror, etiamsi voluerit, mendacio vti non poterit; quare nihil verius, quam hunc dicendi modum, ad decipiendum, ab ipso excogitatum fuisse. Reipsa, si qui è catholicis, præter hæreticos, dubitarunt de stigmatibus D. Francisci, alieni sine dubio fuerunt, non nostri, vti de *Clerico quodam nomine Rogerio maioris Ecclesiæ Canonico apud Potentiam Apuliæ Ciuitatem* nominatim enarrat D. Bonauenra in Legenda maiori, simul ac de quodam *altero Minorita concionatore* in sua hæsitatione ab eodem D. Francisco apparente correpto, quod etiam fere de ipso Gregorio IX. recenset. Ex aduerso *Benedictus XI. ex nostris aßumptus ad Apostolicam Sedem Author fuit Festi stigmatum sacri, quod etiam apud nos die 17. Septembris celebratur*, vt loquebatur Vincentius Tolosanus lib. 1. sec. 3. pag. mihi 298, & repetit ex Spondano ad annum 1304. Fontana nouissime idemque adhuc legitur demandatum in Capitulo Generali Romæ 1650.

Ad secundum de Eimerico in ea Apocalypsis verba aptata eidem D. Patriarchæ Francisco, audienda sunt prius verba Oderici Raynaldi Congregationis Oratorij in supplemento Baronij ad annum 1318. de errore Beguardorum aientis: *Signifer horum hippocrytarum extitit Henricus à Cerra familiæ Franciscanæ apostata, atque hæresiarca, qui plures ex eo sacro Ordine infecerat. Desciuerant ij adeo à B. Francisci institutis, quibus reuerentiam in Christi Vicarium, & Cardinales imperauerat, atque in eam superbiam viri impij proruperant, vt duas fingerent Ecclesias, alteram affluentem opibus, & delitijs, obsitamque sordibus, cui præesset Romanus Pontifex, alteram humanarum rerum inopia diuitem, ac virtutum omnium genere exornatam, qua ipsi continerentur &c. Christi Euangelium extinctum olim, in ipsis reuixisse, & florere effutiebant*: Hæc Odericus, cui præiuit Spondanus ad annum 1325. numero 6. dicens: [hoc item anno Ioannes XXII. Pontifex Postillas quasdam Petri Ioannis de Seriniano Ordinis &c. (reuerentiæ causa taceo) professoris, de quo superius in Euangelium Matthæi, Epistolas canonicas, & Apocalypsim, ex quibus fomentum non modicum sumebant Sectarij, qui se pauperes de tertio Ordine S. Francisci appellabant, damnauit, & igni adiudicauit, quod refertæ essent hæresibus, & blasphemijs; quarum 22. Capita Eimericus in suo Directorio collegit, quæ ad hæc in summa referuntur; vt voluerit impius Fraterculus Babylonicam meretricem intelligi Ecclesiam Romanam: mysticum Antichristum esse Romanum Pontificem: B. Franciscum esse Angelum illum, qui dicitur in Apocalypsi habuisse signum Dei viui, eiusque regulam esse vere, & proprie illam euangelicam, quam Christus in semetipso seruauit, & Apostolis imperauit; perfectum statū Ecclesiæ cœpisse à tempore eiusdem B. Francisci.] En vides in quonam improbo sensu ab istis longè diuerso ab illo, quem D. Bonauenrura, & alij deinde non reprobarunt, (quemque etiam Breuiarium nostrum D. Vincentio Ferrerio coaptat) verba illa de Angelo Apocalypsis pro B. Patriarcha Francisco acciperent, & quem inde meritò reprobans in istos tantum (non in Leonem X. Eimerico posteriorem, neque in B. Bonauenturam aut alios) Eimericus noster inuectus est.

Ad tertium de Ptolomæo Lucensi circa epistolam Bonifacij, videndus omnino noster Magister Bannez de iustitia, & iure in præambulo inscripto *de Dominio Christi* ad q. 62. S. Thomæ q. 4. dub. 2. per totum, vbi postquam cum cōmuniori Theologorum sententia, (quos refert) negauit in p. conclus. *Pontificem habere dominium temporale super totum Orbem per se, & directe in Ordine ad finem tem-*

temporale, Inde cum eisdem Theologis in 2. conclus. asserit eidem Summo Pontifici *Dominium temporale instrumentale*, *& indirectè super totum Orbem videlicet in Ordine ad finem spiritualem*, iuxta distinctionem D. Thomæ 2. 2. quæst. 60. ar. 6. ad 3, & Caietani ibidem, atque in hoc sensu huius secundæ Conclus. idem Bannez non solum in responsione ad primum intelligit aliam auctoritatem D. Thomæ, quæ ex fine secundi sententiarum contra primam conclus. producebatur, verum etiam in solutione ad secundum in eodem sensu interpretatur cum alijs eandem epistolam Bonifacij VIII, quam contra eandem primam conclus. ipse afferebat, neque proinde aduersus Ptolomæum Lucensem referentem eam Bonifacij epistolam, difficultas aliqua remaneret. Quid si Possevino nobili è Societate Scriptori adhæreamus? qui in apparatu de Scriptoribus V. *Ptolomæus*, ne dum asserit, sed confirmat ex Raphaele Volaterrano, *Ptolomaeum Lucensem scripsisse volumen historicum Pontificum* (do verba eiusdem Possevini) *& breuiter attigisse viros, qui temporibus singulorum claruerunt, vsque ad Cælestinum V. cuius temporibus se dicit fuisse anno* 1275. ac proinde, cum Bonifacius VIII. eodem Cęlestino V. posterior fuerit, de eodem Bonifacio VIII. non Ptolomæum scripsisse, sed alios, quæ subiuncta feruntur, assuisse manifestissimè consequeretur. Quid si referens Bonifacij epistolam à Petro de Flotte (vt dicitur) adulteratam, ac cum eadem adulteratione tunc quidem ignotam, communiter circumlatam, supponebat Bonifacium in affigendo censuram opposito cæterorum asserto, ex sua velut priuati Doctoris sententia loquutum esse? non ne eiusmodi cum eadem censura Epistolam (præter Ioannem Villanium eadem ætate scribentem, & cum ipso Duplexeum in Philippo testantem vsque adhuc in Galliæ Archiuis retineri) confessus est iterum reperiri in Bibliotheca Victorina Spondanus in supplemento Baronij ad annum 1301 numero 11? qui Spondanus alioquin primus fuit in detegenda fraude interpolatoris, seu deprauatoris Petri prædicti? non ne ergo sic referens illam (vt ferebatur) Bonifacij tempore, neque exinde detectum (post trecentum & amplius annos) Plagiarij dolum valens præuidere vt Propheta, pro sui defensione repeteret cum D. Hieronymo præfat. in Pentatheuchum, *aliud est esse vatem, aliud interpretem, ibi spiritus ventura prædicit, non hic*, aut saltem de relata (vt supponebatur) ex Bonifacio censura sine vllo in Pontificum dignitatem præiudicio (ex sententia eiusdem vt Doctoris priuati dumtaxat) responderet, quod postea scripsit & noster Cano lib. 11. de locis Theologicis cap. 6; *qui res humanas à Diuis* (idem de Pontificibus, vt priuatis hominibus à fortiori concedes) *qui res humanas à Diuis, quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent, hi diuos ipsos ne homines quidem fuisse videntur credere. Quanto sapientius Euangelistæ fecerunt, qui vel in ipsis Apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam grauiores dissimulant.* Hæc ille (quæ solum pro Ptolomæi defensione referimus) cum cautione alioquin pro temporum conditione, ac maiestate personarum intelligenda, atque seruanda.

Ad quartum, de Martino Polono quo ad putidum illud, & obsoletum de Ioanna Papissa Commentum, non desunt Bellarminus, & Possevinus, qui asserant Martinum Polonum Dominicanum non fuisse. Accipe Possevini verba de scriptoribus. *Martinus*, inquit, *Polonus patria* (*vt habet Esingremius*) *Car-*

tulanus, Monachus Ordinis Cisterciensis, quem nonnulli Dominicanum faciunt, alij etiam Scotum fuisse affirmant, hæc ille addens & Bellarminum. Sed verius nuperrimus scriptor noster Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Scriptorum Ordinis ex testimonio quamplurium aliorum ostendit Martinum Polonum è nobili Stremporum Familia, patria Cartulanum, dignitate Archiepiscopum, instituto fuisse Dominicanum, à Martino Cisterciensi distinctum, Bononiæque sepultum in templo D. Dominici propè Aram maximam, ac inter alios, de eodem hæc habet Trithemius (ad quem nos auctor Diatribarũ prouocabat). *Martinus Ordinis Fratrum Prædicatorum, domini Papæ Romæ Pænitentiarius, & postea (vt fertur) cuiusdam Vrbis Episcopus, Vir in scripturis sanctis studiosus, & eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij fuit. Scripsit quædam præclara Opuscula, quibus nominis sui memoriam ad posteros transmisit, è quibus ego tantum vidi Tabulam Decreti, Chronicam succinctam, Sermones de tempore, Sermones de Sanctis, & de diuersis miraculis. Claruit sub Ludouico Imperatore IV. anno Domini 1320. Sunt qui scribant hunc Martinum Ordinis D. Patris nostri Benedicti extitisse, quos (mea sententia) nominis Mariani Scoti Ordinis nostri, cuius supra memini, similitudo fefellit, qui & ipse Chronicam scripsit. Sunt item alij, qui Cisterciensis Ordinis Collegio eum existimant aggregandum, quos aut ignorantia rerum offuscauit, aut liuor.* Hæc tantum de Martino nostro Trithemius. Vbi nunc, quæ ex eodem Trithemio referebat auctor Diatribarum, de Fabula illa Ioannę Papissæ dicens? *primus Orbi has merces intulit Martinus Polonus, Ordinis Prædicatorum, vt benè statuit Trithemius*. Quandonam, vel quo loco vnquam Trithemius hæc scripsit? benè ait *quosdam nominis Mariani Scoti similitudinem fefellisse*, quem Marianum Scotum appositè (Martino Polono nostro per duo sęcula superiorem) auctorem prædictæ fabulæ facit magnus Annalium scriptor Cardinalis Baronius ad annum 853, & forsan etiam hac de causa *alij*, vt loquitur Posseuinus, *Martinum fuisse Scotum affirmabant*. Quidquid vero sit de adulteratis ab hæreticorum manibus etiam huius Mariani Scoti, vel Sigeberti Schysmatici Germani libris (quem Sigebertum etiam alij, apud Bellarminum, eiusdem Strophæ Architectum existimant) à nostro saltem Martino Polono, Seuerinus Binnius in Leone IV. constantissimè amolitur, & arcet imposturam hanc dicens: *Martinum hac fabula adauxit Bernaldus Basiliensis typographus, ex cuius prælo anno 1550 in lucem prodijt: exstant enim, Suffrido Petri, & Iosia Sunlero attestantibus, plurima manuscripta exemplaria, à quibus hanc, infinitasque Fabulas abesse animaduerterunt, quæ in impresso Codice reperiuntur*, & statim addit inter alia alterum sibi consignatum exemplar à Reuerēdo Fratre Ioanne Cæsare, cum editio Conciliorum pęne absolueretur, ad futuræ editionis fidem. Ad idem refert alia autographa manuscripta Bzouius, tum in Annalibus ad annum 1278. num. 32. tum in Opere de rebus gestis in Polonia Ordinis Prædicatorum cap. 6. & cum eo nouissime noster Altamura V. Martinus. Idem antea obseruauerat Ciacconius in Leone V. Romæ ante Pontificum oculos scribens. Idem Spondanus nota ad Baronium apposita anno 853. dicens, *Prodibat Chronica ex autographis edita, maxime ex illo Ioannis Cæsar anno 1616. in lucem emisso, Martinum Polonum nullam prorsus huius Fabulæ mentionem fecisse, licet solido vulgi rumore eius assertor prædicetur*. Idem confirmat è Societate Labęus in Bibliotheca noua manuscriptorum, ex pluribus manuscriptis, quæ ex-

tant

tant adhuc in diuersis Bibliothecis, maxime Parisijs apud Gabrielem Naudæum, & alios. Idem tandem euincunt Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi, Aubertus Miræus in sua rerum Belgicarum Chronica pag. 141. & alij plures, quorum pondere Diatribarum auctor suffocari valeret.

Ad quintum, de Nicolao Burgundio, an Basileæ aduersus Eugenium steterit, etsi deceptum adhuc illum cum tot alijs errantibus ibi tunc forsan ita stetisse admitteremus (vti ex Ænea Syluio accusator sibi id colligere visus est) quid aliud, obsecro, ille de seipso repeteret, nisi quæ in Bulla retractationum de se similiter tunc errante cum Basiliensibus, scripsit postea factus Summus Pontifex Pius II, qui antea idem ipse Æneas Syluius dicebatur? *existimauimus, inquit, bene agere, & recta incedere via, nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quam publica vtilitas, & amor veri. Sed qui non errer mortalis?* non minus ac Cardinalis Iulianus eiusdem Concilij Præses (qui cum pluribus alijs Cardinalibus ibidem errauerat, & post Concilium resipuit) in eadem Pij II. Bulla recitatus aiebat, *deceptus decepi, & credens prodesse nocui*; Immo *& Cardinales* (addit ibidem idem ipse Pius II.) *ex Vrbe profecti Eugenio infensi Vitam eius, moresque carpebant. Accedebant in horas caternatim noui Curiales, qui (vt est omnis multitudo maledica & Principi inimica) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant. Neque nos Eugenium diligere poteramus, quem tot, tantique testes indignum Pontificio docerent.* Hæc ille, atque inde confessus se tunc, *cum Basileæ inter eos versaretur, Dialogorum libellum scripsisse*, vti & mox infrà, tūc *se scripsisse Epistolas, & Opuscula &c. nec Basileæ quempiam inuenisse, qui ea damnaret, quia probant similia similes &c. Verendum est*, inquit paulo antè ab initio eiusdem Bullæ, *verendum est ne talia nostris aliquando successoribus obijciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pij.* Verendum itaque similiter esset (proportione seruata) & nobis, ne permissa adhuc hipothesi ista (quod Nicolaus ille Burgundius è nostris cum eisdem errasset) talia nostro aliquando Ordini obijcerentur, & quæ *Nicolai* fuerunt, Prædicatorum Ordinis dicerentur, quemadmodum iam nimis iniquè accusator hic noster obiecit. Verendum, inquam, nisi hac data hipothesi adhuc aliunde constaret ex Spondano, & Binnio ad calcem eiusdem Basiliensis Concilij, (cui postea declinanti in conciliabulum nostri Basileæ Patres Cœnobij Dominicani fores occluserunt; ex Ferrario & alijs apud Fontanam anno 1433) in eodem Concilio ex eodem Ordine nostro adfuisse, qui egregiam pro Sede Apostolica operam nauauerunt, tum Ioannem de Ragusio Procuratorem Ordinis Prædicatorum, tum Henricum Kalteizen Dominicanum Coloniæ Inquisitorem, quorum alter per tres dies, alter per octo solus cum Hussitis hæreticis coram integra Synodo congressus Ecclesiæ causam inuicto spiritu propugnauit, præter quos duos Spondanus adiungit, tum ad annum 1439. num. 50. Ioannem à Turrecremata meritò *defensorem fidei* nuncupatum, purpuraque ab Eugenio decoratum, tum ad annum 1443. num. 20. *Ioannem Capreolum Tolosanum Ordinis S. Dominici doctissimum professorem, & Doctrinæ S. Thomæ egregium defensorem*; vt videas adhuc nostrum in data hipothesi Ordinem ex Basileæ gestis plurimas de obsequio in Ecclesiam laudes promeruisse. Sed negant vltrò hipothesim duo è Gallia Scriptores, Casalas scilicet reflex. 2. §. 34, & Vincentius Tolosanus lib. 1. sect. 3. interpretantes ea Syluij verba de Nicolao Burgundio à Spondano relata ad annum 1439. num. 22. *Ceptis his circa medium*

Aprilis industria atque instantia cuiusdam Burgundionis ex Ordine Prædicatorum; et ista intacta remansura, nisi istius homuncionis diligentia Patres excitasset, hæc, inquam, verba in eo dumtaxat sensu interpretantes, vt Nicolaus noster prius videns paucissimos aduersarios (numero nouem, vt Turrecremata, qui aderat, attestatur) ardentiores in Pontificis Eugenij damnationem, spe inde concepta felicioris pro Eugenio euentus, laborarit ad hoc, vt disceptatio tandem deduceretur in finem, qui prædicto principio, speque concepta longe infelicior euasit, declinantibus reliquis pluribus inopinato in nouem antea præuisorum sententiam. Neque id difficile alicui videri potest (præter præallata verba ferentia hunc sensum) si id aliunde sic communiatur, aut roboretur: primo ex eo quod Pius II. (qui antea Æneas Syluius dicebatur) in prælaudata eadem retractationis Bulla pro sui excusatione similiter asserebat, *Accessisse, & ipsius Eugenij consensum, qui dissolutionem Concilij à se factam reuocauit, & progressum eius approbauit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur &c. præterita enim omnia per duas litteras Concilij Patres Eugenio sese remissuros, & pedes eius tamquam B. Petri exosculaturos promiserunt*; En spes, quę Burgundionem etiam nostrũ facili negotio fefellisset. Secundò quia laudatus Turrecremata nouem dessignãs illos prædictæ damnationis promotores, dicit fuisse septem Episcopos, & duos à suorum Ordinum obedientia Apostatas, atque Episcopos nominatos (quorum nomina tacet, non compressurus silentio sodalem, ne vesti suæ tantummodo parcere videretur) vbi Nicolaus noster nunquam inter Episcopos nominatus est, vel apud Syluium, vel apud alios, quinimmo inter 32 electores Antipapæ Felicis, in eodem conciliabulo, ne dum Nicolaus noster non legitur, verum nec vel vnus Dominicanus nominatur, vti ex alieno aliquo Ordine adfuerunt, vt notat Fontana ad annum 1437. Tertiò quia Pius II. in eadem Bulla inter Promotores damnationis Eugenij, ne dum Nicolaum Burgũdionem non meminit, verum nominatim tantummodo refert *adeuntes Basiliense Concilium Nicolaum Panormitanum Archiepiscopum, & Ludouicum Pontanum Apostolicæ Sedis Notarium, qui velut duo Orbis sidera, ac duo præcipua lumina, & clarissima censebantur, dictis, scriptisque Concilij gesta probauisse, Eugenij facta damnauisse, nec fuisse, qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere*. Quartò quia Syluius eo tempore, quo scribebat Opuscula (in quibus dixisse refertur Burgundionem excitasse Patres) pro parte aduersa contra Pontificem stabat, Burgũdionemque propterea, si pro eadem tunc sua parte stetisset, laudasset potius, quam irrisisset, vt præstitit appellans *homuncionem*, ne aliter semet aliosque suos simul Basilienses traduceret, velut sinentes se ab homuncione deduci. Quintò quia si alioquin Basilienses passi fuissent se ab hoc homuncione regi in depositionem Eugenij IV. inique factam sess. 34. mense Iulij, non sic postea statim sess. 36. succedente mense Octobris (reluctante eodem Dominicano, vt par est credere, pro contrario suorum domesticorum placito) reprobassent eorundem Dominicanorum placitum circa Deiparam, vt in eadem illius Conuentus sessione nunc legitur. Sextò tandem, quia, vt loquitur Bail Parisiensis tomo 1. summæ Conciliorum pag. 504. in notis ad idem Concilium Basiliense, *immo in ea conflictatione aduersus Eugenij Defensores multa disputauit Thomas de Courcellis Canonicus Ambianensis inter Doctores Theologiæ insignis, ac præcipuus fabricator decretorum Concilij, vt nemo plura, quam ipse, in eo dictauerit &c.* Cur ergo

hæc

hæc Nicolao Burgundio nostro nunc imponuntur? cur & Syluij verba præaddueta in præexposito sensu interpretanda non erunt? Cur hæc tam obsoleta tam falsa nostro imputantur nunc Ordini, dum nos ipsi silemus, nedum de superioris sęculi hæresiarcha & Apostata, & eiusmodi alijs, verum etiam de eo, quem scimus, & cuius Ordinem scimus, nostris hisce diebus in Regno quodam cum suis, & inhonoros Apostolicæ Sedi damnatos libros euomisse, & quatuor adminus pacis turbatrices propositiones exsuscitasse, atque fouisse? Sed hæc præterimus potius quam explicemus, ne vel nobis dubio vel saltem in se Sanctissimo accusatoris Ordini id exprobrare aut reponere, in re licet opportunissima, videamur. Et hæc idcirco de prædicto Nicolao simul, & de tota hac nostra quæst. 2. respondente Diatribæ secundæ, sunt satis.

QVÆSTIO TERTIA.

De imputata Thomistis contemptione Sanctorum.

QVi vos spernit me spernit, aiebat Apostolis Dominus 10. apud Lucam, *Qui enim illos, cum quibus viuit*, scilicet Vicarios Christi ac Apostoli Petri successores, *contemnit, si cum illis vixisset, illos etiam* scilicet Christum ac Cælites *contempsisset*, vt subdebat Chrysostomus in Matthæum hom. 42. Post imputatum igitur Angelici Præceptoris Discipulis contemptum in Apostolicam Sedem, de imputata eisdem consequenter irreuerentia in Sanctos, ac Cęlites (vt aduersarius imputat Diatriba 3.) agendum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Deipara, vel SS. Stephanus, Hieronymus, Chrysostomus, vel Martinus Papa & Martyr à nostrorum aliquo inhonorati sint.

VIdetur ita esse Petro Valclusino Diatriba 3. contra singulos prædictos Cælites singillatim è nostris aliquem referenti. Et primò contra Deiparam (omisso Dominicanorum placito, quod temerator hic legum vbique fere criminose condemnat, sed liberat à Censura iteratis postremisque decretis Ecclesia) in antiquo libello, inquit, Fratris Petri à Vincentia Dominicani, recuso Tolosæ opera Fratris Antonini Reginaldi (*quanquam*, subdit, *non prorsus inanis dubitatio, plerosque pulsauit, essetne id opus fabrefactum de nouo à Fratre Reginaldo*) pagina 15. habetur. *Beatam Virginem vsque ad momentum Incarnati in ea verbi fuisse contaminatam à peccatis actualibus*, pagina 77 *Beatam Virginem fuisse succensam fomite peccati*, & pagina 33 *æstu fragranti carnalis concupiscentiæ arsisse, & omni vitiorum sorde fuisse maculatam*, pagina denique 67 *Beatam Virginem in peccatorum puluere fuisse conculcatam*. Hæc autem (si vere in eo libro reperirentur; quæ ab arguente ficta esse probabimus) ne dum impia, sed blasphema in Deiparam esse nemo sine dubio negabit. Adiungit hic alia quædam ambigua magis, quæ oretenus à Candido vel Donato solus ipse dicta supponit (nec probat) quæ tamen non inficiatur vel Augustinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 13. similia dicta quandoque *significare solum opposita vana esse nisi ad aliquem rectum finem certa ratione referantur*, immo ipsemet Augustinus similia dicta in hoc sensu vsurpasse videtur lib. 4. contra Iulianum operis imperfecti

perfecti cap. 56. Iuliano vocanti se ipsum *Patronum asinorum*, respondens ac dicens: *Cur ergo non intelligis Asine, similiter esse verum, ex commixtione maris & fœminæ expertes delicti homines nasci non posse, & asinos posse?* Sed istis omissis, noster accusator de Francisco Combefisio subiungit, in notis ad orationem S. Germani, concedente Beatam Virginem tempore mortis Christi in Caluaria laborasse *infidelitate negatiua, quæ sita erat in sola consideratione ab absorbente dolore, ita Deo permittente, ad auctiorem cruciatum ac meriti cumulum, sic enim negatiuæ huiusmodi infidelitas videri poteet nec Mariam dedecere, per quam illa œconomiam suam, ac martyrium suum accerbissimum compleret.* Hæc omnia ex Combefisio. Cum tamen Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 4. sec. 4. & Canisius lib. 4. Marialis cap. 28. omnesque Scholastici ex aduerso reclament. Deipara igitur, *quæ Sancta Sanctorum est* (vt Damascenus, Oratione 2. de immaginibus loquebatur) à Dominicanis dehonestata fuit, vt iste concludit.

Secundò circa D. Stephanum, Canus lib. 2. locorum cap. 17 (vt idem accusator hic refert) ne dum reliquit insolutam difficultatem de septuaginta quinque animabus memoratis à Stephano (apud Lucam Actorum 7) velut ingressis Ægyptum cum Iacobo, & si Genesis 46 tantum 70 animæ fuisse dicantur (quam difficultatem soluit postea Delrius ad hunc locum Genesis) nec solum authoritate solius Iosephi Hebræi conuellit, quod Stephanus referebat de Iacobo & Patriarchis translatis in Sichem (quod postea pro Stephano explicauit Sancius ad cap. 7. Actorum versu 16.) verum, quod grauius est, cum Stephanus dixisset, *Abraham emisse sepulcrum à filijs Hemor filij Sichem*, opponit Canus ex Genesi 33, à Iacobo filio Abrahæ, non ab Abraham, id factum esse, ac proinde contendit Canus *Sanctum Stephanum in longa narratione, eadem que subita impegisse, non tantum confundendo nonnulla atque miscendo, sed etiam per lapsum memoriæ, secus quam se haberent, referendo*. Hoc autem intollerabiliter scriptum à Cano censuit Delrius in cap. 23. Genesis versu 20. *de Stephano scilicet pleno gratia* (vt actorum 7. dicitur) *& cuius sapientiæ ac spiritui, qui loquebatur, resistere non poterant Synagogæ Doctores*, huic eidem affigendo errorem eo ipso loco, *quo à sapientia & loquente per eum diuino spiritu coram Christi hostibus commendatur*, vbi in vero sensu eiusdem verba interpretati sunt postea Sancius, Lorinus, Cornelius, & alij ad idem caput Actorum, necnon Salmeron tract. 23. in eadem Acta, Pererius disp. 2. in cap. 23. Genesis, Ludouicus à Tena lib. 3. isagogæ difficul. 9. sect. 6. & cæteri. Iniustè igitur à Cano solo S. Stephanus irreuerenter admodum habitus est.

Tertiò de Hieronymo, quem Augustinus lib. 1. in Iulianum cap. 7. asserebat *ab oriente vsque in occidentem velut lampadem fulgentissimam resplenduisse*, vocabatque *ad instar Solis* Cassiodorus libro diuinarum lectionum cap. 20, cæterique passim Doctores commendant, de hoc ipso solus inter Catholicos Canus lib. 11. locorum cap. 5. scripsit, *non debuisse Hieronymum tantopere ridere, quæ ridenda non erant, & plerumque fuisse cum Capitosum, & in fide adhibenda morosum*, nec his contentus (vt refert opponens) hoc epiphonema subiecit: *Credulitas etiam in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. At viri quidam excellentes, cum a vulgi facilitate & credulitate declinant, in aduersum quandoque vitium incurrunt, suntque tum etiam increduli, cum in fide nihil est vitij, in incredulitate vitij non nihil est*: Hæc Cano. Merito igitur Canus de demorso his verbis Hieronymo

ab

ab opponente, accusatur etiam ex Augustino Epistola 30. asserente, *Hieronymum Catholicis omnibus peruenerabilem, à solis hereticis lacerari.*

Quartò, Ioannem Chrysostomum appellauit Anastasius VII. Hexameron, *Christi fluuium*, Theodoretus Dialogo 1. *Magnum orbis lumen admiratione dignissimum Doctorem*, Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 42. *Ecclesiarum omnium oculum*, & alij frequenrissime summis laudibus cumularunt. Et tamen Combefisius in historia hæresis Monothelit. §. 14. difficultati sibi propositæ, cur Chrysostomus titulo Martyris honestatus non fuerit, cum in ærumnis ob persecutionem obierit, non minus ac Martinus I, ac Siluester, qui ideo inter Martyres relati sunt, idque sufficere docuit S. Audœnus in Actis S. Eligij, respondet Combefisius de Chrysostomo aliter factum esse, quia vexatus est *nulla fidei mota quæstione, ac plerisque Eudoxiæ talibus, vt vel dissimulari, vel leuius haberi potuissent, quam vt tantam viro conflarent inuidiam. Quo factum est, vt vix tandem ipsius nomen in Episcoporum saltem ordine potuerit recipi, ac referri in Diptycis, tanquam eius, qui fuisset Sacerdotio exactus ab Episcopis*, eiusdemque nominis tardæ reductionis in Diptycha causã fuisse addit idem Combefisius (si opponenti credamus) *solutionem S. Chrysostomi linguam, & intemperatum zelum in Eudoxiam*. Dehonestat igitur hic Aristarchus Chrysostomum ea culpa, qua (nisi ante obitum eum pœnituisse voluntarie confingeret) ne dum à Martyrum, sed Confessorum, ac Cælitum ordine deleretur, reclamante Innocentio Primo, qui statim ac eiusdem obitum audiuit, statim eiusdem nomen in Diptycha referri mandauit, aduersarijsque Sancti viri (qui tandem resipuerunt, vt Theophilus Alexandrinus & alij) sedulo restitit licet regnante tunc Theodosio iuniore pijssim, Imperatore (cuius parens Eudoxia fuerat) ne Imperatorum honor læderetur, hinc in ambiguo causa relicta est vexationum, quas ab Eudoxia Chrysostomus passus erat, nec inde eidem nomen Martyris delatum est.

Quintò, Martinum I. similiter Pontificem & Martyrem (vt agnoscit Ecclesia in Kalendario, atque hoc titulo commendauit S. Audœnus in Eligio) eodem §. 14. idem Combefisius nimiæ rigiditatis condemnat & acciti sibi eam ob causam interitus in ærumnis. Ediderat siquidem Constans Imperator edictum, cui nomen Typo, quo præscribebat dimittendas voces vnius, aut duarum in Christo operationum, hoc iusto rigidius accipiens S. Martinus (ait Combefisius) authorem Typi, Paulum Constantinopolitanum exauthorauit, nihil veritus irã Imperatoris, qui Typũ ad bonum pacis evulgãdum edixerat atq; comprobarat, cum potuisset S. Martinus Typum benigne interpretari tã quam indicẽs vocum dumtaxat silentiũ, non autem professionem vnius aut geminæ in Christo operationis. Qua ratione SS. Basilius, & Gregorius Theologus (vt refert Ioannes Constantinopolitanus Epistola ad Constantinum Papam) indulserunt Macedonianis, vt Spiritum Sanctum non dicerent Deum in actu signato, dummodo re ipsa non excluderent eum à deitate. Nullam talem indulgentiam circa Typum, & Typi defensores admittere volens S. Martinus, aduocauit in se eam molem ærumnarum &c. Ecclesia turbata &c. durius accipiendo, quæ mitius accipi poterant, aut vere debebant ad tot malorum declinationem. *Sic Combefisius* (vt refert opponens ac loquitur). At hoc est ponere in cœlum os suum, eademque ratione (ac de Chrysostomo expensum est) Sanctissimum Pontificem Martinum Cœlo exturbare, immo simul

damnare

damnare Gallos Antistites, qui, vt est in actis S. Audœni, Typum eodem modo intellexerunt, quo S. Martinus, hincque S. Martinum cum Concilio Romano, cui præsidebat, vnaque Gallos Episcopos suffragatos Italis, insimulare est barditatis, & asperitatis, vniuersamque deinceps Ecclesiam S. Martino suffragantem in reiectione Typi tanquam pestilente hæresi sordentis, nec dumtaxat indicentis silentium indifferens de paucis vocibus (vt ille comminiscitur) quanquam & ipsum quoque silentium certarum vocum merito sæpe improbatur, quia ore confessio fit ad salutem, præsertim in cardinalibus mysterijs, in quibus (vt est diuinitas Spiritus Sancti) iubemur explicitam fidem adhibere, nec proinde verum est (quod ex Ioanne Constantinopolitano corruptæ fidei homine referebatur) S. S. Basilium, & Gregorium sic indulsisse Macedonianis &c. Nimis igitur irreuerenter à Dominicanis Scriptoribus Cælites habitos esse in libris suis, haberique solitos, his accusationum capitibus demonstratur.

In oppositum tamen est, quod iniuste nimis accusarentur de inhonoratis Cælitibus illi, qui immo Cælites inhonoratos ab alijs constantissime tutati sunt. At id egerunt Dominicani vindicantes tum ab hæresi Anomæorum Chrysostomum, Basilium, Theophilactum, Theodoretum, Nissenum, & alios, quos singulos ea hæresi fœdatos esse contendit Vasquez ad 1. p. q. 12. de Visione simul atque Molina ibidem, sequiturque Salas in p. 2. trac. 2. disp. 4. sect. 1. tum ab hæresi semipelagiana Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, Damascenum, Theophilactum ac plures, quos hæresi eidem inuolutos exhibent similiter Molina in concordia disp. 21. & Vasquez in p. p. disp. 89. cap. 3. & disp. 91. cap. 8. tum iterum defendentes nostri Augustinum, Fulgentium, ac Prosperum, aut ab imbecillitate in refellendo Pelagianorum errorē, aut ab imputato excessu in declinando in hæresim Manichæorum dum Pelagianis obsisterent, quibus vitijs non pauci (infra referendi libro 5. q. 2. art. 1.) eosdem Cælites deturparunt: tum vniuersim turbantes S. S. Patrum authoritatem, quam author elucidarij & libelli supplicis imminuere conatus est, vt libro 1. retulimus. Immo hic ipse Diatribarum Liber, cui respondemus, in evulgato decreto Senatus Tolosani iustissime iudicatus est, *Refertus multiplici propositione impia, ac sacrilega contra honorem Beatæ Virginis, S. Thomæ Aquinatis, & S. Catharinæ Senensis, quibus pietas debitaque eorum sanctitati veneratio impetitur.* Hæc ibi sub die 17. Iulij 1662. Nimis iniuste igitur Dominicani ex aduerso in re præsenti de inhonoratis Cælitibus accusantur.

Respondeo immerito Dominicanis, aut S. Thomæ discipulis, irreuerentiā in Sanctos à scriptore prædicto imputatam esse. Cum enim idem scriptor ad nauseam vsque frequentissime repetat Dominicanos arctissimè, ac tenacissimè suo S. Thomæ adhærere, tum §. 4. vocans *per omnia inhærentes S. Thomæ &c. tenacissimosque doctrinæ eiusdem*, tum §. 8. ampliora addens, tum §. 20, tum §. 40, tum 42, tum 52. inter alia id etiam in nostris accusans, *quod S. Thomas Aquinas pluresque eorum sit pro obiecto fatui amoris &c.* consequenter adminus admittat necesse est, Dominicanos eosdem, ceu S. Thomæ discipulos, pro arctissima ista obstrictione in eundem, eiusdem saltem Thomæ methodum imitatos esse aut imitari. In methodo autem S. Thomæ quam peculiariter vbique reuerentia in Sanctos eniteat, quæ mox subiungo, conuincunt: eosdem igitur S. Thomæ

mæ discipulos eandem reuerentiam adminus in Sanctos obseruare, aut obser uasse per consequens necesse est. Hanc porro perpetuo S. Thomam præ reli quis coluisse, sedulo iam diu obseruabat (vt alia à nobis lib. 2. suprcius scrip ta prætercam) primævus, ac fidelissimus eiusdem interpres Caietanus 2. 2. q. 148. ar. 1. in fine dicens, *quia summe veneratus est sacros doctores ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est; scriptum est enim, quod declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, & in eadem 2. 2. q. 174. ar. 1. vbi ob au thoritatem Augustini suam antea scriptam sententiam limitare Angelicus vi sus est, *Reuerentia*, inquit ibi Caietanus, *Doctorum congenita tanto viro, ratio e horum dictorum, propria autem sententia fuit prius dictorum*; & 3. p. q. 27. ar. 4. a 3, vbi pro honore Deiparæ coactus fuit (quod nullibi aliàs) de Chrysosto mo asserente Deiparam in nuptijs Canæ Galileæ vanægloriæ *humanum qui passam esse*, coactus est, inquam, modeste respondere, *in illis verbis Chrysostomu excessisse*, statim etiam in mitiorem sensum eiusdem verba interpretari poss subiungens, *Considera*, subdit Caietanus ibidem, [reuerentiam, modestiam, sa pientiamque tanti Doctoris: Inuenit Chrysostomum in hac materia contrari Augustino, & rationi; non clamauit accusando, exaggerando (vt hodie faciun multi) modestissime dixit (excessit) sapientissime subiunxit verba ipsa reduc posse ad sanum sensum, quidquid author senserit subticens. Frequenter enir author, sicut in philosophia Aristotelem vt philosophum exponit, quidqui ipse Aristoteles senserit, Ita in theologia Doctores vt Theologos, quidqui illi authores senserint, exponere conatur, vt eorum verba, in sensu sano sal uentur.] Hæc Caietanus, præter quæ legi potest idem S. Thomas eadem 3 p. q. 39. ar. 6. vbi de Columba apparente in Iordane quærens, *an fuerit verui animal*, eligit in reuerentiam Augustini negatiuam sententiam vt probabilio rem, relicta affirmatiua probabili, quam secutus fuerat in primo senten. dist 16. ar. 3. Et p. p. q. 70. ar. 3. & secundo contra gentes cap. 90. de animatic ne Cœlorum, ad minus Patres dissidentes adinuicem concordare conatur quemadmodum etiam lec. 1. in cap. 1. Ioannis componit cum Augustino An selmum, *an verbum cogitatio dici possit*, eundem cum eodem qu. 4. de veritat art. 2. *an singulæ personæ dicentes sint*, cum Damasceno Dionysium, de causalita te corporum superiorum in inferiora, q. 5. de veritate art. 9. Nazianzenum cum Damasceno, *an Christus homo Deificatus valeat nuncupari*, 3. p. q. 16. ar. 6 & cum alijs alios frequentissime alibi, vt videas quam merito postea noster Gra uina in Cherubin Paradisi lib. 2. cap. 3. prædictæ SS. Patrum doctrinæ illustra tæ per D. Thomam (qui quasi Sol refulget in Ecclesia Dei) singularique ordin applicatæ in sua theologica Summa, adaptarit id, quod in Genesi dicitur d Luce creata prius, antequam Sol appareret, iuxta Dionysium 4. de diuini nominibus ab eodem Angelico adductum & explicatum p. p. q. 67. ar. 4. a 2. his verbis: *Prima illa lux fuit lux Solis, sed adhuc informis quantum ad hoc, quo iam erat substantia Solis, & habebat virtutem illam illuminatiuam in communi, sec postmodum data est ei specialis, & determinata virtus ad particulares effectus*. Sic ete nim (inquit Grauina, cuius placet hic exscribere verba) [Lux certe prima in Ecclesia formata fuit, S. Dionysij, Irenæi, & cæterorum Doctorum, Basili Nazianzeni, Augustini, & aliorum, sed applicata est hæc doctrina ad diuerso tractatus, de Deo, de Trinitate, Oeconomia Saluatoris, & Sacramentis, in

forma scholastica. Nec minuit id Patrum Sanctorum gloriam, quod doctrinam San. Thomæ vocauerimus Solem: Nam hic Sol primam lucem velut matrem habuit, & theologia Thomæ partus est doctrinæ Sanctorum: Et sicut non obscurat gloriam Christi, quod ortus sit de Virgine velut Sol de Stella, cum hæc dignitas à Christo Matri conferatur, vt Solem pariat, ita est gloria Patrum quod ex eorum prima luce ortus sit hic Sol, idem in substantia cum luce eorundem.] Hucusque Grauina eleganter ac docte.

Nec minus tamen (præter expensum iam locum ex 3. p. q. 27. ar. 4. ad 3. vbi D. Thomas pro honore Deiparæ Chrysostomum etiam, aut modeste deserebat, aut exponendum esse monebat) non minus, inquam, in Deiparam reuerentia probatur, in quam non nisi obsequentissimi esse queunt, qui (vt vidimus) obsequentes in Sanctos sint, neque in eosdem obsequium sine longe maiori in eorundem Sanctorum Reginam reuerentia subsistere potest, idque pro nobis omnino ingenuè laudauit in speciali præ reliquis doctissimus æque ac Eminentissimus Cardinalis Augustinus Oregius tractatu de Incarnatione cap. 12. hæc scribens: *Vtinam minimam saltem partem habeam illius deuotionis, quam, virtutes Virginis imitando Angelicus habuit Doctor, præclara eiusdem Religionis virorum illustrium sequutus exempla, quæ ita adhuc in obsequium Virginis illibata vigent, ac si summo semper studio laborassent, vt patrimonium à prædecessoribus suis relictum, Religione summa custodiendum posteri recepissent.* Hæc ille.

Immo vicissim ex peculiari nostrorum deuotione in Deiparam tanquam omnium Sanctorum Reginam, in cæteros Sanctos etiam velut cælestes aulicos Reginæ eiusdem eorundem nostrorum perpetua reuerentia firmatur. Ea vero in Deiparam preter inductas à nostris adeoque vbique diffusas Rosarij preces in honorem eiusdem (quod Martinus Nauarrus *patrimonium Ordinis Dominicani* appellabat) ex eo etiam velut à signo euidenti conuincitur, quod communis ea Christianorum Mater peculiari adhuc in Dominicanos affectu innumeris, ac perennantibus beneficijs sibi eorundem Ordinem oberrauit, quemadmodum Hyacinthus noster Coquetius ostendit volumine integro inscripto *de maternis Deiparæ visceribus in Ordinem Prædicatorum.* Neque alioquin suspicari licet iustissimam æque ac pijssimam celestem Matrem eis velle pre reliquis beneficia potiora perseuerante largitate conferre, quos iam priorum beneficiorum immemores (vt Diatribarum author comminiscitur) minori præ reliquis reuerentia in se ipsam, aut suos, ne dum vlteriora, sed anteriora demeruisse conspiceret. Non potest igitur criminator hic noster rationabiliter irreuerentiæ in Reginam Sanctorum, aut Sanctos, Ordinem Prædicatorum nunc accusare, vt accusat, nisi ipse prius se minus reuerenter de eadem iustissima matre sentire concedat. Hinc non immerito Vrbanus IV. in Bulla ad Patres Dominicanos exscripta in actis Capituli Generali Bononiæ 1262 *Vos*, inquit, *cælesti sponso in conscientiæ Sanctæ delicijs lectum floridum præparastis. Quid inde vobis a Dei pietate negabitur merentibus illam semper habere propitiam odore bonorum operum, & candore virtutum? Quid apud Reginam præfulgidam, intemeratam Matrem Domini gloriosam, Angelica vestra conuersatio non habeat, quorum meritis splendet Ecclesia, quorum exemplis viget, & proficit Religio Christiana? Quid Beata Sanctorum acies vestris non impetrabit affectibus, quæ vobis benigna redditur, pro laudis diuinæ præconijs, & vitæ meritis innocentis? Ecce Regis æterni, & cælestis curiæ vos*

habere

habere fauorem, claris argumentis praesumitur, & signis perspicuis declaratur. Sic ille omnino pro nobis, ac pro speciali nostri Ordinis in Deiparam, Diuosque omnes obsequio, opportunissime perorabat, in eiusdemque addictissimi animi nostrorum specimen (praeter tot alia congesta, eaque amplissima, consulenda in *monumentis Dominicanis* nuper à Magistro Fontana vulgatis) opportune se offert illud descriptum à Cochlaeo in Hist. Hussit. lib. 6; Hussitis nimirum in Morauia, & Slesia grassantibus, annoque praesertim 1429 in contumeliam Sanctorum conijcientibus coaceruatas vndique saeras imagines in pyram, mox inflammandam, vnus noster Coenobij Subprior obsistens intrepide, eo vsque impios in foro concione publica corripere arcereque non formidauit, quousque, ab eisdem vinctus & ipse imperterritè simul cum imaginibus sacris inflammatus exarsit. Sed quid de longinquo experimenta perquirimus, dum de nostrorum obsequio praesertim ac peculiari in Sanctorum Sanctissimam in propinquo non desunt? Sanè (vt sileam quascumque alias hic indicatae à Valclusino comparationis inopportunae rationes) idem ipse aurhor Diatribarum inferius §. 66. cum retulisset ex nostro Richardio *gratiam Beatae Virginis superasse gratiam omnium simul hominum, & Angelorum*, & quamquam huiusmodi placitum maiorem pro Virgine pietatem redoleret, simulque probabile esse consensisset Suarez 3. p. ad q. 37. ar. 4. disp. 18. sec. 4. pluribusque probet ex eadem Societate Ripalda disp. 79. sect. 7. & 8. per totam, hoc non obstante idem iste eodem §. 66 id velut horrendam hyperbolem in nostro Richardio criminatus est; & tamen hoc loco nostros (quia non eligunt vt probabilius quodcumque semel probabile esse conceditur & alioquin pium est) continuo impietatis manifestae conuictos contendit ac vulgat. Quam fidem ergo in his, aut in caeteris, quos congerebat, in proposito obiectionibus, deprauatis plerumque locis (vt nunc videbimus) obtinebit?

Ad primum igitur de Petro à Vincentia (cuius nominarim industria impressa adhuc legitur Catena aurea S. Thomae edita ad annum 1494, vt agnoscit & Alua Nodo 4. §. 5, & cuius liber de Originali peccato, seu de concept. tu &c. extat adhuc, tum alibi, tum à me visus in Conuentu nostro Murianensi sub eius nomine impressus Venetijs eodem anno 1494 die 29. Aprilis per Ioannem Rubeum Vercellensem impensis Benedicti à Fonte) tam inde certum est Libellum illum Tolosae recusum, sub illius nomine, legitimum esse eiusdem opus (quemadmodum probat etiā in suis editis Apologijs pro sui in omnibus defensione Reginaldus) quam falsum est paginis illis, quae ab arguente referebantur, recitata ab eodem verba ibidem legi aut reperiri, vri habentes ob oculos eundem librum Tolosae recusum (qui nobis deest) duo itidem Tolosani Scriptores, Ioannes, atque Vincentius, ille reflexione 3. §. 38, iste lib. 1. sec. 4. ar. 2. §. 1. pro fide publica restati sunt, qui prior etiam adiungit, *nec ibi auctorem loquutum ex propria mente sed tantum retulisse verba Magistri sententiarum, similique modo de alijs*. Secundus verò subdistinguit ex D. Thoma 3. p. quaest. 27. ar. 3. aliud eise loqui de illapsu Spiritus Sancti per gratiam sanctificationis in Virginem antequam ipsa nasceretur ex vtero, aliud vero esse de eodem illapsu, quando concepit Verbum, *quo priori ligatus est fomes, posteriori vero extinctus, & vtroque modo omnis peccati actualis occasio semota est, hoc tamen discrimine, quod prima sanctificatione datum est illi posse nō peccare, & reipsa nō peccasse, altera vero*

sanctificatione multo copiosiore concessa est dos Beatarum mentium, nullo modo peccare posse &c. quam distinctionem *(inquit idem Vincentius Tolosanus) Magister sententiarum inductus pag. 15. eiusdem libelli, Beda pag. 33, Andreas Cretensis pag. 673 Cistercienses Theologi pag. 77, aut expresse habent, aut certe supponunt &c. & tamen utrumque opponens permiscet, atque confundit, ut tot blasphemiarum accuset Petrum à Vincentia, quasi voluerit demonstrare Deiparæ sanctificationem dilatam fuisse usque ad Conceptionem Verbi diuini, & tota, quam vixit, præterita vita, non habuiße fomitem ligatum, uno verbo fuisse contaminatam peccatis actualibus &c.* Hæc ille pro Petro à Vincentia respondens, quibus addam ipse nunc legens Codicem Murianensis Conuentus ab eodem Petro de Vincentia editum, addam, inquam, hæc sola ex citatis ab obijciente verba legi, scilicet B. Virginem repetere potuisse *in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me Mater mea*, solum à Petro de Vincentia recitata, asserta vero tum à Magistro Paulo de Perusio Carmelita in 3. tum à D. Anselmo lib 2. cur Deus homo cap. 15, vt ille refert; similiter ex B. Andrea Episcopo Ierosolymitano recitata lego ab eodem hæc verba, *Verbum carnem assumpsit ex Virgine, eam purgans per Spiritum Sanctum à puluere peccati, in quo prius Caro conculcabatur:* Hæc, & non alia, ipse lego in hoc Codice ex recitatis ab arguente, nec eisdem similia. Neque difficilius exinde est pro Combefisio respondere, qui immo post editam atque à se visam hanc obiectionem, in evulgato subinde *Alphabeto* Auctorum Bibliothecæ Concionatoriæ Patrum, Verbo Gregorius Antiochenus, respondet se solum *in eodem Gregorio Antiocheno, quæ duriora videbantur* de Deipara passionis tempore, *mollire nisum esse, vt nihil in speciem dixisse videretur, quod à pia credulitate palam abhorreret, etsi recentiorum placitis Theologorum non satis omnino congrueret.* En itaque vides Combefisium nil loco priori in propria sententia dixisse, sed solum pro emolliendis (vt ferebant) quorumdam Patrum phrasibus laborasse; vti reipsa duriora videbantur verba de hac ipsa re, ne dum prædicti Gregorij Antiocheni, verum etiam Origenis, Chrysostomi, Theophilacti, & aliorum, vt Sixtus Senensis obseruarat adnotatione 138. Quæ igitur culpa Combefisij fuit simul vestigare quid illi senserint (& ne dum quæ meliora sentire potuissent) eorumq; sensum, quem respuit, temperare adminus, ac restringere *ad inconsiderationem* dumtaxat, vt loquitur, seù infidelitatem (vt ab alijs dicitur & minima est) negatiuam? cum alioquin ipsum non præteriret, si absolutè de sua sententia requireretur, iamdiu S. Thomam 3. p. quæst. 27. ar. 4. ad 2. referentem in Virgine *quosdam dubitationem intellexisse*, ibidem continuo subiunxisse, *quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discussionis &c.* quia nimirum quandoque S. Thomas, vt ibidem Caietanus aduertit, *sicut in Philosophia Aristotelem vt Philosophum exponit, quidquid ipse Aristoteles senserit, ita in Theologia Doctores vt Theologos, quidquid illi Auctores senserint, exponere conatus est,* cum eorum verba sequi non licet. At vero Combefisij in Scholijs eorum Patrum dumtaxat intenti sensibus, non vero scribentis Theologicam summam, scopus erat, quid reipsa illi sentirent, atque in mitiori (quo poterat) intellectu eorundem verba perquirere, & interpretari, sicut persæpe etiam (quod maius est) in ipsa theologica summa Vasquez, adhuc reluctantibus reliquis, hoc sibi munus assumpsit.

Ad secundum de D. Stephano, Magister Canus libro 2. locorum proponit

cap.

cap. 16, *Vbi* (inquit in titulo) *ponuntur argumenta eorum, qui sunt opinati, sacros Auctores in libris canonicis non semper diuino spiritu fuisse loquutos*, atque in hoc capite 16. (non in quinto) refert tres illas difficultates circa verba Stephani ab arguente recitatas. In cap. 17. ex aduerso ostendit (vt ipse Canus proponit in titulo) *singulas particulas librorum Canonicorum Spiritu Sancto assistente scriptas fuisse*, neque vel vnum verbum habet in hoc capite de eodem Stephano: demum aggreditur cap. 18, *vbi*, inquit iterum ipse in titulo, *refelluntur argumenta capitis sexti decimi*, & tantum abest Canum primam, & secundam difficultatem, circa verba Stephani actorum 7, dimisisse insolutas, quin potius pro earum solutione pro virili laborauit. Quoad primam quidem, post multa, inquit, *dicamus id, quod præsenti loco satis est, septuaginta interpretes 75. animas Genesis 46. & Exodi primo posuisse*, & postquam exemplaria etiam hebraica, ponentia solum 70. animas, in re eisdem septuaginta interpretibus non contraire discussit, pro integra solutione concludit, *Lucam, qui acta scripsit, ac ceteros Apostolos, & Euangelistas 70. interpretum editione vsos esse, quoniam eo tempore illa præstantissima erat. Nec alienum sequutos errorem, quod nonnulli imprudenter affirmant, sed in eo, quo illi verè loquuti sunt, eorum testimonijs vsos esse*, & nominatim exinde Stephanum apud Lucam actorum 7. recitatum, eiusdemque ibidē (quoad 75. animas) relata verba defendit. Quoad secundam Obiectionem continuo subdit: *iam secunda, licet difficilior esse videatur, facilius tamen refellitur. Nam duodecim Patriarchas sepultos esse, non in Hebron, sed in Sichen non solum ex Stephani narratione, sed etiam ex Hieronymi testimonio cognoscimus*, cui subiecto statim duplici testimonio Hieronymi, adiungit & *Bedam aliosque Ecclesiasticos Viros &c. Tertiam demum, & postremam* prosequitur *à Hieronymo, Rabano, Beda, alijsque viris prudentibus, & grauibus difficillimam quæstionem dictam esse*, & postquā ipse de sua mente præmiserat, *de Voce Patris nihil moror. Nam si græca phrasis permittit, quod permittit certè, vt vel Filij, vel Patris nomen subintelligatur, Stephanus, qui græcè loquutus est, nihil patietur in hac parte calumniæ*, postquam etiam aliam responsionem Eugubini, & Lipomanni deseruerat, scilicet deprauatè legi nostræ vulgatæ editionem actorum 7. &c. Tandem *ne libenter quidem aliorum sententias reprehendere* (vt ipse loquitur) videretur, *Hoc loco etiam*, subiungit, *mihi Bedæ opinio placet, cui & Rabanus assensus est*, præter Augustinum in simili alia, immo re præstantiori assentientem, in cap. 3, & 8. Matthæi legendum, & inde Cano adducit reipsa recitatam (velut solam ab arguente) solutionem, pro quibus dumtaxat Patribus sic respondentibus (ne penitus improbabilitatis arguerentur, vti ab auctore Diatribarum ijdem arguuntur à fortiori, quam Canus) *Solis*, inquit ex Augustino, & Hieronymo, *Solis Apostolis, Prophetis, & Euangelistis hunc honorem deferre catholica fide docente didicimus, vt nullum eorum, vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis, nec in paruis errasse &c. & quamquam Stephanus plenus erat Spiritu Sancto, & spiritus loquebatur in eo, aliter tamen in Christo spiritus loquitur, aliter in Prophetis, & Apostolis, aliter in Stephano, ac in Ambrosio &c.* hucusque Cano, non tam pro seipso, quam reuerenter pro præcitatis Patribus, velut vaticinando præueniens affixam modo ab opponente huic eorundem solutioni censuram, quam tamen solutionem adhuc, longè post Canum, sine vllius timore censuræ tutati sunt grauiores longe scriptores, (quam Diatribarum scriptor aut alter ab eodem laudatus auctor repute-

putetur) tum è Societate Emmanuel Sà in idem cap. 7. actorum versu 16. scribens, *hanc sibi opinionem non displicere, nec repugnare Stephani sapientiæ, & spiritui, quo plenus erat*, tum cum alijs Petrus de Lorca 2.2. in appendice ad tractatum de fide dispu. 2. membro 3. num. 24. (inter alia multa pro eiusdem solutionis defensione consulenda in eodem, nec enim nos in præsenti propriam sententiam statuimus) sic dicens: *quæ solutio absque omni nota, & scrupulo admitti potest &c. quia Stephanus dicitur plenus Spiritu Sancto, quatenus plenus erat gratia, & sapientia, non tamen quia Spiritu Sancto mouente omnia, & singula loquutus fuerit. Neque est verbum, quo hoc modo per Spiritum Sanctum loquutum fuisse conuincatur. Et certè solutio hæc omnem difficultatem euacuat, & infidelibus plus satisfaciet, qui calumniari non poterunt, aliquid gratis excogitatum esse ad fugam argumenti.*

Ad tertium, de Hieronymo (quem immo simul cum Augustino paulo ante prætacto lib. 2. locorum capite 18. in fine idem Cano, vt pluries alibi, Erasmi morsibus subducebat) inter multa, quæ habet lib. 7. fermè per totum pro auctoritate Sanctorum Patrum, subinde præuidens alicubi Patres aliquos dissentire inter se, nec vnum à nobis quandoque eligi posse, nisi alio relicto, hac se simulq; alios generali pro dicendis alibi responsione præmuniebat dicens: *nos D. Augustini partitione primum vtemur, qui lib. 1. aduersus Iulianum cap. 2. inquit. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam Doctissimi, atque optimi Regulæ catholicæ defensores, salua fidei compage, non consonant: alia verò, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta, in prioribus illis à Patribus nos quandoque discedimus, in posterioribus Lutherani*. Hæc ille: iuxta quam Regulam infra lib. 11. postea ad examen vocaturus locum theologicum ex Historia humana, cap. 3. *continente* (vt in titulo dicitur) *argumenta, quibus auctoritas humanæ historiæ impugnatur*, in octauo argumento proponit historiam asserētem Adam in Caluaria fuisse sepultum, *quam*, inquit, *approbarunt Augustinus sermone 71, Cyprianus sermone de resurrectione Christi, Paula, & Eustochion in epist. ad Marcellam, Epiphanius lib. 1. contra hæreses cap. vltimo, & alij* (scilicet, præter hos, noster Maluenda de Paradiso cap. 55. adiungit Tertullianum, Origenem, Athanasium, Basilium, Ambrosium, Chrysostomum, Anastasium Sinaitam, Cyrillum Monachum, Nonnum Panopolitanum, S. Germanum, Euthimium, & Honorium Augustodunensem cum alijs (*& tamen Hieronymus fermè solus in cap. 27. Matthei, & in quintum ad Ephesios quasi fabulam irridet*, vt Cano in obijcientium persona loquebatur. Huic obiectioni responsurus cap. 5. *vbi*, vt inquit in titulo, *respondetur argumentis cap. 3*, non se violaturum in Hieronymum reuerentiam arbitratus est, si pro defendendis tot reliquis Patribus, ab eodem Hieronymo, in re præsertim ad fidem non pertinente, discedere cogeretur, scribens, *non debuisse tantoperè ridere Hieronymum Adami in loco Caluariæ sepulturam, nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias huiusmodi ridere debere*: hæc tantum de Hieronymo Canus, quem postea Hieronymum excusauit & noster Maluenda prædicto cap. 55. de Paradiso dicens, *cæterorum tot Patrum testimonia latuisse S. Hieronymum non est dubium, qui non ita loquutus fuisset, si tot clarissimos Patres hoc ipsum prodentes cognouisset*. Vbinam ergo illa verba imposita Cano, *plerumque Hieronymum fuisse capitosum, & in fide adhibenda morosum?* Vbinam eidem Hieronymo illud Epiphonema relatum ab arguente subiecit? Bene post verba à nobis recitata continuò de vulgo, aliorumque opinantium multitudine (non de Hiero-

nymo)

Digitized by Google

ronymo), *ne & nos id rideremus*, vt præmiserat subiungit: *vulgus vid:o equidem hisce rebus credendis nimium esse facile. Credulitas etiam in optimi cuiusque mente facillime irrepit. At viri quidam excellentes dum à vulgi facilitate, & credulitate declinant, in aduersum quandoque vitium incurrunt &c.* quæ singula in eam dumtaxat posteriorem particulam à se præmissam dirigebantur, *nec nos, scilicet, Vi rilicet Sanctissimi exemplo historias huiusmodi ridere debere; quoniam*, vt antea monuerat lib. 7. cap. 3, *res nonnullæ non erant tunc adeò in Ecclesia definita, vel approbata, vti nunc esse videmus: deinde quoniam illi*, quos inter Veteres Patres *Spiritu humano loquentes* aliquando etiam in aliquibus errasse permittebat, *illi*, inquit, *magnis, & diuinis bonis quamdam licentiam faciendi, dicendique assecuti sunt qua non est passim cuilibet permittenda*. Hæc Cano. Potest ne igitur pro nostrum discrimine à Patribus reuerentius aut loqui, aut sentire de Patribus? aquid ergo tot denuò semper in eum præ cæteris velut iniurium Patribus calumniæ cuduntur? quemadmodum & præstitisse videtur Carterius alter (cuius expostulationibus in Marialem per singula capita Vincentius noster Tolosanus respondit) inter præcipua ex Cano loca condemnans, quod lib. 12 cap. 15. post recitatum Augustinum vtentem illo Matthæi 22. *non est Deus mortuorum, sed viuorum* pro animæ immortalitate probanda, subiungat, *ea loca quæ videntur Augustino ex lege Moysis esse cæteris euidentiora, non sibi videri probabilia*, aut quod cap. 14. verius 15. eiusdem libri contendat, *Augustinum in illam opinionem magis inclinare, quæ docet animas à Parentibus generari, quod solebam*, inquit Cano, si accusatori credamus, *tamquam erroneum condemnare*. Et tamen proh pudor! Tyroni legenti librum eundem 12. Cani patebit, ne dum ab arguente per fraudem verba truncata, ac immutata fuisse, verum etiam (quo grauius est) vtramque periodum à Cano pro rationibus dubitandi referri in cap. 15, cui titulus, *ea quæstio vocatur in dubio, quæ cum naturalis sit, tum etiam ad fidem pertinet*, & pro prima obiectione habet secundam periodum, & primam pro postrema, quarum tamen vtramque soluit ad finem eiusdem capitis ab illis verbis, *sed iam tempus est, vt obiectiones oppositas repellamus*, vti reipsa inferius exponit, *Quomodo asseruerit Augustinus non esse fidei quæstionem, num anima rationalis ex traduce sit &c. Nec tamen*, inquit, *si hoc fuit aliquando in controuersia positum, eadem de anima immortalitate causa subest, quæ nunquam est à Catholicis in dubium vocata*; & infra consentit illam authoritatem ex cap. 22. Matth. eandem immortalitatem probare, *vt Caietanus affirmat*, cum D. Thoma, Chrysostomo Ambrosio, & Teofilacto, vt postea pro Caietano in eandem rem aduersus Catharinum adiungit. Quæ his ergo scriptoribus fides in illis, quæ soli ipsi aliquando affirmant, nec probant, si in illis eisdem, quæ de editis libris se descripsisse præsumunt, sunt adeo splendidæ falsitatis conuicti? Sane me pudet, a simul tædet, respondere his, qui commenta potius producunt quam argumenta, fabulasque potius videntur quam disputare.

Ad quartum de Chrysostomo, non minus falsum est, in Combefisio ea verba eidem imposita reperiri, *solutiorem S. Chrysostomi linguam & intemperatum zelum in Eudoxiam*. Solum eo loci Combefisius ab exemplo Pauli & Barnabæ actorum 15. diffidentium pro Marco *ita vt discederent ab inuicem, & Barnaba quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum, Paulus vero electo Sila profectus sit aliorsum &c.* illo nimirum mitiore in Marcum hoc seueriore in eundem, *quod antea*

tea discessisset ab eis de Pamphylia, ab horum, inquam, Apostolorum exemplo, conferebat adinuicem in causa Eudoxiæ Imperatricis ex vna parte Chrysostomum, qui seuerior, non tamen contra iustitiam, (licet id Eudoxiæ adulatoribus videretur) vt Ethnicismi ludos amoueret (ex Baronio anno 404. num. 3) & statuam Eudoxiæ auferri obtineret, tot inde ærumnas perpessus est, ex alia parte Sanctum alium eiusdem ætatis Gazensem Episcopum Porphyriũ, qui lenius aliqua perferendo tam valuit postmodum apud Arcadium, vt res ablatis obijcibus sanarentur. Hinc ortum esse supponit Combefisius quod (licet vere Chrysostomus pro fidei causa laboraret) turbatis tamen per Eudoxiæ sequaces, rumoribus vulgi, non apud omnes Orientales statim constiterit causam, qua Chrysostomus mouebatur, re ipsa fidei discrimen extitisse, vt constat ex Sanctis simul Epiphanio, & Cyrillo Alexandrino (nepote Theophili auersioris à Chrysostomo), qui priùs similiter decepti contra Chrysostomum extiterunt; præter alia, quæ fusius de Chrysostomi causa in Bibliotheca Phocij leguntur. Nunc, quæso, audiamus, non quidem truncata, vt accusator adducit, sed integra Combefisij verba §. 14. historiæ Monothelitarum. *Titulum Martyris*, inquit, *in Martino egregie defendit Sanctus Audœnus in vita Collegæ Eligij, quam habet Surius 1. Decembris, quod attritus illatis molestijs confessionis causa exul obierit, nec per eum steterit, vt ne fuso sanguine ac datis ceruicibus Martyrio defunctus sit: quo etiam modo Sanctus Felix Nolanus Presbyter martyr plerisque inscribitur, quamquam de eo difficilius videtur; siquidem tempus aliquod à persecutione vixit. Propior est Ioannes Chrysostomus, siquidem obijt & ipse in exilio ærumnis à crebra præsertim loci mutatione ac negatis necessarijs, vti Martinus, cõfectus. Causa nihilominus obscurior in eo fuit, nulla fidei mota quæstione, ac plerisque Eudoxiæ talibus* (idest Eudoxiæ sequacibus), *talibus, inquam, vt vel dissimulari, vel lenius haberi potuissent, quam vt tantam viro sancto conflarent inuidiam, de quibus aliqua ad vitam Sancti Basilij; quo factum est, vt vix tandem ipsius nomen in Episcoporum saltem ordine potuerit recipi, ac referri in diptycha, ceu eius, qui fuisset Sacerdotio exactus ab Episcopis, vt liquet ex Epistola Cyrilli ad Atticum relata à Facũdo, & alijs. Multo minus potuisset recipi sine schysmate in numero Martyrum; erat enim in Ioanne læsæ maiestatis, ac irreuerentius habitæ, affictum crimen* (nota ly affictum) *idque præcipuum, si vera sunt acta ad Quercum. Sed illud plerumque ijs crimen est, quibus non est aliquod crimen.* Hæc ille, qui rursus (post à se visam arguentis censuram) in prælaudato Alphabeto, *verbo Chrysostomus*, breuiori manu respondet, *se in his spectauisse dumtaxat illam duriusculam S. Chrysostomi seueritatem, sibi quidem Sanctam, at non perinde vniuersis in Oriente per hæc tempora probatam, vbi Porphyrij Gazæ Episcopi vtiq; Sanctissimi, & Eudoxiæ addicti condescendens affabilitas Constantinopoli emicabat.* Cur ergo Combefisiũ hic censor accusat de inhonorato Chrysostomo, qui totus pro debito eidem (& si non exhibito) Martyris titulo laborauit? vbi nam negauit ex causa fidei exilium & ærumnas passum esse, qui solum ex Sancta quidem apud se (sed aliter habita ab Eudoxiæ sequacibus) seueritate Chrysostomi, ob illos aiebat *obscuriorem causam in eo fuisse*? quid aliud tandem vel censor ipse producit pro causa non exhibiti eidem nominis Martyris, nisi prætensum læsæ maiestatis Eudoxiæ & Theodosij (in eiusdem parente) succedentis obicem, quem Combefisius *affictum crimen ei, cui non erat crimen* appellabat? In quonam iniurius Chrysostomo Combefisius, iuste po-

tuit accusari ab illo, qui alibi potius irridet Chrysostomum, hæresisque deho nestat, quod ex communi Patrum traditione censuerit Beatam Virginem desponsatam fuisse Iosepho, non eius coniugem, quando Spiritu Sancto obumbrante concepit? Vbi taxata ex aduerso ab hac nostro culpa Chrysostomi vbi imposita huic nostro scriptori verba? vbi tandem tam falsi aliosque falsantis verecundia censoris?

Ad quintum de Martino I. Pontifice & Martyre, qui iuxta prælaudatum Apostolorum exemplum in sua similiter iusta seueritate cum Vitaliano Pontifice Maximo conferebatur, falsus iterum in imponendis Combefisio verbis idem accusator euincitur. In initio enim illius §. 14. Combefisius ferme totus pro Martino incipiebat his verbis, *Theodorus Martino successori reliquit gloriam, quam secuta est inclyta confessio ac Martyris titulus*; inde librans historiam de Paulo Patriarcha Constantinopolitano hæretico, authoreque Typi, quem Paulum Martini decessor emendare curauit, nec potuit, Martinus vero cum Typi damnatione exauthorauit, tres tangit eiusdem Typi damnationis rationes, primam, quia Typus editus ab homine Laico, cuius non est edere formulam fidei: Secundam (quam profitentur præcipue Patres Concilij Romæ à Martino congregati) quod Typus prohibens dici vnam, aut duas in Christo operationes simili sorte Hæreticos, & Catholicos inuolueret, ac permisceret, velletque tanquam indifferens habere, quod minime possit haberi vt indifferens: Tertiam demum (quam habet Martinus ipse Secretario 5. in Synodali Epistola) quod in eodem Typo reipsa insertum existeret, nec vnam nec duas operationes, seu voluntates in Christo teneri quempiam confiteri; quasi simul cum hæreticis etiam Catholici Patres proscriberentur; vti hoc modo intellexerunt, scriptor S. Audœni, & Galli Antistites, ex suppositione eiusdem Martini Pontificis. Suppositis itaque à Combefisio pro certis prima simul & secunda ratione (quæ pro tuendo adhuc S. Martino sufficerent) circa tertiam dumtaxat duas contrarias ad inuicem opiniones recenset, dicens: *quidam censent verba Typi id nolle, potuisseque mitius exponi, vt silentium vocum non esset rerum negatio, velut contigit in Honorio, Basilio, & Gregorio Theologo:* Hæc referendo, non asserendo, Combefisius, subiungens alios eandem interpretationem (quam Martinus collegit ex scriptis Theodori Pharanitæ admiscentis Manichæismum ad alias hæreses) amplexatos fuisse cum S. Maximo. Nunc videamus, in quamnam ex his duabus recitatis opinionibus (vt obmutescat hic censor) ibidem Combefisius inclinet? *Cæterum,* inquit, *eo res deuenerat, vbi iam sub Sergio, & Pyrrho, & Paulo confirmata fuisset vna voluntas pendente per plures annos publice affixa Ecthesi (erat alia formula fidei pariter hæretica) eam exponente, nec adhuc deposita è tabulis mentis, vt sicut innuit Maximus collatione illa cum Theodosio Cæsariensi, nec vnam nec duas dicere, negatio videretur, ac obstinatiori tandem hæresi palmam cedere.* Audis ne Combefisium illi secundæ opinioni simul cum Maximo ac pro Martini interpretatione subscribere? pro quo etiam concludit, *Titulum Martyris in Martino egregie defendisse Sanctum Audœnum in vita Collegæ Eligij, quam habet Surius 1. Decembris, quod attritus illatis molestijs, confessionis causa exul obierit, nec per eum steterit vt ne fuso sanguine ac datis ceruicibus martyrio defunctus sit.* Qua fide igitur (non dicam) ab arguente negatur indultum pro aliquo tempore alicuius Catholicæ vocis silentium Macedonianis à Basilio &

Gregorio(cum id etiam de Basilio ex eodem Gregorio oratione 20. num. 100. habeatur)verum tot propudia verborum aduersus Martinum Combefisio affinguntur? quo fuco, addubitante nemine, prætactorum Sanctorum Patrum elogia congeruntur (quos ijdem nostri impensius adhuc commendauerunt) vt ex veris dumtaxat eorum laudibus falso nostris imposita irreuerentia in eosdem augeretur? *Sic & multos laudamus*(aiebat opportune prælaudatus Chrysostomus homil. 1. in 1. ad Cor.) *Sic & multos laudamus; non eorum laudis gratia, sed vt alios per eos mordeamus.*

ARTICVLVS II.

An SS. Gregorius, & Beda, Anastasius, Bruno, Xauerius, aut S. Birgitta irreuerenter ab aliq uo nostrum depretiati sint.

Videtur sic esse eidem Petro Valclusino Diatriba 3. à §. 47. vsque in finem Diatribæ, & 1. de Magno Gregorio, & Beda, nam Canus lib. 11. locorum cap. 6. postquam in communi præmiserat, *se negare non posse viros aliquando grauissimos, in Diuorum præsertim prodigijs describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse*, infra subdit: *Et aliquando labuntur, vt ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, vt dixi, interdum etiam indulgent, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, adeout Ciceroni Demosthenes, dormitare, Horatio vero Homerus quoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda, atque Gregorio iure fortasse ac vere dicere possum, quorum ille in historia Anglorum, hic in dialogis, quædam miracula scribunt vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim seculi Aristarchi incerta esse censebunt*: Hæc ille de Magno Gregorio, & Beda, omissa, quæ minor est, altera inconsideratione à Cano eodem lib. 11. cap. 6. tributa eidem Gregorio lib. 6. Epistola 3. tanquam (loco Theodoreti lib. 5. historiæ cap. 39.) referenti Sozomenum in laudem S. Theodori Mopsuesteni &c. & tamen, inquit opponens, eiusdem Gregorij Dialogos nominatim commendauerunt S. Iulianus in libris Prognosticon, Adrianus I. Epistola ad Carolum Magnum, & Concilium Triburiese & Zaccharias Papa, qui illud opus græce vertit, cum tanto apud Græcos plausu, vt à Græcis *Gregorius Dialogus* nuncupetur, nec minus Bedam, præter omnium retro sapientum sensum suspicientium eiusdem doctrinam, etiam Petrus Cellensis epistola 31. scriptorem vocat *omnium monetarum nummosum*. De his duobus igitur *talia scriptis committere Canum ausum esse, res est admiratione dignissima*, vt argutator ille concludit.

Secundò de Diuo Anastasio, quem mirifice collaudauit prelaudatus Gregorius Magnus, necnon 6. Synodus actione 10, & Euagrius lib. 4. historiæ; & tamen Ioannes Maria Brasichelensis truculentius in margine eiusdem Anastasij (vti & aliorum veterum Bibliothecæ Patrum) illiniuit innumeris locis, vbi non erat timor, additamentum Leuiathan verbis illis, *cautè lege*, quæ cautela, si locis omnibus appingenda esset, in quibus improuidi possent occasionem lapsus inuenire, etiam plerisque locis diuinæ Scripturæ esset appingenda, vt arguens loquitur. Nec istis P. P. igitur pepercisse Dominicanos accusator inde concludit.

Tertiò de S. Brunone Ordinis Carthusiensis institutore, cujus arctissimam abstì-

abstinentiam à carnibus (*ita vt ne ad mortem quidem uitandam fas sit carnes adhibere suppetentibus alijs cibis, quibus fames depelli posit*) recte defendunt præter Bartholomæum Ruremondanum, Richelium, Sutorium causam suam agentes, Gerson, Vasquez, Hallus, Lessius, Suarez, Azorius, & alij prope omnes, & tamen Dominicanos hoc institutum à Diuo Brunone reprobasse deducit arguens ex opere Arnaldi Villanouani Medici de hac ipsa re pro Carthusianis inscripto *contra Iacobitas*, qui Iacobitæ, inquit arguens, non sunt alij quam Dominicani à via Iacobea, quam Lutetiæ incoluerunt, vnde Poeta Priscus Theodoricus vallis Coloris in vita Vrbani IV. ad Anterum loquens de Cardinalibus eligentibus Vrbanum (vt refert Ferdinandus Vghelius in additionibus ad Ciacconium in fine Innocentij IV.) intelligens de Hugone Cardinali Dominicano otto in valle Barchinoneta ditionis Sabaudicæ canebat.

Totque Sacerdotes genuisse Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Iacobita fuit.

Iacobitarum igitur, seu Dominicanorum, etiam in D. Brunonem, ac tot alios Carthusianorum Sanctos inobseruantia, ex illius Laici defensoris opere liquet.

Quarto de S. Francisco Xauerio, quem decretalis Vrbani VIII. pro eiusdem Canonismo *Indiarum, & Iaponum Apostolum* denominauerat, eo quod *primus* (vt obijciens loquitur) fidem euangelicam Iaponibus intulit, & Apostolico spiritu immensas regiones Indiarum peragrauit, non minus ac præter duodenarium numerum Apostolorum excellenti quoque participatione eiusdem muneris, & similium laborum nomen Apostoli ad alios quandoque diffusum constat, qui primi alicubi Euangelium annunciarunt, sicut S. Martialis *Lemouicensium Apostolus* renunciatus est, ex decreto quinque Conciliorum Gallicanorum, quibus suffragatus est Ioannes XX. Et tamen cum idem Xauerius in quodam libro *Apostolus Iaponiorum* cognominaretur, Frater Monstrum eradi cognomen voluit, licet non obtinuerit, territus de sui periculo, *si resciretur in Aula ipsum agere correctorem decretalium Pontificiarum*. Fuit ergo in hoc facto in Xauerium, si non ignorantia hominis eum locum occupantis (Magisterij scilicet Sacri Palarij) *saltem malignitas non vulgaris*.

Quintò tandem de S. Birgitta Sueca multis reuelationibus clara, quas olim digessit in spissum volumen, probantibus Romanis quoque Pontificibus nominatimque Bonifacio IX. post accuratam per præstantis doctrinæ Theologos, & Antistites, discussionem, & tamen inuenti sunt Dominicani, qui eas reuelationes exagitarent, inter quos Bartholomæus Sybillanus decade 1. peregrinarum quæstionum cap. 8. ad 6. ijs ex suo Henrico Hasso argumentis adhibitis (pro reuocãdis ad purè humanas cogitationes ne dum reuelationibus prædictæ S. Birgittæ, sed etiam S. Catharinæ Senensis) quibus omnium plane Sanctarum mulierum reuelationes depretiandas esse probaretur, nisi earundẽ rationum inanitas exsufflaretur à Corduba libro 1. q. 44. Vasquez 3. p. disp. 117. cap. 6. & Mattino Delrio lib. 4. Magicarum cap. 1. q. 3. sec. 4. de Sanctis igitur mulieribus etiam Dominicani oblocuti sunt, atque vndequaque irreuerentes in Cęlites se prætulisse iam constat.

In oppositum tamen est; quod S. Thomas Aquinas, ne dum Sanctus Ecclesiæ doctor declaratus est; verum etiam in doctrina sua præ reliquis tot Aposto-

licis approbationibus approbatus fuit, vt supra iam vidimus, & tamen idem hic auctor Diatribarum, non semel, sed fere vbique irruens irreuerenter in eis-dem, eiusdemque doctrinæ quam plurimos errores affingens, hoc non obstante contendit hoc sibi licere tum §. 40. quia ex Augustino, & Hieronymo relatis in 6. decretalium dist. 9. cap. *solis*, Sanctissimos quoque viros qui Canonici Scriptores non sunt, errare potuisse supponit, tum quia (vt loquitur §. 8.) *etiam hæresis materialis næuis obnoxia esse scripta quoque Doctorum Canonismo Ecclesiastico illustrium, docet Nicolaus Monachus S. Albani apud Cellensem lib. 9. Epist. item 9*, tum quia, vt congerit §. 52. alioquin indebitas per excessum laudes Sanctorum eisdem Sanctis probro esse, admonebat Cassianus lib. 1. de Incarnat. cap. 2, similique modo plures hæreses inductas esse sub specie maioris laudis, & Pietatis in Deum, ac Cœlites obseruabant Gregorius libro 12. Moralium cap. 14, Chrysologus serm. 109, & creditus Hieronymus in sermone de circumcisione, & alij. A forriori igitur, aut immemor sui simul ac mendax accusator hic noster sibimet splendide contradicit, aut iniustè nimis nostrorum aliquos (si quos adesse permitteremus), de reperto alicubi vel minimo næuo in aliquo Sanctorum Patrum, irreuerentiæ nunc in eadem hac Diatriba condemnat.

Respondeo iniustissimè Ordinem Dominicanorum, aut ingenuos professores eiusdem, (qui immo ordo ab Annalista Baronio in fine postremi tomi *Seminarium Sanctorum* appellabatur) de violata nunc in eosdem Sanctos reuerentia traduci. Cum enim studio sanctitatis obsistat præsertim irreuerentia in Cœlites, non potuissent eiusdem Ordinis professores tam peculiares, ac crebras ab Apostolica Sede de consueto eisdem sanctitatis studio laudes promereri, si in obseruantem adeo in Sanctos animum præ se tulissent. Quot verò vel quantas reipsa laudes in eosdem Ecclesia impertita sit, & si nec nostri singulas repetere munus esset, ac animus, sicut tamen (vt alter aiebat) Sanctissimo Iobo Vxoris, & amicorum iniurijs appetito, & Apostolo Paulo æmulorum fraudibus circumuento, & maledictis lacessito licuit, suas dotes, nec omnino tacere, sic credo vix nobis vitio vertendum, si tantorum virorum imitantes exempla hic aliqua saltem pro re nostra elogia Pontificum (dimissa superius) ac alia quædam pertranscenam saltem Encomia nostri Ordinis percurremus.

In primis Innocentius IV. aiebat huius Ordinis professores, *Deum tota mente diligere, & animarum profectui continua diligentia desudare*, necnon alibi rursus, *se Cælestis amore patriæ sic indissolubili vinculo adstringere, vt hoc solum pro delitijs habeant, quod per sanctitatis Opera grati oculis Diuinæ Maiestatis occurrant*, Clemens IV. apud acta Capituli Generalis Treuerensis 1266. *Hic ordo profectò est fertilitatis ager fructus vberes proferens, nam semina in ipso sparsa non pereunt, flores editi non arescunt*. Nicolaus IV. *in agro dominico superna dispositione plantatos, Vberes in horreum Domini fructus inferre*. Clemens VI. *spiritu alium fructuum vbertatem multifariam multiplicari, nec labore, lassari*. Bonifacius IX. *Fratres Ordinis Prædicatorum in Ecclesia multiplicibus splendoribus radiare*. Eugenius IV. *Assiduè proferre copiosius flores honestatis, & vberius fructus vitæ producere*. Sixtus IV. *Contemplationi Cælestium feruenter inuigilare, & præ vitæ studio sine intermissione desudare*, & iterum alibi, *multa perfulgentes gloria meritorum, & gratia Sanctitatis, vberiores*

fructus

Digitized by Google

fructus in agro militantis Ecclesiæ &c. hactenus produxisse vtiliter, ac producere; & vt in vno diplomate cæterorum quamplurium velut compendio restringantur elogia, tota quanta est prolixissima sanè Alexandri IV. Pontificis Bulla incipiens *Cælestis ille agricola*, tota in amplissimas laudes professorum Sancti Ordinis Prædicatorum diffunditur, & inter alia (quæ non vacat exscribere) *hæc*, inquit, *est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens, flores plurimos honoris, & honestatis, fructusque vberrimos doctrinæ profert & virtutis, & odorem Sanctæ ac laudabilis conuersationis longè lateque diffundit. Hic Sacer Ordo Prædicatorum &c. inter alia plantaria dominica, puritate conuersationis, sapientiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Hi sunt viri probati, & planè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in Opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cælestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam alijs, ad commodum, & profectum animarum Christi fidelibus exponendum. Vndè vbique per Mundum ora ipsorum intonant veluti tubæ, & in omnem terram exit sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines Orbis terræ sua salutifera verba sonant &c. Hi tandem sunt, quos æterni Patris benignitas inter plurimas personas diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute specialiter elegit.* Hæc ille, quæ valde ad institutum hoc nostrum expendenda nunc sunt.

Cum enim Christianorum in Cęlites pietas per tria potissimum efficaciora præsidia soleat promoueri, nempe frequentes conciones, sodalitatum institutiones, ac missiones ad Barbaros, seù infideles, vt christiana eadem pietate imbuantur; de primo non interest, vt hic verba faciamus, cum ne dum Ordini nostro peculiarem *Prædicatorum* titulum Apostolica Sedes primo contulerit, & sæpissime posteà comprobarit, verum etiam pręcitata Pontificum verba de perennante in hoc labore nostrorum vbique adhuc experimenta confirment. Ad secundum quod attinet (vti & ille alter aiebat, detur hic venia verbis) nullus Ordo potest cum Dominicano contendere: fateor omnibus suas esse institutiones, & sodalitates, & licet colamus omnes, ipsi tamen spontè decedet sodalitatibus Rosarij à S. Dominico in Gallia primum, deinde per totum Orbem opera nostrorum effusis, & nominis Iesu à Patre Victoria ad cohibendas blasphemias Maurorum in Hyspania, & Eucharistiæ à D. Thoma officij eiusdem diuinissimi Sacramenti authore institutis; quibus omnibus veluti inuentis, seù thesauris quibusdam cęlestibus Ecclesiam nostri locupletarunt, & mirum in modum pietatem christianam, ac religionis cultum in Diuos in populo christiano auxerunt, & promouerunt, vsque ad inuidiam, aut verius reliquos Ordines ad laudabilem æmulationem excitarunt.

De tertio verò scilicet missionibus in omnes Orbis partes (in quo ne dum euincetur cultus Dominicanorum pro promouenda christiana pietate, vt intendimus hic, verum etiam obsequium, de quo suprà, in Apostolicam Sedem firmabitur) adsunt iam manifesta testimonia Pontificum, tum Innocentij IV. dicentis ad nostros: *vos, qui quadrigam varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbique discurrentes, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare gestitis, ad gentes, quæ Iesum Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, destinamus,* tum Bonifacij IX. testantis. *Sonum prædicationis eorum per diuersa Mundi climata exiuisse,* tum plurium aliorum id repetentium, sed mox ante præadducta Alexandri IV. verba rem superabundè

bundè concludunt, *in omnem scilicet terram exiuisse sonum prædicationis eorum, & vsque ad fines Orbis terræ sua salutifera uerba sonasse*, vt repetebat & Benedictus XI. *eos ad fines ultimos orbis terrarum suos extendisse palmites generosos*. Et reipsa (si placet, non nostra quidem omnia, sed aliena potius verba huc transferenda audire ex præfatione præsertim Operis Ioannis à Cruce) inter cætera, quæ afferri possent, in comprobationem egregij in hoc Dominicanorum laboris hæc audire sufficiet. Bohemiam, Poloniam, vicinasque regiones partim schysmate dissectas, partim falsorum Deorum cultu miserè delusas, Sanctus Hyacinthus, eiusque Frater Ceslaus, vitæ innocentia, prædicatione, & miraculis ad Ecclesiam transtulerunt. S. Dominicus Comitijs Ordinis Bononiæ celebratis, Fratres aliquot in Angliam, Scotiam, Hungariam, & Cumanorum regionem destinauit, Schysmaticis plurimis ad catholicam fidem perductis, & eliminata varijs in locis Dœmonum superstitione, vt mirum non sit ante quadragesimum ab institutione annum Beatum Vmbertum Quintum Magistrum Generalem Ordinis Comitijs Mediolani habitis 1256. testatum esse trecentos è nostra familia à fidei hostibus interemptos decoris laureas metuisse. Anno 1244 prælaudatus Innocentius Fratres Prædicatores in Asiam misit, vt Iacobitis, Nestorianis, Georgianis, Armenis, Græcis, Maronitis, Mostellinis, alijsque huius generis Barbaris, & efferatis gentibus Christi fidem prædicarent, eisque possent, quamdiù forent Anathematis fulmine perculsi, verbis, & officijs opitulari. In Syria præsertim, ac Palestina refert Spondanus ad annum 1298. primum Inquisitorem à Nicolao III. constitutum, contrà Iudæos, & Hæreticos illic grassantes, Nicolaum de Anapijs postmodum Patriarcham Ierosolymitanum. Taceo Tartariam, Persidem, & abdita Cathai regna, quæ sub annum 1290, teste Paulo Veneto Decade 4. lib. 7, Prædicatores Verbi diuini officio lustrauere, vnde post institutam à Lusitanis nauigationem, reperta est ab Antonio Soza inter Idola Indiæ ad Gangem statua cum Prædicatoria veste. In Armeniam quoque à præfato Innocentio IV. iterum missi fuimus anno 1253, cæterasque quotquot ferè sunt totius Orientis vastissimas regiones, idque testatur Pontifex missos à se Prædicatores *ad conuersionem Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sicororum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mostellinorum, Tartarorum, Hungarorum, aliarumque Infidelium in Oriente nationum*. Quo ad Armeniam (de qua mox dicebamus, & fusiùs loquitur Spondanus ad annum 1318. num. 6.) primus omnium Frater Bonauentura agnomine Paruus, Patria Bononiensis, anno 1319. confratrum suorum opera Schysmaticos Armenios Ecclesiæ Romanæ adiunxit, & vt addit idem Spondanus ad annum 1233, sub Gregorio IX. Patriarcham Iacobitarum Orientalium Præsidentem Chaldæis, Medis, Persis, Armenis, Frater Philippus Ordinis Prædicar. conuertit ad fidem simul cum duobus alijs Archiepiscopis, altero Iacobita Ægyptio, altero Nestoriano, quorum ille præerat etiam minori Indiæ, Lybiæ, Æthiopiæ, & Ægypto, hic verò Indiæ Maiori, ac Regno Præsbyteri Ioannis, alijsque Asiæ Prouincijs. Certè res est miraculi loco habenda in Armenia saltem Christianos, viginti fermè hominum millia, cinctos vndique Turcis, & Persis, iam inde post tot annorum euolutiones à Fratribus Prædicatoribus ritu Latino sub Pontificis

tificis obedientia gubernari, neque ab eo tempore alios Episcopos Sedem D. Blasij in Armenia, quam Dominicanos, occupasse. Obstupuit anno 1604. cum hæc audiret Clemens VIII. ad quem venerat ex Armenia noster Azarias Archipræsul Maxiuanensis, nostrique deinde Generales Ordinis sæpius hac nostra ætate, à Prouincialibus Dominicanis illius prouinciæ de progressu ibidem Christianæ pietatis nuncios felicissimos excepere. Sed satis sit hæc tetigisse, vti nemo de Armenia plus æquo glorietur. Ex qua discedo in Aphricam, quo Prædicatores Honorius III. conuertendis Saracenis non sine fructu delegauit. Tunetani enim Regis Nepos à nostris fide Christiana imbutus Romam anno 1236. properauit, vt à Gregorio IX. lustralibus vndis expiaretur. Taceo expeditiones crebrò susceptas in Ægyptum, Abbassinos cæterosque Nili accolas longè diffusos, cum nouissimè etiam ad annum 1652. nos ipsi audiuerimus Imperatorem Regnorum Monotapæ in inferiori Aethiopia simul cum Imperatrice Ludouica à Fratre Ioanne de Melo Ordinis Prædicar. die 4. Augusti (quæ D. Dominico sacra est) suscepto cum fide Baptismate Dominicum nuncupatum. Nihil dico de Regno Congi, quod alijs Manicongo, in quo Rex, & Regina & filius natu maior à nostris itidem baptismi lauacro abluti fuere, dum nempe Ioannis II. Lusitaniæ Regis auspicijs detecta Grinea, duce è nostris Alphonso, (vt habet Author Rerum publicarum, & Imperiorum Mundi) tres in Congo missi sunt Dominicani; nec minus anno 1503. in expugnatione Goensi, duce inuicto Alphonso Albuquerchio, vnus è nostris Cruce elata militibus ad impressionem in Ciuitatem præibat. Vnde factum putat in suo itinerario Philippus à S. Trinitate Carmelita (qui Goæ diù hæsit) vt in nostra domo solemniores, qui ad fidem pertinent, actus celebrentur. Sed de Oriente iam satis, ad Occasum iam vela conuerto. Primam in nouum Orbem expeditionem à Cristophoro Columbo assumptam, apud Reges Catholicos Ferdinandum, & Isabellam, noster Didacus Deza tunc primarius Salmantinæ Vniuersitatis professor, & Regum Filij præceptor, postea Archiepiscopus Hyspalensis, promouit adeo ac tutatus est, vt huic vni post Deum Columbus ipse modestissimè fateretur debere Reges Catholicos, quidquid ex India Occidentali suo imperio, vel Christianæ fidei adiectum esset. Certum est in Americæ Regnum Mexicanum primum Episcoporum omnium venisse Fratrem Iulianum Garcez Episcopum Tlaxcneansem siue Angelopolitanum, egregium Indicæ libertatis assertorem. Nec minus in Regno Peruviano ad annum 1529 Patet Vincentius à Valleuiridi, & P. Thomas à S. Martino primi ibidem Episcopi instituti sunt. Sed quis non miretur Prouinciam veræ Pacis in noua Hyspania, sine vi armorum, sola fidei constantia à Fratribus Prædicatoribus anno circiter 1539. ad Christi, & Ecclesiæ signa traductam? Statuerant Gentiles illi ad inaudita auaritiæ, & crudelitatis exempla, omnem à se excludere prædicationem Euangelij, nisi ab ipsis tantum Dominicanis sine vllo milite proponeretur: accepta fuit à nostris conditio, & tam ingentes fructus progerminarunt, vt admiratus Carolus V. Cæsareo diplomate cauerit, ne quis Militum, aut Christianorum eam ingrederentur Prouinciam, quam solis Prędicatoribus apertam esse volebat, meritoque Prouinciam veræ pacis appellari voluit. Prætereo amplissimum iuxta & ditissimum Paruulæ Regnum à nostris primo penetratum, vbi varium sanctitatis, & doctrinæ

speci-

Digitized by Google

specimen edidere. Scio etenim veterem disputationem non semel apud exteros aliquos recruduisse, quinam Religiosorum primi, vel in nouum orbem in Occasu detectum, vel in Synense regnum Orientis Euangelicum verbum inuexerint. Sed noui etiam hanc vanam opinionem à prudentioribus accusari, eo quod, iuxta Euangelij verba laborantibus merces, non primo venientibus, aucta tribuatur. Vndè prætermisso, quod olim, aut de primo Bossius lib. 4. de signis Ecclesiæ cap. 3. palmam ex proposito vindicabat Patri Bacil Benedictino, cum duodecim eiusdem comitibus, aut quod vltrò Chumanorum regnum, iam diù à D. Apostolo Thoma conuersum, idcireo hoc ipso agnomine *S. Thomæ Regnum* nunc dictum, repertum referatur ibidem ab ijs, qui primos in Indijs eisdem fidei semina fecisse glorientur, nobis in præsenti sat erit, nostrum sine lite Patrem Gasparem à Cruce, ante omnes alios, in Synense Regnum penetrasse, vti testantur, & probant, inter cæteros, Reuerendus Pater Frater Petrus Gonzales à Mendoza Augustinianus lib. 2. cap. 3. de Regno Synarum, & F. Hieronymus Gratianus Carmelita in libro inscripto, *Stimulus Propagationis fidei*, vti & ipse Pater Gaspar primus in illius Regni Emporio, quod Macao vocant, Episcopus fuit consecratus, præter alia, quæ de eodem Gaspare nostro habet cum Cardosio Marchesius ad diem 5. Februarij. Addit insuper Spondanus ad annum 1249. in Syna Regem Tartarorum conuersum ad fidem, nuncios misisse ad S. Ludouicum in Cypro tunc degentem, qui ad eundem remisit Andream Dominicanum eidem conuerso Regi Tartarorum notissimum. Anno 1222 Patres nostri non minus Cumanorum Gentilium conuersioni totis viribus insudarunt, cumque nobiliorum eorum Duces Baitam, & Bembrocum cum mille ex familia ab errorum tenebris ad fidei splendorem reuocassent, ingruente immanissima Tartarorum persecutione, nonaginta Fratres in sanguine laureas meruisse laudantur (vel gladio, vel lanceis, vel sagittis interfecti, vel ignibus concremati) à Benedicto Guido in chronica descripti & à Leandro Alberto lib. 2; præter aliam Legatione m duorum nostrorum ad Tartaros, iussu Gregorij X. ad annum 1261 vti ad eundem annum Spondanus enarrat. Quid hic referam centum, & nonaginta Fratres, quos in Hungariæ, & Dalmatiæ Regnis anno 1263. à Tartaris varijs tormentorum generibus confectos esse scribit Frater Michael Plodius p. p. lib. 2. Nihil dicam de centum alijs fidei christianæ pugilibus anno 1268. in terra Sancta à Saracenis in odium Fidei crudeliter interemptis. Præteribo in antiquo, & nouo Orbe Christiano (seposita vtraque Arabia, & Aethiopia) hæreticorum, aut Tartarorum furore deleta esse septingenta Monasteria, & illorum incolas ab Infidelibus eisdem interfectos ad bis mille sexcentos vno dumtaxat sæculo. Præsertim vero silentio iam pœnè inuolueram magnum Europæ nostræ (fermè dicas) Apostolum, incomparabilem diuini verbi præconem, Sanctum dico Vincentium Ferrerium, cuius quidem opera tam longe larèque peruagata est, vt mirum fuerit tam multas regiones potuisse vnius hominis passibus percurri, quot ille Euangelizando peragrauit. Primum enim in Hyspania Valentiæ Regnum, Catalauniam, Aragoniam, Nauarram, denique singulas Prouincias, singulas vrbes perlustrauit. Hinc Galliam ingressus, Regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normandiam, Prouinciam, Aluerniam, Vasconiam, Brithaniam, ac totam Sabaudiam, po-

stea

Digitized by Google

steà in Italiam descendens, Pedemontium, Insubriam, & omnia eius littora adijt, postremò etiam ad Baleares insulas nauigauit. Deinde ab Henrico Rege Angliæ humanissime inuitatus, eam primum Insulam totam, mox Scotiam, postremo etiam Hyberniam lustrauit. Et quidem, quod maxime omnium mirandum est, cum Hyspano idiomate vbique vteretur, ab omnibus terrarum populis probè intelligebatur. Attende Europa, & beneficium agnosce. Iudæorum præterea vigintiquinque millia, Aphricanorum octo, ad fidem conuertit, perditorum vero hominum, & varijs sceleribus obnoxiorum centum millia ad meliorem frugem reduxit.

Et quia de Iudæorum conuersione per nostros (post Gentiles, ac Barbaros) occurrit hic mentio, ne id saltem ieiunè adeo pertransire videamur, sese offert denuo idem Vincentius, qui anno 1412. præcipuam Iudæorum Synogogam Salmantinam ingressus, dum ad preces conuenissent, Crucifixum manu gestans, apostolico zelo in eorum peruicaciam inuectus est, eoque loquente dum miraculosæ cruces albæ super pallia Virorum, & linteamina fœminarum apparuerunt, miraculo attoniti, Deoque interius operante emolliti vniuersi, qui aderant, omnis sexus Iudæi baptismo ablui petiere omnes à B. Viro, mutata ex tunc Synagoga in Ecclesiam, quæ *vera Crucis* dicitur, vbi nunc est Collegium Religiosorum Ordinis nostræ Dominæ de Mercede, vt testatur præter Dianam, & Diagum, etiam Spondanus ad annum 1422 num. 8. Sub Nicolao IV. anno 1291. studium generale erectum fuit in Cœnobio Setabitano Dominicanorum (Hispanicè de Xaticca) in regno Valentino, linguarum Hæbraicæ, & Arabicæ ad conuersionem Iudæorum, & Saracenorum, vt refert Diagus lib. 1. cap. 4. Anno 1263. sub Vrbano Quarto Barchinone in Domo regia coram Iacobo Rege, totaque curia, Frater Paulus agnomine *Christianus* Ordinis Prædicat. doctissimum Rabbinum Moysen Gerundensem in solemni disputatione conuicit, teste Michaele Plodio 2. p. lib. 1. columna 43. Anno 1278. (vt ad hunc annum habet Spondanus num. 3.) Nicolaus III. conuersioni Iudæorum adhibuit Robertum Kiluarlium Ordinis Prædicat. prius Archiepiscopum, posteà Cardinalem Portuensem. Anno 1283. Frater Raymundus Martini Dominicanus duo doctissima volumina edidit ad conuertendam Iudæorum perfidiam apprimè necessaria, alterum inscriptum *Capistrum Iudeorum*, alterum *Pugionem fidei*, quem posteriorem librum fermè in Galatino transcriptum, aut vsurpatum, Dominus Ioseph de Voinsins suo Authori restituit. Paulus Burgensis anteà inter Iudæos genere, & doctrina præcipuus, confessus est se ex Doctrina S. Thomæ præsertim in 1. 2. ad christianam fidem redactum, institutus subinde Episcopus Carthaginensis, & postremo Burgensis, vnde ortus erat, illique nomen adhæsit, vt narrat Spondanus ad annũ 1426. num. 12. Tuneti, & Murfiæ noster D. Raymundus de Peniafort litterarum Hæbraicæ, & Arabicæ studium instituit ad eosdem Iudæos conuertendos, vt Diagus habet lib. 1. cap. 13. Neque hoc ille contentus (vt loquitur Dominus Franciscus Bosquet Monspelliensis Episcopus in epist. ad Dominum de Voisins) *Iacobo Taraconensis Prouinciæ Regi suasit Iudaeorum calumnias, & proteruiam edictis compescere, sicut mox antea vrgente Henrico à Colonnia S. Dominici Ordinis, Ludouicus IX. Rex Galliæ Sanctissimus libros Talmudicos aliosque Iudaeorum Codices in Christum, & Virginem Deiparam Blasphemos comburi iusserat*: nec tandem minus

expellendi è regnis Hyspaniæ Iudæos decretum antea emissum à Ferdinando & Isabella (sed ab Aulicis pro executione dilatum) vt executioni tandem mandaretur, obtinuit noster Thomas Turrecremata, vt Posseuinus è societate, verbo Thomas à Turrecremata, concludit. Hæc nostrorum igitur propietate chtistiana in Diuos, ac Cælites, ne dum apud Christifideles, sed etiam apud Iudæos, infideles ac Barbaros promouenda, iam luce clariora (etsi pauciora præ pluribus, quæ omissa sunt) sufficientia saltem specimina sunt. Hæc nostri Ordinis professorum pietas, qua, si quæ vnquam molestiores nobis cum alijs controuersiæ vel olim adhæserunt, vel nunc adhærent, in illis eisdem pro retinenda dumtaxat Sanctorum Patrum auctoritate, exempli gratia Augustini, & aliorum, (quam sequi vbique gloriamur) pro eadem, inquam, pro viribus semper laborauimus, ac laboramus. Etsi quandoque ob aduersos *operiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur* (vt loquebatur Apostolus 2. Corinthiorum 4.) repetituri similiter (hoc non obstante, quemamodum nec obstare videbimus nunc accusatoris obiecta) cum Clero Constantinopolitano ad Synodum Ephesinam: *toti in hoc sumus, vt S. S. Patrum traditionem inconcussè seruemus.*

Ad primum igitur de Cano (qui librum integrum *de authoritate S.S. inscripsit*) quoad Gregorium, & Bedam si accusator interiectas periodos non omisisset, accusationem quoque omittere potuisset, nam post eam priorem relatam in argumento periodum præ cæteris, & hæc alia periodus interiecta est: *Nec ego hic libri illius authorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur, nec historiæ, etiam eius, quæ legenda aurea nominatur &c. Veteres excuso & Sanctos & eruditos viros &c.* in quibus verbis illos Cano priores accusat, hos vero posteriores excusat potius, vt re ipsa prosequitur in subsequente periodo (quæ ab arguente recitabatur) prædistinguens tres modos, quibus quandoque falsa in historijs huiusmodi referuntur, nempe *aut indulgendo suorum ingeniorum voluptati* in aucupando vulgi sermones sparsosve rumores, *aut non sibi sed vulgo saltem indulgendo,* quod vt præmiserat, *sentiebant vulgus non tantum ea facile miracula credere, sed impense etiam flagitare, ideoque nonnulla memoriæ prodiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur,* aut tandem (quod minimum est & humanæ imbecillitati donandum) *non semper intendunt animum & nonnunquam fatigantur,* iuxta illud Horatij *Quandoque bonus dormitat Homerus:* Hinc relictis prioribus illis duobus modis, in quibus authorem Anonymum libri exemplorum, aut aureæ legendæ accusabar, hunc tandem postremum dumtaxat tertium modum adaptat veteribus quibusdam ac Sanctis dicens, *summi sunt homines tamen,* ac immediate de Gregorio & Beda subiungit, *quæ ego eadem ae Beda atque Gregorio iure fortasse ac vere dicere possum &c,* addubitanter nimirum id etiam, & de Beda prius quam de Gregorio, nec de omnibus sed de vno dumtaxat alterutrius libello pronuncians. *Quorum ille,* inquit, *in historia Anglorum, hic in dialogis quædam miracula scribunt vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt.* Poterar ne reuerentius ex vna parte in Gregorium ac Sanctos, vtilius ex altera pro Theologiæ candidatis de authoritate humanæ historiæ tractare? *cum Theologum sane admoneri operæ pretium esset,* vt immediate ante præmisit, *ne id statim illi persuasum sit omnia, quæ magni authores scripserint, vndequeque esse perfecta.* Poterat ne id Cani irreuerentiæ attribui in Grego-

rium

rium quod Gregorius ipse lib. 1. dial. c. 4. profitebatur, atq; excusabat dicēs, *Quid mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non sumus? Multum vero est, quod vnius cuiusque præsulis mentem curarum densitas instat, cumque animus diuiditur ad multa fit minor ad singula, tantoque ei in vna qualibet re subripitur, quanto latius in multis occupatur*. Poterat ne dissimulari vel in Gregorij dialogis recenseri miraculum de salute Traiani, quod simul cum Baronio ad annum 604. num. 60. plerique Theologi etiam è Societate non probant? Poteratne præteriri admonitio Hieronymi in apologia aduersus Iouinianum pro discernenda varietate scribendi in diuersis etiam Sanctorum libris, *aliud scil. esse gymnasticos libros scribere, aliud dogmaticos, aliud quærere, aliud definire*? Poteratne vel simulari suspicio de irreuerētia in Gregorium, ac Bedam, ob adaptatum eisdem tertium dumtaxat modum à Cano, qui post illos extemplo insuimet Ordinis viros (Diuum Antoninum, & Beluacensem) etiam secundum peiorem modum accomodat dicens? *De Vincentio Beluacensi, & D. Antonino liberius iudico, quorum vterq; non tam dedit operam vt res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur*, qui secundus dilucide modus est. Poterat ne rursus Cano opportunius, vaticinando veluti, hanc præcauere censuram, post admonitum modeste satis, vt vidimus, de Beda, & Gregorio Theologum, e uestigio subiungens? *sed quoniam modeste & circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne in his quidem duobus rejicienda sunt plurima: Pauca enim in eis possis arguere, quamuis historiam Ecclesiasticam reuocare ad seueriora iudicia contendas*. (hæc quæso perpende). *Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus quam multa reprobari malo*. Hæc Cano quæ sola si censor attendere voluisset, nec quidem hunc locum arguere tentauisset, vti nec ea subsequentia verba Cani eodem lib. 11. cap. 6. *Non video quomodo responderi argumento possit nisi dicamus aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoria lapsum pro Theodoretō Sozomenum scripsisse*. Nec ista, inquam, sub dubio verba reprehendisset censor, si vel legisset Hieronymum epist. 101. supponentem in scripturarum quoque editionibus aliquando quid simile contigisse, tum Matth. 27. ponendo pro Zaccharia Ieremiam, tum Marci 1. sub Esaiæ nomine etiam Malachiæ verba nectendo, *nec quidem*, inquit Hieronymus, *hæc replico, vt Euangelistas arguam falsitatis (hoc quippe impiorum est Celsi, Porphirij, Iuliani) sed vt reprehensores meos arguam imperitiæ*, de quo lege Canum eundem lib. 2. locorum in fine aduersus Erasmum, qui inde similiter mordere Hieronymum conabatur.

Ad secundum de Ioanne Maria Brasichelensi Sac. Palatij Magistro in notis ad Bibliothecam veterum Patrum illiniente etiam Anastasio, & alijs alicubi ea verba *cautè lege*, nescio an Censori id displicuerit, non tam pro Anastasio (quem solum nuncupat) quam pro Gennadio, Fausto Rhegiensi, Faustino Presbytero, Marco Heremita, & huiusmodi alijs, quorum felix exitus, scripta tamen non ita pura in eadem Veterum Patrum Bibliotheca leguntur. Nescio rursus an idem agnouerit censuras illas à Ioa: Maria Brasichelensi editas fuisse pro munere (cum sacri Palatij Apostolici Magister esset) distincto libello, & indiculo, *datas Romæ ex Palatio Apostolico anno salutis* 1607. iuxta præscriptum Clementis Octaui Summi Pontificis pro indice expurgandorum librorum, vt in præfat. idem Author confitetur, adeo vt postea in succedente im-

pressione Bibliothecæ veterum Patrum eędem notę (pro reuerentia, vt patet, censuræ Romanæ) simul adiunctæ singulis locis impressæque sint. Nolim vltro suspicari arguentem, aut non legisse, aut contempsisse, quod habet scriptor nobilis è societate Labęus (nec prudens aliquis negare potest) præfatam veterum Patrum Bibliothecam multas continere sententias à recta fidei Regula exorbitantes. Legisset saltem, quæ in notis eisdem idem Sacri Palatij Magister non tantum dicit, aut asserit, sed recitatis aliorum Doctorum testimonijs docte simul, ac eruditè confirmat, atque in eas hic Petrus Valclusinus (si quid habebat rationis) obiecisset potius, quam ista temerè contempsisset, appellans *additamentum Leuiathan*, velut in Iudicum Romæ pro librorum indice Deputatorum contemptum; in quem contemptum etiam infra Diatriba 4. §. 69, idem Auctor reprehendisse videtur, quod idem Brasichelensis Apostolici Palatij Magister *quinquaginta duas propositiones ex libro Aphorismorum Emmanuelis Sá decerptas damnauerit tamquam vel intolerabiles, vel in praxi non ferendas*, cum tamen, inquit, *Hyspana, & Lusitana inquisitio duas tantum expunxerit*, in eundem, inquam, contemptum id addidisse videtur, cum & ista censura in librum Aphorismorum Emmanuelis in eodem mox ante prælaudato indiculo iussu Clementis VIII. Romæ edito comprehensa sit. Hæc fateor apud obijcientem nostrorũ præcipua crimina esse, in obsequium Apostolicæ Sedis, ac fidei, pro sarta, tectaque seruanda Doctrina sana exertis viribus laborasse. Sed his ipsis criminationibus gaudebimus potius, quam expostulaturi simus, dum (vt aiebat Tacitus Annalium 3.) *nostra certamina ex honesto manent*.

Ad tertium, de Sancto Brunone Carthusianorum Institutore, ab hoc vno obiectio dependet, quod inscribente Arnaldo librum *pro Carthusianis contra Iacobitas*, Iacobitarum nomine (vt in Parisiensi Vrbe nostri dumtaxat appellati sunt) non nisi Dominicani intellecti sint, vt hic hariolatur opponens. Et tamen in litteris Innocentij IV. Assisij datis (vt suprà retulimus) vix Ordine instituto ijdem nostri Dominicani iam missi leguntur *ad conuersionem Iacobitarum &c.* Erant ne igitur Dominicani & illi Iacobitæ, quos Dominicani conuertendos adibant? deerant ne, non vna, sed duæ ingentes sectæ Iacobitarum, effusæ fermè per Orbem? quas, inter alios, agnoscit & Episcopus Apamensis Spondanus ad annum 1237. num. 2. recensens, tum *Patriarcham Iacobitarum Orientalium, qui tempore Gregorij IX. præerat Chaldæis, Medis, Persis, Armenis, aliarumque plurimarum Regionum occupatarum à Saracenis Christianis*, tum *alterum Iacobitam Ægyptium Archiepiscopum, cui ceu Patriarchæ subijciebatur minor India, Libia, Æthiopia, & Ægyptus*, tum Bonfinius, quarta Decade lib. 2. inter Sectas, in quas Hussitas hæreticos diuisos esse describit ad annum 1414, agnoscit & *Sectam Iacobitarum*. Horum ergo Iacobitarum nomine quis non videt (si non eosdem perditissimos homines, ac proinde longius ab arctissimo Carthusianorum instituto abscedentes) saltem alios eo libro intellectos esse eorundem Iacobitarum errore vel moribus deturpatos? Quis nescit nostros ex aduerso in eo ipso (qui in argumento proponitur) Carthusiani ægrotantis euentu de hac materia scribentes (cum suppetunt scilicet alij cibi, quibus depelli fames possit) plerumque Carthusianorum instituto sub hoc temperamento fauisse, vt notat, & sequitur Atauco noster, nec in re Victoria dissensit, asserens etiam

in

in eo euentu abstinere posse, etsi non teneri permittat, quem tamen Victoriã nec Arnaldus indicare tunc poterat, cum longe antiquior Arnaldus nostro Magistro Victoria fuerit. Ex Fernandez enim in concertatione Prædicatoria *Fuit ad annum 1316. Arnaldus à Villanoua Medicus celebris Taraconensis, cuius libri scaturientes erroribus, damnati fuere ab Inquisitore Aragoniæ Ioanne Lothgerio Dominicano, vt habet Eimericus in Directorio quæst. 11, & ex Diago lib. 3. cap. 13, contra Arnaldum etiam scripsit Sanctius Bezaran Dominicanus Inquisitor Generalis Aragoniæ, & alij tamquam in hæresiarcham.* Hæc illi, ex quibus vides, quem testem aduersus Dominicanos hic accusator adducat, præ quibus immo in dicto euentu non licere Carthusiano abstinere à carnibus, extranei potius docuere, vt Martinus de Magistris, Ioannes Medina, & Alamainus, quos citat Vasquez p. 2. disp. 162. Ad quid ergo ex tam remoto Iacobitarum nomine, ex teste adeo suspecto (cuius velut hæresiarchæ libri à nostris fuerant prædamnati) in re ipsa, quæ nec Carthusianos impeteret, sed excusaret, hic discordiarum seminator inter Fratres (sapientis iudicio non ferendus) eosdem Carthusianorum, & Prædicatorum Ordines amicissimos, moribus, ac instituto simillimos, beneficijs vltro, citroque receptis, longissima æquè, ac perpetua necessitudine iunctos, nunc ad discordias sollicitare molitus est?

Ad quartum de Diuo Francisco Xauerio, quem scimus omnes, & laudamus *etiam Iaponum Apostolum* appellatum, auctor verò libri porrecti Ricardio Sacri Palatij Magistro pro impressione nominabat *Primum Indiarum, & Iaponum Apostolum*, vt duo nostri Scriptores Galli respondent; profectò doctissimo æque ac eruditissimo nostro Ricardio notum erat, ne dum Martialem (quem vnum adducit opponens) *Lemouicensium Apostolum* nuncupatum esse, verum etiam Diuum Remigium Galliæ, & Augustinum Angliæ *Apostolos* dictos esse (etiam si ante Remigium Gallia à Dionysio Areopagita, & ante Augustinum Anglia ab alijs missis à Telesphoro Pontifice christianam fidem recepissent). Immo & idem ipse Ricardius in suis editis Litanijs ad vocem *Regina Apostolorum* obseruabat, *non esse incredibile numerum Apostolorum, qui initio ad duodenum erat limitatus, pro varietate sæculorum ita excreuisse in Cœlo, vt qui vsque ad viginti quatuor erant tempore Diui Ioannis, hoc nostro sæculo ita sunt multiplicati, vt sufficientem conficiendo Regno numerum expleant. Stephanus dictus est Apostolus ab antiquis, Philippus Diaconus, Simon Episcopus Ierosolymorum, Dionysius Areopagita, Martialis, Cephas, Gregorius Magnus, nomen Apostoli obtinent apud antiquos Scriptores.* Quomodo ergo vel verisimile est Ricardium eundem, (quem Romæ pro munere commorantem, ac pro Monstri nomine eruditissimum, latere non poterat Vrbani diploma) Xauerio agnomen *Apostoli Iaponiorum* concedere renuisse? Quid vetat potius de addita illa particula *Primi*, pro munere, nec decreuisse quidem, sed dubitasse, ne renouarentur exinde litigia, (quæ huiusmodi Iudices præcauere, arcereque debent) antiquitus orta, scriptisque commissa, nec quidem à nostris, sed ab aliorum scriptoribus Ordinum de *Primatu*, ceù quinam, & ex quo Ordine Primi fidem in Indiarum regiones inuexerint? vti mox ante ex Bossio, cæterisque Scriptoribus exteris, repetita de hoc ipso dissidia, in hoc eodem articulo, memorabamus. In quo tamen ipsi libentius, quò ad aliquas saltem (licet non omnes) Indiarum in Oriente regiones, edito iam his nostris temporibus Ecclesiastico Officio Diui Xauerij adhæremus, atque in nostro

Domi-

Digitized by Google

Dominicano Breuiario Lectione tertia communiter celebramus Xauerium *fidem Iaponiæ, & sex alijs regionibus inuexisse*. Neque proinde laudamus, quæ nouissime, de eodem, in suo *Nouo Ismaele* Iustus Camus evulgat. Bene legimus, quæ & nuper scribit Marchesius in suo Diario ad 5. Februarij, de nostro Gaspare à Cruce, ex Cardoso in suo Agiologio ad eandem diem 5. Februarij legenda. Sed quid tandem, si singula hęc de Ricardij oretenus dictis, ficta à fortiori existimemus ab isto, qui toties etiam ex editis libris (quos referebat) manifesti commenti conuictus est? & sanè eundem à simili hic conuincere poteramus, de pientissimo altero iuxta ac sapiẽtissimo Apostolici Palatij Magistro Vincentio Candido, quem hic idem auctor Diatribarum Diatriba 1. §. 12. criminabatur dicens, eundem subscripsisse erroneo libro cuiusdam Balli negantis *species sacramentales obiectiuè sumptas esse reales*: & tamen ipse Theophilus Raynaudus postea tomo 6. in Opusc. inscripto, *Exuuiæ Panis & Vini* sect. 2. ab initio confessus est eidem libro Ioannem Vincentium de Candia (simul cum Francisco Delbene, Melchiore Baldusio, & Francisco Bardi è Societate) non vero vnquam Vincentium Candidum subscripsisse. Sic itaque (vt simul hac occasione respondeam Carterio imponenti, vel improperãti similiter eidem Candido in Romano examine propositionum Iansenij, putauisse earum aliquam defendi posse in aliquo vero sensu, eo quod vtique sensus multiplex etsi non intentus à Iansenio esse posset) sic, inquam, *multa vana sub nomine celebri vulgari solent*, vt Tacitus Annalium 6. dicebat.

Ad quintum tandem de libro reuelationum B. Birgittæ, antequam exhiberetur, vel congruè saltem exciperetur responsio, prælegendum esset integrum opus Grauinæ inscriptum, *Lapis lydius ad discernendas veras à falsis visionibus, & reuelationibus*, vbi ex vna parte lib. 1. cap. 2. recenset Magdeburgenses hæreticos, Melanchonem, Ioannem Ricium, & alios Etherodoxos irridentes omnes omnino reuelationes præter eas, quę in Libris Canonicis perleguntur; ex quo etiam Thomas Hurtado malè habuit Theophilum Raynaudum velut depretiantem reuelationes eiusdem Sanctæ Birgittæ, & San. Geltrudæ, & B. Ioannæ à Cruce, in controuersia de communione pro mortuis. Ex alia parte in eodem lib. 1. cap. 6. per totum idem Grauina ostendit in singulis sæculis alios hæreticos non defuisse, qui indiscriminatim omnes & à suis iactatas, ac fictas reuelationes extollerent, & adorarent. Media autem via Catholicis procedendum esse prudenter ibidem Grauina demonstrat, tum excurrendo à cap. 2. vsque ad caput 3. per singula sæcula Sanctis concessas veras, non fabulosas, nec contemnendas, sed piè excipiendas reuelationes (inter quas etiã ad sæculum 14. reuelationes appositè prælaudatæ D. Birgittæ simul cum Diua Senensi Catharina collaudat) tum præsertim id probat ex illo Apostoli 1. ad Thessalonicenses 2, *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos*, quod pro examine eodem, de approbandis, aut reprobandis huiusmodi libris, obseruandum esse admonebat Gelasius Papa cum Concilio Romano, vt habetur in Capite *Sancta Romana*, & ad eundem Apostoli locum homilia 11. instituto nostro id adaptabat Chrysostomus dicens: *probate, quæ sint vera Prophetiæ, & ab omni specie mali abstinete vos, non ab illa, aut ab ista, sed ab omni, omnia probate cum vera tum falsa, vt cum certa probatione discernatis, & ab illis abstineatis*, scilicet falsis. Iuxta

hanc

hanc itaque amussim (de qua eo iusto volumine eruditissimè, vt solet, per septem integros libros Grauina discurrit, & quam nuper confirmat diffusè satis, & Dominicus à S. Trinitate lib. 7. sect. 7. cap. 6. per totum) iuxta hanc, inquam, amussim tantum abest à nostris vnquam contemptas esse B. Birgittæ reuelationes, quod immo cum de earum editione Basileæ ageretur, noster Ioannes à Turrecremata ibidem Concilij Theologus postea Cardinalis, designatus ab eodem Basiliensi Concilio arbiter earundem ac censor (etsi in eisdem contra scripta à scipso, & à suis, reuelationem quandam circa Deiparam reperisset) semoto tamen priuato affectu, vt nostri solent, præfixit eisdem, quæ legitur adhuc (eodem modo consentiente Concilio ac Pontifice) permissiuam, vt vocant, approbationem, *quatenus*, inquit, *nihil continent, quod intellectum habeat aduersum Sacra Scriptura, aut Doctrina Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, aut ita alienum ab exemplis Sanctorum, sic quod pias valeat offendere aures*. Hæc ille. Neque tamen exinde (vt benè monet ac loquitur Vasquez tomo 2. in 3. p. disp. 117. cap. 6.) *Neque tamen dicendum has reuelationes ita ab Ecclesia probatas fuisse, sicut reuelationes Prophetarum in sacra scriptura probantur, sic enim tamquam de fide inuiolabiliter credenda essent, sed quia tamquam piæ, & absque vlla superstitione prudenter à Populo recipi possunt, & obseruari*. Hac ratione quoque magnus ille Annalium Scriptor Baronius ad annum 604. num. 60. post reprobatam eam narrationem de salute Traiani precibus D. Gregorij ab inferis reuocati (quæ in eisdem Reuelationibus Beatæ Birgittæ affirmabatur, & in reuelationibus D. Metildæ negatur) *Veneror quidem, vt par est*, inquit, *sanctas ipsas ac colo; sed de reuelationibus ipsis factis, vel potius ipsis adscriptis, ea dumtaxat recipio, quæ Ecclesia recipit, quam scimus non potuisse ista probare, quæ sunt adeo inter se contraria*: Hæc Baronius, quæ in simili antea etiam de S. Elisabetha iam scripserat Diuus noster Antoninus 3. p. Historiæ titulo 19. cap. 11. dicens: *non per hoc derogatur sanctitati Elisabeth, si non credatur, quia & Sancti Viri Prophetæ aliquando credunt à Deo sibi aliqua reuelari spiritu prophetico, quæ ex phantasia sua trahunt in visionibus suis*, vt docuit planè D. Thomas 2. 2. q. 171. ar. 5. cum D. Augustino, & Gregorio recitatis ibidem. Quid ergo Bartholomæus noster Sybillanus antiquitus scribens antequam vel Catharina Senēsis, vel Birgitta in albū Sanctarum referrerentur, intendit amplius, vel scripsit vnquam, quam, quod postea etiam graues isti Scriptores, Sanctique voluere Ecclesiæ Doctores? quis vel desipiat adeo, vt suspicetur eundem eodem modo nominatim de reuelationibus Catharinæ eiusdem, ac de reuelationibus Birgittæ differentem (vt fatetur opponens) irreuerenter adeo sui eiusdem Ordinis Diuam contemnere voluisse? Nisi legissem, ipseque vidissem, fateor, nec credidissem Diatribarum Auctorem adeo inuicem repugnantia nostris (quos pro sui Ordinis rebus, tum alibi sæpè tum Diatriba præsertim 8. *fatui amoris, zelotypiæ, & ambitionis* accusat) hæc postea ex aduerso imponere non puduisse. *Haccine monstra* (repeteret Augustinus lib. 2. in Iulianum) *haccine mendaciorum monstra ascendunt in cor tuum, & non elidunt frontem tuam? Mirum vtique* (vt superiori libro præmiserat), *mirum si in facie hominis tantum interuallum est inter frontem, & linguam, vt in hac causa frons non compresserit linguam*, ne contraria adeò in alios subsannando proferret.

QVÆSTIO QVARTA.

De Imputatis erroribus eisdem S. Thomæ discipulis.

TRabs in oculo grandis, *& grossa in mente, superbia est* (vt in serm. D. Bernardus aiebat) *quæ sua quasi corpulentia vana non sanat, tumida non solidat, oculum mentis obscurat, & veritatem obumbrat.* Non mirum inde ab imputato semel S. Thomæ discipulis superbiæ excessu in laudibus S. Thomæ, & suorum, post imputatum similiter ipsis contemptum Pontificum in terris, aut Sanctorum in Cœlis, successiuè deriuatam esse ab auctore Diatribarum *obscuratam mentem, obumbratamque veritatem*, affictam eisdem, tum in scribendo erronea, (vt hac Diatriba 4. percurrit) tum in scribendo ineptias, aut ignorantias (vt Diatriba 5. prosequitur) tum in scribendo mendacia, aut imposturas (vt Diatriba 6. concludit) de quarum imputatione priori consequenter & nos, seruantes eundem ordinem, acturi sumus in præsenti quæst. 4. de posteriore in quæst. 5. sequenti, & de postrema demum in quæst. 6. dicemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An iustè erroris nota notentur tum Schola Thomistarum in communi, tum in particulari antiquiores, Ioannes de Neapoli cum Diua Senensi, Capreolus, Ferrariensis, Dominicus Soto, & Caietanus.

VIdetur sic affirmandum Petro Valclusino Diatriba 4. id ex proposito contendenti. Et primo de Schola Thomistarum in communi, nam inquit, *communiter apud omnes Dominicanos rata sunt placita quædam partim Philosophica partim theologica, quibus ipsi Dominicani vt polypi saxis adhærescunt, putantes esse tradita à D. Thoma, cum tamen extra eorum Scholā inania habeantur.* Et transcriptis ex olim proscripto Romę elucidario Pozæ quadraginta octo propositionibus, quæ in eodem opponente, simul & in nostris respondentibus repetitæ leguntur, in hæc verba concludit: *hæc sat sunt prospecimine Doctrinæ malè materiatæ, cui omnes communiter Dominicani adhærere debeant, cum sint effata D. Thomæ, quem illi habent pro Deo Doctrinæ Theologicæ ac Philosophicæ æque ac Secundinus vocabat Augustinum Deum eloquentiæ.*

Secundò speciatim de Ioanne à Neapoli antiquissimo inter Thomistas, quē se anteriorem etiam Capreolus recognoscit, hic, inquam, Ioannes de Neapoli ablegauit à Christo intellectionem creatam censens cum res cognouisse per solam cognitionem diuinam, *hancque reprobam doctrinam etiam S. Virginem Senensem*, addit, *ab aliquo male feriato Dominicano hausisse, vt patet ex eius oratione* 17. Et tamen hic error est exploratus & ijsdem refutandus argumentis, quibus ab Ecclesia excisus est error Monothelitarum, vt referunt Valentia 3. p. disp. 1. Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 24. sec. 1. Lessius lib. 2. de summo bono c. 2. Non immerito igitur Dominicanos erronea docuisse concluditur.

Tertiò de Ioanne Capreolo, *qui*, inquit, *vocatur anima D. Thomæ, nec est inter proletarios apud Dominicanos, sed tenet gradum senatorium*, hic idem Capreolus in 4. dist. 49. q. 4. ad 1. Scoti contra 2. conclu. & ad 3. Aureoli contra eandem de visione beatifica admodum præpostere philosophatur, distinguens in actu

visionis substantiam actus prodeuntem ab intellectu, & formam addititiam (ratione cuius solius est beatitudo) à Deo solo efficienter causatam. Et tamen hoc absurdo philosophandi modo visio pro vt beans formaliter hominē non esset quid vitale, & substantia intellectionis Deum attingentis non esset quid supernaturale. Messem ergo errorum in his paucis Capreoli dictis colligere licet, vt videri posunt Suarez tract. 2. libro 2. & Vasquez 1. p. disp. 47.

Quarto de Francisco Ferrariensi, qui solus laudatur D. Thomae opus inscriptum contra gentes suis commentarijs illustrasse, hic ipse ad librum 4. eiusdem operis c. 66. tenet quando ex speciebus Sacramentalibus putrefactis generantur vermes, manere quantitatem specierum cum sola substantiali forma vermis adueniente, nullam autem ibi materiam primam reperiri, atque adeo existimat vermes illos differre specie à caeteris vermibus, idque totum se habere putat ex D. Thoma ibi, & ex 3. p. q. 77. ar. 5. & in 4. dist. 12. q. 1. ar. 2. & tamen inter errores id ipsum referendum esse arguens hoc loco (vt re ipsa refert) se non immerito arbitratum esse supponit.

Quinto de Dominico Soto, quem Hyspani praesertim vix inferiorem Caietano putauisse videntur (si superiorem renuas), idem Soto ex suo cerebro constituit terminum commorationis animarum in Purgatorio, negans vllam ibi haerere vltra decennium; idem negauit Episcopatum esse ordinem, aut Sacramentum, in 4. dist. 24. q. 1. ar. 2. & rursus lib. 10. de iustitia q. 5. ar. 3. eidem Chorus videtur esse de substantia Religiosi instituti, eum iuxta eum dicenda non sit Religio, quae non canit in Choro. Et tamen ne dum primum illud arbitrarie vel temere dictum videtur, verum etiam secundum *periculosum* existimat Michael Medina lib. 1. de continentia cap. 15. & forsan his tribus simul permotus Antonius Senensis Ordinis Praedicatorum in Bibliotheca Dominicana (vti ab opponente refertur) ait Sotum nonnulla habere, quae iure optimo posent, & deberent limari, vel à libro tolli. Non igitur negari potest in Dominicanorum libris errores adesse.

Sexto demum de Thoma Caietano, *qui inter Thomistas Coriphaeus est*, inquit obijciens, *hic scatet doctrinis non modo parum solidis, sed etiam aperta materiali haeresi sordentibus*, & licet à formali haeresi excuset & ipse contra Prateolum secutum Alphonsum à Castro *non satis consulto dantes Caietano locum inter haereticos*, addit tamen *neminē inficiari pleraque eius pronunciata materialiter haeretica*; & videri posse *Errorum Caietani plenam messem apud Catharinum iusto volumine in sex libros distributo, Echium quoque ad calcem locorum suorum communium vltra centum reproba doctrinae tubera, ex Caietano erota, proponentem, & demum Canum lib. 7. de locis cap. 3. monstrantem quam peruerse, ac periculose idem Caietanus scripturas exposuerit.* Hi igitur sunt, vt obijciens concludit & loquitur hoc eodem § 58, *quos Dominicani pro suis in doctrina magnatibus habent: hae pauca è multis doctrinates gemmae*, haec Schola Dominicanorum.

In oppositum tamen est, quod praeter doctrinam S. Thomae *sine vllo prorsus errore conscriptam*, vt iuxta diploma Clementis VIII. iam supra defendimus lib. 2. q. 3. ar. 1. signatis etiam Authoribus, qui depulerunt eiusdem doctrinae affictos errores (hic repetitos solummodo ab isto) quo ad eiusdem vltro discipulos sicut aliud est admittere alicubi in aliquorum S. S. Patrum diuisiue sump-

torum scriptis aliquos errorum næuos, aliud vero doctrinam S. S. Patrum in communi velut erroneam denunciare, ita proportione seruata aliud est in aliquorum discipulorum S. Thomæ diuisiue sumptorum libris aliquem errorem asserere, aliud vero doctrinam, aut scholam discipulorum S. Thomæ absolute velut erroneam condemnare. Sed inde in re priori de Patribus, licet primum illud impune dici posse concedat & author iste Diatribarum §. 8, nemo Catholicorum tamen, secundum sine hæresis vel saltem erroris nota asseri posse consentiet. Ergo, proportione seruata, in præsenti de Angelici Præceptoris schola atque Ecclesiæ Doctoris, etiam si gratis admitteremus aliquos diuisiue Thomistas alicubi erroneum aliquod protulisse (de quo singillatim ad argumenta dicemus) nonnisi temere tamen schola adhuc S. Thomæ in communi erroris nota ab eodem infamata fuisset, iniustaque proinde accusatio eiusdem iure optimo Romæ (vt re ipsa fuit) proscripta fuisset.

Respondeo iniuste nimis vel Ordinem Dominicanum, vel Præceptoris Angelici scholam de disseminatis doctrinæ erroribus accusari, pro quibus immo eradicandis erroribus peculiare ac strenuum semper eorundem studium, tum Apostolicæ Sedis laudibus, tum rerum gestarum experimento præcipue comprobatum est. Quo ad primum enim Benedictus XI. in Bulla edita apud Lateranum Idibus Februarij anno Pontificatus Primo, *Istius*, inquit, *Ordinis Professorum fructuosa studia mentes fidem Orthodoxam confitentium fragiles, in tenebris erroris, inimici hominis suggestione, illapsas, lumine veritatis illustrant, & spinas punctionis lethiferæ, in horto succrescentes Dominico nouacula labiorum succidunt, in quibus æternæ sapientiæ gratia diffusa est*. Hæc ille, quæ penitus reddito ad verbum verbo de eodem ordine habet, & Clemens VI. in altera Bulla edita Auenione Idibus Februarij Pontificatus anno II, nec minus Gregorius IX. in diplomate dato Laterani Idibus Februarij anno I. repetebat *Fratres Prædicatores tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicasse Euangelizationi verbi Dei*. Similiter Innocentius IV. in datis Lugduni anno 1248. die 13. Nouemb. de eisdem Dominicanis aiebat, *De fidelium campo exstirpare noxia, & in eo plantare salubria, necnon muniti spirituali pro defensione fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione dissimilitudinis conuersantes, ad vnitatem Matris Ecclesiæ reuocare diligentia indefessa procurant*. Post Innocentium Alexander IV. (apud Fontanam in Monumentis Dominicanis anno 1261) *pro impugnanda* (ait) *hæreticorum perfidia viriliter, omnimodoque confutanda Fratres Prædicatores velut strenui pugiles Orthodoxæ fidei sunt ita vigiles & intenti, quod aucunt pro delictis, si hac de causa aliquando bibant calicem passionis &c*. Post Alexandrum Clemens IV. in datis Perusij 6. Kal. Martij Pontificatus sui anno II. subdebat, *Altissimus in Ordine vestro sibi habitaculum præparauit, constituens lucem in populis, viam salutis & gratiæ fidelibus ostensuram*. S. Cælestinus V. in diplomate recitato apud Vallam de Prouincia Regni, *Clara* (inquit) *Ordinis Prædicatorum Religio &c. ad robur & munimentum erecta fidei Orthodoxæ per insignium gratiam meritorum &c. vberes fructus protulit*. Hæc summi Ecclesiæ Pastores ac Iudices. Nec rem ipsam eorundem verbis ac sensibus dissensisse (vt aliqua etiam de 2. subdamus) poteris, me quidem consule, suspicari, si quæ sequuntur expendere non dedigneris.

Diuus enim imprimis Patriarcha Dominicus in euertendis Albigensium erro-

erroribus (vt loquitur Bulla Canonismi eiusdem) septem consumpsit annos, centumque eorundem millia reuocauit ad fidem. Diuus Petrus Martyr eiusdem zeli cum Patre Catharos, Manichæos, Patarenos aliosque eiusdem furfuris homines, vel disputationibus, & miraculis euicit, vel vsque ad Martyrij lauream insectatus est. Nil dicam de innumera Agarenorum multitudinè in Hyspania, Cathalaunia, Aphrica, Syria, Maiorica, in regno Valentino, Granatensi, Tunetano finitimisque regionibus à S. Raymundo, Fratre Guidone, alijsque Fratribus Prædicatoribus ad Apostolicam fidem reducta. Sane Stedinghos hæreticos, qui multa affinia cum Albigensibus euomebant, nostrorũ ope tandem à Germania profligatos fuisse demonstrant annales nostri apud Maluendam ad annum 1234 cap. 12. Aduersus Waldenses seu pauperes de Lugduno, sub Gregorio IX. iterum ebullientes admixtos Catharis & Patarenis Fratrem Monetam nostrum strenue se opposuisse testatur eiusdem Codex manuscriptus in eosdem inscriptus adhuc in Bibliotheca S. Dominici Neapoli asseruatus. Gulielmi de Sancto Amore & Giraldi Parisiensis hæreses aduersus ordines Religiosorum, profligarunt sub Alexandro IV. editis in eosdem opusculis S. Thomas, & Albertus Magnus, qui coram eodem Pontifice eosdem celeberrima disputatione conuicit. Flagellantium sectæ dementantis Germaniam intrepidè Fr. Germanus noster occurrit, qui propterea etiam ab eisdem deinde in hostiam Dei mactatus est. Gerardo Sagarello ad annum 1296 veteribus extumulatis hæresibus deturpante Italiam, opera Fratris nostri Manfredi Inquisitoris detectus & exustus fuit. In Gallia contra Beghinos, ac Beguardos, damnatos postea in Viennensi Concilio, F. Eimericus Placentinus, ac Berengarius è nostro Ordine classicum cecinerunt. In Dulcinum cum sua Margarita spurcissime Orgia Eleusina disseminantem in Austria nostri ibidem Inquisitores mucronem Ecclesiasticum acuerunt, vt Castillus enarrat p. 1. lib. 3. cap. 14. Aduersus Michaelem de Cesena hæreticum, eiusque sectarios Dominicani tunc summum Pôtificem Ioannem XXII, eiusdemque decreta tutati sunt. Petrum de Baldach in Ciuitate Gerundensi in hæresi pertinacem F. Arnaldus Burquetus Inquisitor addixit incendio, vt habet Diagus lib. 1. cap. 13. A Berengario de Monte falcone effutitos errores extinxit F. Nicolaus Rosselius, ex Fernandez in Concertatione prædicatoria ad annum 1312. Qui nam vnquam errores exorti sunt, in quos nostri aut Quæsitoris munere, aut Doctoris officio, verbo non pugnauerunt, vel scripto?

Quinam hæresim Armachani cuiusdam Pseudo Archiepiscopi oblatrantis iterum in Ordines Mendicantium euicit? Dominicani præcipue, vt idem Fernandez habet ad annum 1357. Quinam primo in Wicleffum erumpentem ad annum 1360, pro congreganda Canthuariæ Synodo Prouinciali (ante Constantiense Concilium) inclamauerunt? Dominicani, vt Castillus ostendit 2. p. libro 2. cap. 4. post Cochlæum in historia Hussit. primo cap. 8. Vnde ipse Wiclef nostros Dominicanos *generalem contra se terremotum* appellabat, vt probat Fontana ad annum 1372. Vbi nam primo Ioannes Hus, succedens eidem, simul cum Hieronymo de Praga, ne errores effunderent, carceri mancipatus fuit? in Conuentu Dominicano Constantiæ, ex Grauina cum alijs de Sacro deposito cap. 22. Quis in Neognosticos seu Adamitas hæreticos in Boemia grassantes à Sede Apostolica delegatus fuit? Cardinalis noster Ioannes Do-

minici, ex Fernandez ad annum 1414. Quinam rebullientibus ibidem Hussitis, etsi comprobarent ad oculum sua deuastari cęnobia, intrepide restiterũt? Dominicani, ex Coehlæo in historia Hussit lib. 4. & Fernãdez ad annum 1418. Quinam præcipui impugnarunt errores Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiensis circa Confessionem sacramentalem postea ab Ecclesia damnatos? Quinam errores similiter Petri Oxomensis Salmantini Doctoris, postea demandante Sixto IV. ab Archiepiscopo Toletano proscriptos? Dominicani professores ibidem, quos Fernandez ad annum 1479 nominatim adducit, Petrum de Ochanna & Didacum de Benscò. Quinam fuit ille Quæsitor fidei in Aragonia, qui habito Theologorum Concilio errores alios eidem Sixto IV. pro suprema sententia transmisit? Quinam ille alter Quæsitor fidei in Italia, qui inauditum antea absurdum inuentum de Christo concepto, non in vtero, sed iuxta cor Virginis, primo repressit, damnatum postea à Iulio II. vt hæreticum? ille prior fuit F. Chrysostomus Galuez Dominicanus Inquisitor Aragoniæ ex Diago lib. 1. cap. 33. iste posterior fuit Fr. Hieronymus Fauentinus Inquisitor noster, ex Leandro libro 4. & Paramo lib. 2. tomo 3. cap. 4. Quinam nisi Dominicani primitus compresserunt vel nefandissimas alias obscænitates & hæreses posteriores Illuminatorum in Prouincia Extremaduræ in Hyspania detectas mirabili opera Fratris nostri Alphonsi de Fonte, ex Fernandez ad annum 1578, vel sectarios eorundem per extensum à Grauina nostro descriptos cum potentissimis eorundem erroribus lib. 1. de visionibus cap. 6. à pag. 118 vsque ad pag. 137. vel alia eiusmodi recentiora præ istis exempla ãlenda hic, ne quibusdam inuidiam videar procreare?

Quinam tandẽ (vt tot alia nostrorũ exempla dimittam in *monumentis Dominicanis* legenda successiuè per singulos annos enarrata ac descripta) quinã, inquam, vel primi in illam immanissimam deuastandæ Germaniæ, emissam ab inferis, belluam (Lutherum intelligis) veluti custodes Ecclesiæ Canes, extemplo voces dederunt, vocibusque pro grege tutando excitauere Pastores? quinque sine dubio Doctores nostri, nimirum F. Ioannes Terzelius tunc Francofordiensis Inquisitor, F. Siluester de Prierio tunc Apostolici Palatij Magister, F. Conradus Kœlim, F. Iacobus Hocstratanus, & Thomas de Vio Caietanus, quorum singulorum opera in Lutheri errores tunc primo conscripta (antequam exurgerent alij) vsque adhæc tempora perstant, ipseque Magister Sacri Palatij (vt Posseuinus è Societate collaudat) falsam impudentissimi hominis citati & non comparentis doctrinam Romæ in foro Nauonio anno 1521. Pridie Idus Iunij vna cum Hieronymo de Gelutijs Episcopo Asculano condemnauit, prolataque sententia à Magistro F. Cypriano Ordinis Prædicatorum in Accademia Romana primario Theologię professore, Lutheri statua, & libri concremata sunt. Hæc fateor non pœnitenda seu commendanda nostrorum gesta in nostram Thomistarum scholam deinde Lutheri bilem inflammarunt, non vero (vt imponebat superius §. 55. hic idem author Diattibarũ, vt id etiam transeunter hic dicam) *non nimia cupiditas Dominicanorum*, seu auaritia in indulgentiarum promulgatione, non, inquam, ista commouere Lutherum in nostros, dum immo (vti respondet ac loquitur pro nobis ingenue Eminentissimus Pallauicinus lib. 1. historiæ Tridentini cap. 3.) *Insignis calumnia est quod promulgatio indulgentiarum commissa fuerit, non Fratribus Eremitis S. Augu-*

stini

stini, sicut alias factum fuerat, sed Religiosis S. Dominici, quo maiorem pecuniæ summam sibi conflarent, infamando sic Religionem, quæ non minus integritate quam doctrina semper extitit Ecclesia decus & ornamentum: Hęc ille addens, nec Lutherum, nec sectarium eiusdem Sleidanum historicum hanc vnquam pro sua hæresi causam memoraſſe, & rursus antea ad annum etiam 1515 (priusquam Lutheri hæresis oriretur) *Minorum Custodi simul cum Archiepiscopo Moguntino id à Leone fuiße commissum &c, cui Moguntino ipsis etiam hereticis confitentibus, similem Germania non habebat*; quæ pleraque Spondanus antea adnotarat ad annum 1517 num. 3, referens Lutherum iam anno 1516 de libero arbitrio, de meritis bonorum operum, & de traditionibus humanis contra Theologos disputaſſe, *Vt appareat*, inquit, *iam animo eum corruptum fuiſſe, antequam indulgentias impeteret, quod denique hoc anno 1517 cepit*. Hæc itaque sunt innata ab initio, & perennantia subinde laudata à Pontificibus studia Professorum Ordinis Prædicatorum in extirpandis erroribus, de quibus è contra diſſeminatis eosdem iniuste author Diatribarum accusat.

Ad primum igitur, miror authorem eundem hic tacuiſſe vel illam calumniā alteram, quam primus in Dominicanos inuexit Matthæus Parisiensis (homo Schysmaticus Innocentij IV. ac Dominicanorum proinde defensorum Innocentij iuratiſſimus hostis) de libro execrabili *Euangelium æternum* inscripto, velut authoribus Dominicanis, *vt dicebatur* inquit Matthæus, ac repetit ex eodē exscribens Mornæus hæreticus, immo quod peius est, præfidenter nimis accepit & Petrus à S. Romualdo recentior in sua chronologia (inter alia, quæ laudabilius forsan omittere potuiſſet) aut iterum omiſiſſe miror tentatam in altero recentiori opusculo imposturam, nimirum è moralibus propositionibus supra centum partim ab Alexandro VII, partim Innocentio XI. interdictis aliquas è schola S. Thomæ fuiſſe depromptas. Miror, inquam, & ista hoc loco adiuncta non fuiſſe mendacijs, quibus exscribens è Poza 48. propositiones intendebat Dominicanorum scholam imputatis erroribus infamare. Sed quo ad primum fortaſſe erubuit Anacronismi, cuius Petrum à S. Romualdo cum hæretico Mornæo non puduit, dum nempe liber ille inscriptus *Euangeliū æternum* vsque ad annum 1208 prędamnatus fuerat, septennio ante institutum Ordinem Prædicatorum (vt ex Nauclero, Gulielmo de Nangis, & Gulielmo de Niquier comprobatur) licet iterum ad annum 1268, rebulliente controuersia, per Cardinalem Ioannem Columnam, & per nostrum (quod valde vlterius obseruandum est) Cardinalem Hugonem de S. Charo præcedens damnatio confirmata fuerit, atque adeo superabunde depulerint hoc hæretici Mornęi commentum Dominus Cœfereu in eundem, & Pater Pinsantius, vt nec mutire alter amplius debuiſſet. Quo ad secundum de proscriptis moralibus propositionibus, præter datas à Vincentio nostro Tolosanæ Prouinciæ scriptore, in libro integro, Responsiones, legi possunt ex sacro Ordine Carmelitarum Excalceatorum in suis editis opportuniſſimè in hanc rem libris, tum Pater Cassianus à S. Elia, tum Pater Carolus ab Assumptione, tum cursus Theologię Moralis, distributus in quatuor tomos, elaboratus à sapientiſſimis & celeberrimis Patribus Salmanticensibus eiusdem Ordinis, qui fermè alteri cuicunque præoccuparunt, de Moralibus his propositionibus, respondendi prouinciam, cum interim nedum vulgo compertum sit, ex indiculo nuper impreſſo Coloniæ

1679

Digitized by Google

1679 typis Egmonciacis, & ex editione Latina Epistolarum Montaltij cum notis Wendroehij (qui & denuò tres tomos de eadem materia morali vulgauisse refertur) quorumnam nominatim Scriptorū singularia ea proscripta placita fuerint (ex doctrina S. Thomæ facillimè reprobanda) verum etiam Neotericus alter scriptor Bail Propœnitentiarius Parisiensis (qui in sua Theologia Ascetica falsò exhibebat etiam Sanctum Thomam suspendentem pro scientia media prædestinationis arcanum, vt videas, cui Scholæ hic nomen dedisset) in nuper edita Summa Conciliorum in fine tomi 2. pag. 223. §. *Censuræ plures Apologiæ Casuistarum*, postquam retulit alium frustra conantem in eandem proscriptionis foueam simul comites aduocare, qui cum Hieronymo inuectiua 3. cap. 6. reclamarent, *an solatium percussi est, alterum secum videre morientem?* post hæc, inquam, ad excusandos eosdem, qui reipsa erant illatum Propositionum Auctores, quique ideirco soli ediderant Casuistarum Apologias, in hæc verba descendit: *vt omne agens agendo repatitur, non mirum videri debet, si qui in subeuntem Iansenistarum hæresim debito feruore egerunt, pro ratione temporis aliquid etiam repassi sunt*. Demum vna pro omnibus, quo ad hanc materiam moralem, defensio scholæ D. Thomæ satis est, si audiatur dumtaxat, epistola Reuer. Patris Generalis Præfecti sapientissimæ Societatis, Mutij Vitelleschi ad Patres Congregationum Prouincialium anno 1617. die 4. Ianuarij scribentis, ostendentisque simul, & commendandum semper societatis zelum, & pro Amuleto aduersus similes laxitates opportunissimam esse scholæ D. Thomæ doctrinam, (vti transcripta legitur hæc Epistola in 6. parte operis, de potestate Pontificia, cap. 4. exarata ab vno olim eiusdem societatis Professore) *Nonnullorum ex Societate sententiæ* (inquit Generalis Præfectus), *in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est, ne ipsam Societatem euertant, sed vt etiam Ecclesiæ Dei vniuersæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, vt qui docent, scribuntve, minime hac regula & norma in delectu sententiarū vtantur. (Tueri quis potest: Probabilis est: Auctore non caret:) Verum ad eas sententias accedant, quæ tutiores, quæ grauiorum, maiorisq; nominis Doctorum suffragijs sunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere & iuuare queunt, non vastare, non perdere. Quoniam vero Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S. Thoma sequendo, de non prouehendis ad Cathedras, aut etiam remouendis, qui eiusmodi doctrinam paruifacere, aut cordi non habere præseferunt, præsertim si nouitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione sunt ferendi, reliquum mihi præterea nihil est, nisi vt, hæc ipsa seruentur, vti maximi rem momenti, quam ardentissimè possum, vrgere.* Sic ille præueniens prudentissimè id, quod denuo postea Summus Pontifex Alexander VII, antequam laxiores in re morali propositiones proscriberet, significari mandauit anno 1655 (vt Gonetus de opinionum probabilitate cæterique recensent) *Tædere sanctitatem suam nouarum opinionum hoc sæculo in materiam moralem introductarum &c. maximeque velle à Theologis Dominicanis, in Ecclesiæ hoc morbo laborantis remedium, opus parari ex seueriori, & tuta D. Thomæ doctrina, quo hæc morum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cauterio cohibeatur*, quemadmodum & à Mercoro, & à Goneto, & Prado, & alijs nostris continuo præstitum est, reprobantibus plerasque illas nouiorum exterorum assertiones, quæ subinde proscriptæ fuerunt, adeo vt, quo ad istas, præter indicata mox ante, quid aliud addere superfluum sit. Quo ad propositiones

tionès vero (quas in præsenti Auctor Diatribarum ex elucidario Pozæ iam Romæ transfixo rescribit) iamdiù easdem aut falso impositas, aut à Poza temera censura notatas ostenderunt, singulas percurrendo, tum noster eruditissimus Grauina in fine Cherubin Paradisi, & de Sacro Deposito cap. 24. & tomo 3. proscriptionum p. p. quæst. 2; tum Illustrissimus Lucarinus Episcopus, in Manuali Thomistico fermè per totum, tum præ cæteris (vt Biescam, Marialem ac duos recentiores è Gallia Scriptores omittam) Sapientissimus Magister Ioannes à S. Thoma tractatu præambulari in primam partem *de Approbatione doctrinæ S. Thomæ* disp. 2. per totam, adeo vt huic hæc toties iam dissipata iterum repetenti, nec vel tangenti responsa, reponi valeat cum Augustino lib. 3. operis imperfecti in Iulianum cap. 34. *odiose repetis, quia otiose loqueris, vacat enim tibi easdem res loquacitate reuoluere, quas non potes asserere veritate, & dicere sine modo, quæ astruere non vales vllo modo. Sed fac, & dic quidquid vis* (subdit cap. 144.) *conuictus, & victus apparebis, vt non vis*: nosque, quos criminaris in fine earundem propositionum, *D. Thomam habere pro Deo doctrinæ Theologicæ*, à fortiori dicemus cum Tacito (quod ille in Vita Agricolæ de probo viro, vt supponebat, à se amato dicebat) *quidquid ex illo amauimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum fama erit*, & demum cuicunque comminiscenti in solatium aliorum, quorum non semel libri interdicti fuere, scriptum quoque aliquod S. Thomæ velut erroneum, aut improbabile proscriptum esse, repetemus vlterius cum D. Hieronymo inuectiua 2 cap. 5. in Ruffinum fingentem similiter quoddam Hilarij scriptum fuisse damnatum: *Responde, quæso. Synodus à qua scriptum istud excommunicatum est, in qua vrbe fuit? dic Episcoporum nomina, profer sententiam subscriptionum, vel diuersitatem, vel consonantiam: doce qui eo anno Consules fuerint, quis Imperator hanc Synodum iusserit congregari: Galliæ ne tantum Episcopi fuerunt, an etiam Italiæ, & Hyspaniæ? certè quam ob causam Synodus congregata sit, nihil horum nominas. Tantæ te ergo auctoritatis putas, vt cum hoc familiaribus tuis narras somnium, nemo tibi contra Confessorem ista simulanti audeat contradicere?*

Ad secundum de Ioanne à Neapoli, adest in nostra Bibliotheca S. Dominici Brixiæ eiusdem Opus impressum Neapoli anno 1618. hoc titulo: *Ioannis de Neapoli Ordinis Prædic. solemnis Doctoris Parisiensis è primis propugnatoribus Doctrinæ D. Thomæ quæstiones variæ disputatæ, post annos 402. ex vetusto M. S. Codice insignis Bibliothecæ Regij Conuentus Sancti Dominici erutæ &c.* vbi præmissa vitæ, & doctrinæ laude eiusdem velut commendati, ne dum à Siluestro, Caietano, Capreolo, Turrecremata, Posseuino, & alijs, verum etiam à D. Antonino p. 1. Summæ Theologicæ titulo 8. cap. 2, obseruatur eundem Parisijs floruisse ad annum 1315, antequam D. Thomas anno 1323. inter Sanctos adscriberetur, adeò vt (*cum inter mortem S. Doctoris sequutam anno 1274. & sacram eius Apotheosim, 49. anni intercesserint*) *si iste Ioannes de Neapoli ad maturam peruenit ætatem, potuerit Sancti Doctoris auditor esse*. Hoc itaque opus non semel sed iterum ipse diligenter excurri, nec vestigium quidem vllibi offendi alicuius verbuli, quo Auctor iste ablegari putari queat ab humana natura, vel anima in Christo intellectionem creatam, aut vel leuiter indicet Christum res cognouisse per solam cognitionem diuinam, quemadmodum Auctor Diatribarum imponit; quin immo, vbi Thomistę communiter ablegant ab eadem natura in Christo

esse

esse existentię creatum (aduersus Scotum & alios) retinentes solummodo in Christo vnicum esse existentiæ diuinum, sicut vnum suppositum adest, hic potius liberalior eisdem in quæst. 9. concedit Christo præter diuinum esse existentiæ substantiale secundum rem, & modum, & aliud esse existentiæ creatum, quod, inquit, *est substantiale secundum rem, non secundum modum, in Christo*, quatenus, vt sustentatum à diuino supposito, *non habet modum essendi in se sed in alio*, atque in hoc sensu ipse arbitratur interpretari posse, quod scripsit præceptor Aquinas *in Christo adesse vnicum esse substantiale*, loquendo videlicet de vno esse substantiali secundum rem, & modum simul, licet tandem & ipse in reuerentiā eiusdem Angelici Preceptoris concludat, *se hæc dicere opinatiuè, non assertiuè, maxime si contineant aliquid, quod videatur contrarium dictis Reuerendissimi Patris, Doctoris omnium & Magistri, Fratris Thomæ de Aquino*: hæc ille, quæ obsecro vel incidenter expendas, vt videas quam ingenti elogio *Doctoris omnium, & Magistri* Thomas adhuc mox antè defunctus Litteratorum mētibus insideret, atque Doctorum auribus insonaret. Vtique compertum est apud Gregorium Ariminensem, apud Caprcolum, & alios Doctores antiquos pro absurda sententia illa ablegante à Christo creatam intellectionē, referri solere simul cum Hugone, & Adamo, etiam *Ioannem de Ripa*, qui nec Ioannes à Neapoli est, alibi ab eodem Capreolo laudatus, nec noster fuit, & forsan parum mutato nomine est ille Ioannes de Rupe, quem Ordinis Minorum Scriptorem in sententias Trithemius agnoscit, eodemque modo Suarez & Lessius Ioannem de Ripa, non de Neapoli, retulerunt, solus Valentia nominis similitudine deceptus fuit, vt Ioannem de Neapoli cum Ioanne de Ripa, vel de Rupe confunderet, ac inde postea, quod ille incautè, hic præfidenter accepit, non timens sibi aliquem cum Hieronymo repetiturum inuectiua prima in Ruffinum cap. 3. *cum tantam habeas licentiā nominum immutandorum, cauendus mihi homo es maxime declinandus, ne me repente, dum nescio, de Hieronymo nomines Sardanapalum*. Sed minor adhuc hæc sibi arrogata licentia fuisset, præ alia longe atrociori, qua audet, *eandem reprobam Doctrinam* (vt ipse vocat) affingere etiam *D. Catharinæ Senensi in Orat.* 17. in qua (vt edita legitur per Aldum Manutium ad Annum 1550 habita à D. Senensi Romæ die 12 Augusti 1377.) nec verbum vel leuem ingerens suspicionem ostenditur, nisi huic austerissimo nostrorum ac Cælitum accusatori (quos ex aduerso dehonoratos à nostris calumniose superius causabatur) fortasse displicuissent ea Sanctæ verba directa ad Patrem æternum in ordine ad Beatos in Cœlo, *Illuminas eos in sapientia Filij tui*, quæ si fortasse displicuissēt, & displicere similiter absurdissime debuissent ea verba Pauli Apostoli 1. Corin. de eodem Filio Incarnato loquentis, *Factus est nobis sapientia*, cum tamen stolidum in data hypothesi accusatorem euestigio riderent vel cādidati Theologiæ sumentes hæc verba in sensu causæ efficientis aut exemplaris, non purè formalis, nisi de forma quoque intelligibili, non naturali intelligeres, quemadmodum etiam plerique concedunt diuinam essentiam vniri Beatis mentibus in ratione *speciei, vel verbi*, atque hoc munus vel nomen speciei expressæ vel verbi proprium esse secundæ personæ Filij, qui appropriate sapientia Patris apud Theologos immo vulgo catholicos nominatur. Quid mirum igitur in Decreto Senatus Tolosani, præ cæteris decreti causis, hunc Diatribarum librum, propter superius expensas imposturas tum circa Dei-

param,

param, tum contra D. Thomam, tum contra Diuam Senensem hoc loco, & infra §. 102, iudicatum esse *refertum multiplici propositione impia ac sacrilega contra honorem B. Virginis, S. Thomæ Aquinatis, & S. Catharinæ Senensis &c.?* Quid mirum censorem eundem, *cui non sufficiebat passim contra omnes detractio* (vt iterum Hieronymi verbis vtamur inuectiua in Ruffinum) *nisi contra Beatos, & insignes Ecclesiæ Fidei sui directam lanceam intentaret, Quid mirum,* inquam, *si qui hos fecet, hos reprehendat, nos minimos etiam, & nullius numeri homines laceraret. Nos oportet cum talibus?* Augustinus subiungeret lib. 2. in Iulianum Operis imperfecti cap. 3.) *nos oportet cum talibus ipsius conuitia non solum patienter, verum etiam gratulanter audire: sed ipse debuit in talibus lacerandis, & humana erubescere, & diuina iudicia formidare.*

Ad tertium de Capreolo, nec viuam, si incerniculo quæritans errores in ipso, nullibique reperiens, vel errorem hunc, de quo eundem accusat, circa negatam vitalitatem supernaturalem visionis in Patria, splendide id ipsum confinxisse non constet. Non solum enim in ea ipsa (quam refert) responsione ad primum Scoti contra 2. Conclus. conceptis his verbis concedit *lumen gloriæ requiri ad eliciendum actum visionis,* verum per totum ibidem articulum secundum, & tertium, totus ferme Capreolus est in sustinendo cum necessitate luminis gloriæ intellectum possibilem actiuè concurrere in visionem eandem supernaturalem, vt consulenti patebit. Vtique postea, cum articulo primo aduersus eandem secundam conclusionem attulisset Aureolum quinque argumentis *principaliter probare volentem,* vt loquitur ipse Capreolus, *quod lumen gloriæ non requiratur ad hoc, quod illo mediante intellectus agens cooperetur diuinæ essentiæ in causando visionem beatificam,* tum primo, quia essentia diuina est de se intelligibilis in actu, non in potentia, tum secundo quia intellectus agentis actio principalis est in phantasmata, quæ hic non concurrunt, tum tertio quia visio Beata præmium est, ideoque à præmiante &c. Inde in articulo 3. ad hæc argumenta Aureoli inquit: *Dicitur primo in communi ad omnia quod gratis conceditur, quod intellectus agens nullam habet actionem in vision: Beatifica, quia omnis, & sola eius actio est intelligibilia in potentia facere intelligibilia actu &c. quod non habet locum in beatifica visione, in qua diuina essentia se habet per modum formæ intelligibilis:* En negat solam actionem intellectus agentis, & recitatis ad hoc pluribus S. Thomæ testimonijs, in summa distinguit in visione beata id, quod se habet per se, (vti & in qualibet intellectione creata) se habens velut substantia operationis vitalis intelligendi, *quod nimirum intelligens, & intellectum pro vt ex eis est effectum vnum, quod quid est intellectum in actu, sunt vnum principium huius actus, scilicet intelligere,* & rursus id, quod se habet per accidens, nempe modum accipiendi speciem immediate à Deo in visione beata, in alijs vero intellectionibus connaturalibus intellectui, mediante intellectu agente & phantasmate, propterea pergit cum D. Thoma quæst. 8. de veritate ar. 6. in hæc verba: *vnde intellectus non se habet vt agens, vel vt patiens, nisi per accidens, in quantum scilicet ad hoc quod intelligibile vniatur intellectui, requiritur aliqua actio vel passio; actio quidem secundum quod intellectus agens facit species intelligibiles esse in actu, passio autem secundum quod intellectus possibilis recipit species intelligibiles &c.* His prælibatis distinctionibus, in singulari ad recitata Aureoli argumēta descēdit dicens: *patet ergo, quod prima duo argumenta Aureoli contra Conclus. non procedunt.*

Ad 3. dicitur quod visio beatifica in quantum est beatifica (id est quo ad modum præexplicatum ipsius proprium habendi speciem, de quo pro munere intellectus agebatur agentis ibidem) *à solo Deo est, & non ab intellectu agente vel possibili, sed nihil prohibet quin alio modo sit effectiuè ab intellectu possibili, vt superius dictum fuit. Ad confirmationem dicitur, quod ex dicto Philosophi habetur, quod felicitas sit à Deo specialiter coagente, sed per hoc non excluditur, quin felicitas sit operatio elicita à felici* (Audis?) *immo expressè Philosophus sentit oppositum 1. & 10. Ethicorum, vbi vult quod felicitas est operatio &c. & sic consequenter Beatus non se habet merè passiuè ad suum præmium loquendo de actu secundo, secus est de actu primo, quod est dos, & lumen gloriæ.* Hæc Capreolus, quibus clariora pronunciare non poterat pro auertenda à seipso calumnia nunc sibi affica ab isto, quod inde *visio vt Beatitudo à Deo solo efficienter causetur, & prout Beans formaliter hominem, quod vitale non sit*, vt colligebat obijciens. Ab isto, inquam, afficta, nam hæc alter nemo repetiet, vel in ipso Vasquez disp. illa 47. (quam referebat) vel in Suarez recitato ab eodem tractatu 2. lib. 2. vbi dumtaxat cap. 10. inter arguendum (non vero è mente sua) ex eadem responsione Capreoli ad 3. Aureoli referebat hæc verba: *quamuis illa visio vt est cognitio quædam fiat ab intellectu, tamen vt est visio beatifica fit a solo Deo præmiante, hæc enim est differentia inter meritum, & præmium, quod meritum est à merente, præmium vero recipitur ab immerente ab alio donante*, hæc apud Suarez fateor fidentem forsan alicui minus perito (confundenti verba tertij argumenti Aureoli cum solutione Capreoli) cum alioquin cuicunque legenti exploratum sit in solutione Capreoli recitata verba non legi, propterquod & ipse Suarez tandem post hæc citata inter arguendum, subijciens de mente sua assertionem suam, *Quod Beatus efficit per suum intellectum visionem Beatam*, inter Auctores pro eadem assertione concludit, *nec Capreolum aut Paludanum omnino contradicere*. Vides ergo quò tendat denique & biles ista in Capreolum, eo quod, vt loquebatur opponens, *vocatur anima D. Thomæ*, & apud Thomistas *tenet gradum Senatorium*. Ita est, sic bene est, Principis enim Thomistarum titulo insignitus est, ex quo Caietanũ ac Ferrariensem in melioribus, quæ adorarunt, non exigue profecisse in lectione eiusdem aliqui putauerunt, & cum quo etiam in Basiliensi Concilio Tostatus ille Abulensis laudatus tam ingenti carmine à Bellarmino, *hic stupor Mundi, qui scibile discutit omne*, cum quo, inquã, *Ioanne Capreolo Tolosano Ordinis S. Dominici doctissimo professore, & doctrinæ San. Thomæ egregio defensore idem Tostatus contulit*, vt Spondanus cum laude loquebatur ad annum 1443. num. 20. nec minus eundem laudant Bellarminus, Labæus, & alij, cæterisque antiquior Trithemius appellans *Dictorum S. Thomæ Aquinatis propugnatorem ac defensorem acerrimum*, & eiusdem libros *ingenij sui monimenta clarissima*.

Ad quartum de Ferrariensi circa generationem Vermis ex speciebus Eucharisticis putrefactis opinante nouam non subrogari materiam primam, sed quantitatem vicè materiæ adhuc permanere in constitutione Vermis cum forma substantiali eiusdem, fateor eum sub dubio saltem ita opinatum esse, & si communiorem aliam ex Capreolo explicationem adducat, nec reprobet, immo in fine concludat, *si quis autem velit tenere primam viam, scilicet ex Capreolo, possit dicere &c.* En dubitauit adhuc, nec plenè decreuit. Sed rursus peterem ab arguente, an inde præsumat hanc Ferrariensis sententiam falsam esse, an

vlterius

vlterius tanquam erroneam, vel alia theologica censura notandam. Si primū tantum, iam perperam illam inter *errores* hoc loco reponit, eique à simili diceret Augustinus lib. 3. Operis imperfecti in Iulianum cap. 53, *Vt non dicam mentiris, certè quod est sine iniuria tua, dixerim, nescis quid loquaris.* Si vero secundum, si nempe solus ipse contendat erroneam esse, vel theologica censura notandam, qua, rogo, in fidem repugnantia directa, aut indirecta censuram ipse probabit? egrediturne quaestio haec purae naturalis Philosophiae Phisicaeque limitibus, an in Verme (extraordinariè genito) forma substantialis ipsam quantitatem loco materiae primae informare queat? annon hic valet, quod de pure Philosophicis quaestionibus huiusmodi Augustinus aiebat libro 10. de Ciuitate Dei cap. 23, *liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt?* Equidem Doctores vidi hanc referentes sententiam, nec approbantes quidem, sed vidi neminem censurantem, inter quos Suarez tomo 3. ad 3. partem disp. 57. sec. 3. pro Ferrariensis explicatione indubitanter affert simul Henricum, Viguerium, & Ricardum, solumque ait *sibi videri falsam, & incredibilem*, pariterque Eminentissimus de Lugo nobilis inter recentiores Societatis disp. 10. de Sacramento Eucharistiae sect. 3. num. 30. eandem solummodo inquit *videri difficilem*, vti reipsa est, nec, me quidem iudice, vera. Quomodo ergo (concluderet vel ipse Hieronymus epist. 61.) *repertus est saeculis nostris haud grandis homunculus, qui de cunctis Ecclesiae quaestionibus vno linguae rotatu clarior Sole corruscaret? &c. An tu solus Ecclesia es, vt qui te offenderit, excludantur à Christo? tibi ne soli* (prosequitur epist. 75.) *tibi soli licet, scientissimum Caput, de cunctis tractatoribus ferre sententiam, & quasi Censoria Virgula alios eijcere de bibliothecis, alios recipere?*

Ad quintum de Dominico Soto, video ipsum in 4. sententiarum distinc. 19. quaest. 3. ar. 3. pro solutione non facilis obiectionis sibimet à se ipso propositae (cur peccatorum poenae in hac vita leui satis ieiuniorum, aut eleemosinarum satisfactione succurratur, in Purgatorio autem dirae adeo satisfactiones perdurent) primam hinc dare responsionem, quod satisfactio in hac vita est voluntaria, non ibi, hancque *legitimam* appellare, inde sub dubio dumtaxat, secundam adijcere solutionem, quae ab eiusdem accusatore refertur: *responsio forte est*, inquit Soto, *de decennio &c*, quo non obstante in eiusdem fine (relinquens tandem indeterminatum adhuc earundem poenarum tempus) in haec verba concludit: *in summa non est credibile, vt quos paenarum acumulatione expedire Deus breuius inde potuit, temporis prolixitate detineat*: Haec eius pia sententia est, non de suo cerebro poenarum termini Constitutio. Video rursus eundem Soto in lib. 10. de Iustitia, & iure quaest. 5. ar. 3. *vbi dubium maximum est*, inquit, *de religiosis, qui nondum maiores Ordines susceperunt*, an nimirum etiam extrà chorum horas canonicas pendere teneantur, & recitatis pro dubio argumentis, pro sua deinde assertione concludit, *Vim praecepti adesse vt nullus religiosorum, qui Choro dedicati sunt* (nota) *ab eiusmodi obligatione soluendi diuinum officium excipiatur. Et in confirmationem praesentis sententiae arguitur*, inquit, *nam vniuersi & singuli Monachorum Conuentus cuiusc unque spiritualis Ordinis, qui sub ratione solemnis voti* (nota iterum) *in Ecclesia sunt approbati, tenentur in communi diuinum officium celebrare, ergo quotquot eidem numero addicti sunt, quoties choro defuerint, tenentur etiam &c.* mox post probatum antecedens, subiungit: *loquor*, inquit, *de Religionibus*

gionibus antiquis; nam si alius religionis modus citra huiusmodi obligationem admittatur, certè vix nomen religionis meretur, quippe quæ maximo Religionis splendore caret: Hæc fateor habet, quæ postrema dumtaxat, vt reor, accusatori displicuerunt; sed tum anteriora recolere debuisset, in quibus de Religionibus *sub ratione solemnis Voti*, non simplicis, Authori sermo erat, tum rursus postremam ipsam assumptam à *splendore* allegoriam, vt Chorus nec quidem existat de Religionis substantia prædicabiliter (vt Scholæ loquuntur, & opponens accepit) eo modo quo anima vel rationalitas, aut animalitas de hominis substantia dicitur, sed de substantia Religionis asseratur prædicamentaliter tantum eo modo, quo digiti de substantia hominis sunt, idest eiusdem integritati ac perfectioni conueniunt, sicut & in lucido splendor. Quid quæso vel his dictis à Soto erroris adest, aut censor aliquis nisi indiscretus, aut austerus affinget? Porrò tertio loco, in quo Soto cum schola integra S. Thomæ tenet Episcopatum gradu quidem superiorem Præsbyteris esse, non superiorem vero distinctumvè Ordinem esse; huic, inquam, loco vendicando immorari me pudet, cum videam præter Lucarinum, & alios, egregie id præstitisse Ioannem à S. Thoma, disp. 2. de approbatione doctrinæ S. Thomæ ar. 3. propositio 9. per totam: Addo solum legendum omnino Hieronymum epist. 85, vbi totus ad minus pro Thomistarum sententia est, tum Cardinalem Pallauicinum libro 18. Historiæ Tridentini cap. 15. num. 14, vbi Salmeronem inducit coram integra Synodo pronunciantem, *Catholicos multos opinari Episcopatum non esse Ordinem Sacramentalem distinctum à Sacerdotio*, tum lib. 19. cap. 13. num. 4, vbi inter obseruationes in epist. Legatorum Concilij transmissa Romam, & hanc adfuisse recenset, *Vt Episcopi vocarentur superiores Presbyteris, quod auctoritatem importabat &c.* Non verò, inquit, Ordinis distinctionem, vt addit postea velut de suo extra scholam D. Thomæ Vasquez ad 3. p. indignanter expostulante ex aduerso altero scriptore eiusdem Societatis Azorio 2. p. Institutionum lib. 3. cap. 27. in eum, qui hanc Thomistarum sententiam vel cæcitatis, vel ignorantiæ censura notatit. Liber ergo est & à singulis erroribus Soto, quos excribrator hic noster in euolutos eiusdem libros de suo fursure conijciebat; neque rursus alteri illi Antonio Senensi potuisse videntur minus placere in libris Soto aliqua, nisi forsan ea, quæ Soto alicubi solita habet in Catharinum, non iniusta quidem in sui simul & Caietani defensionem, sed minus decora in sodalem (vt Antonius ille putauit) pro quo scilicet Catharino Senensi, Antonius idem Senensis & ipse, excusandus ex patria condolebat. De reliquo elogia Dominici Soto tam multa sunt, vt vel præcipua libare locus hic non compatiatur, aut tempus. In sæculo D. Thomam de Villanoua præceptorem habuit; præceptor ipse deinde primi e Societate Scriptoris, ac Cardinalis Francisci Toleti: In Complutensi Vniuersitate philosophicam Cathedram, in Salmantina theologicam moderatus est. Carolo V. Imperatori Confessarius, Tridentinæ Synodo Theologus adstitit: Ibidem ex commissione Concilij sacra sessionum illius temporis decreta latino, ac nitido sermone ordinauit, ibidemque conscriptos libros de natura, & gratia aduersus illius ætatis hæreticos Sacrosanctæ eidem Tridentinæ Synodo nuncupauit. Frequentissime disputauit ibidem, nec semel coram integra Synodo perorauit, adeout ob nauatam egregie operam in fidei tutamen obtinuerit stemma illud duarum ma-

nuum

nuum complicatarum hoc themate, *Fides quæ per charitatem operatur*, Communo rursus illius temporis adagium ferebatur (vt habet Altamura pag. 321.) *qui scit Sotum scit totum*, & præ cæteris celse laudantibus ipsum, magnus ille Couarruvias lib. 3. variarum cap. 13. appellauit eundem *vnicum ingenuarum artium columen, totius Hyspaniæ consensu cæteris studio, atque doctrina præstantem*: Hic Soto est, qui falso per istum notatis erroribus hic carpebatur, & infra iterum §. 95. ob eloquentiam (qua inter Scholasticos magnifice pollens vepres scholasticos emolliuit) liuore inuido deturpatus est.

Ad sextum demum de Caietano, & si commendatissimo inter Thomistas, nobilemque tenente inter scholasticos gradum, non adeo tamen morosi sumus, vt eidem, qui certe neque in Patrem Ecclesiæ, neque in sanctum Ecclesiæ Doctorem, neque in Principem scholasticorum approbatione electiua Apostolica approbatus fuit (vt de S. Thoma iam vidimus) non, inquam, adeo morosi sumus, vt huic eidem id tribuamus, quod nec singillatim alijs Ecclesiæ Patribus tribuendum esse didicimus ex Augustino Epistola 19. ad Hieronymum, (vt in sexto recitatur) *nempe solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didicimus hunc honorem deferre, vt nullum eorum authorem, scribendo aliquid errasse firma ratione credamus. Alios autem ita legimus, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putemus, quia ipsi ita scripserunt, sed quia nobis vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt*. Propterea etiam in editione Romana omnium operum D. Thomæ simul cum integris commentarijs eiusdem Caietani iussu B. Pij V. summi Pontificis ab initio curatores eiusdem editionis *se restituisse locos quamplurimos* admonebant præsertim *in commentarijs* Caietani, vt Lucarinus aduertit, *qui alias*, inquiunt, *aut inter imprimendum irrepserant, aut etiam impressi non fuerant, aut denique falsariorum hæreticorum perfidia prodigiose corrupti fuerant. Curauimus itaque vt quam emendatissime imprimerentur omnia, amotis etiam ex commentarijs eisdem, atque expunctis omnibus locis, iuxta nostri Ordinis sanctiones, qui post decreta Tridentinæ Synodi lectorem poterant detinere dubium*, (expende adhuc non aiunt certe erroris damnata sed dubia) *poterant*, inquiunt, *detinere dubium vel suspensum, quos videlicet vel ipse commentator viuens emendauerat, & si viueret emendasset, vel, vt diximus, falsariorum & impiorum perfidia temerauerat*: Hæc illi, in quibus (vt alter aiebat, apud Grauinam tomo 3. proscriptionum par. p. pag. 317.) non tam à nostro Eminentissimo Caietano excusandorum errorum calumnia depellitur, quam summi Pontificis è nostro Ordine assumpti sinceritas commendatur, *qui ita veritatem dilexit, vt & proprio filio suæ religionis parcere recusarit*. Verius tamen est, vt aiebant & illi, *falsariorum perfidia temerata* plerumque ea loca fuisse, quibus spongia necessaria fuit, atque si alia quæcumque experimenta deessent, sat esset hoc vnum (vt Ambrosius de Altamura obseruauit pagina 262) extare nimirum adhuc commentaria Caietani edita cum S. Thoma in 2. 2. ad annum 1567 Antuerpiæ per viduam & hæredes Ioannis Stelphis, in quibus ad q. 122. ar. 4. post ea Caietani verba, *deferre Crucem*, velut eiusdem Caietani verba, (qui totus fuit in impugnanda hæresi Lutheranorum) hæc putidissima eorundem Lutheranorum verba intrusa leguntur (*sed hæc sunt pars mali cultus*) & post illas sequentes mox Caietani voces, *ad Missam & ad Vesperas*, eorundem Lutheranorum adijciuntur hæc alia (*Et hæc etiam dubio pro-*

cul

cul sunt omnino impia & illicita. Quis hæc monstra non percipit, non discernit? Tria tamen non diffitemur olim in Caietano fuisse, quæ minus cæteris placuerunt, alterum quidem (vt refert Franciscus Felix) in commentarijs ad 3. p. q. 68. ar. 2. de infantibus in vtero (in euentu mortis imminentis sine Baptismo) benedicendis in nomine Trinitatis, alterum in opusculis de Sacerdote habente conscientiam peccati lethalis, cui putat licere accedere ad celebrandum cum solo contritionis actu sine Confessione Sacramentali præmissa; tertium & postremum in præfatione ad Genesim, quod liceat interpretari scripturas diuerso modo, ac Patres in alicuius loci interpretatione conuenerunt. Tria hæc fateor in Caietano fuisse, sed ne ex affectu in eundem nos respondere crimineris, placet hic potius pro Caietano vindicias exscribere ex Pallauicino simul doctrina, ac purpura Eminentissimo, in opere ipso (quod maxima fide laudeque præstat) historiæ Tridentini Concilij. Et quidem de primo in lib. 9. historiæ cap. 8. ex descriptis eiusdem Caietani verbis haberi inquit, *Eum trepidantur & sub correctione melioris iudicij locutum esse*, & rursus addit Seripandum, qui tunc inter primarios Concilij Theologos aderat, & mox inter Cardinales Legatos in eodem Concilio adscriptus fuit, hunc, inquam, *Seripandũ ad praseruandam hanc opinionem à censuris, rationes aliquas attulisse in Concilio*, quas simul tres numero recitat, *Itaque*, subdit, *non fuit iudicatum necesse illum articulum condemnare &c. etiam si postea Dominicus Soto, licet eiusdem ordinis cum Caietano, eum postea reprehenderit, & Pius V. Pontifex schola egressus eadem expungi voluerit ex commentarijs illius venerandi Theologi*: Hucusque Pallauicinus, adiungens vix à Caietano diffidentem Gersonem, & fere D. Bonauenturam cum alio Episcopo consensisse, licet ipse Pallauicinus refellat adminus, vt falsam omnino (vt & nos facimus omnes) hanc opinionem, præter alia, quæ addit in excusatione Caietani Thomas Campanella in libro de Prædestinatione cap. 12. ar. 1. laudatus in eadem re à Bail Parisiensi tomo 2. summæ Conciliorum pagina 803. Ad secundum quod attinet, in Caietano reprehensum, meritoque in hoc sensu expunctum è quibusdam extraneorum thesibus per Inquisitorem Parmensem ad annum 1649, vt referebat Authot Diatribarum supra §. 10, de hoc, inquam, idem Pallauicinus lib. 12. cap. 2. num. 6. describit *circa hanc partem* Concilij Theologos in tres classes fuisse diuisos: *Quidam*, inquit, *eam reliquerunt sub dubio, quia aiebant aliqui confessionem non esse necessariam ad digne recipiendam Eucharistiam, vbi adesset conscientia peccati lethalis, sed sufficere contritionem cum voto suo tempore confitendi, & propterea hanc partem non debere damnari. Alij dicebant confessionem absolute necessariam esse, & ideo hanc partem anathemate plectendam. Tertij aiebant damnabilem esse tanquam erroneam & scandalosam &c.* & inter primo loco relatos enarrat adfuisse etiam nostrum *Melchiorem Canum profitentem pro ea doctrina prater Caietanum etiam Adrianum VI. Cardinalem Roffensem ar. 15. in Lutherum, Ricardum in 4. sententiarum dist. 17, Abbatem Panormitanum in cap. de ordine titulo de celebratione Missarum &c. nihilominus Canum professum esse se eidem opinioni non adhærere*, ob potiora motiua, quæ ab eodem Cano eruditissime producebantur; præter Franciscum Villaruam Ordinis D. Hieronymi, quem pro Caietani sententia stetisse idem Pallauicinus adiungit, post quę *& post communicatas Theologorum sententias eiusdem Concilij Patribus*, subdit Pallauicinus, *in subsequenti generali Congregatione sub die 21 ante omnia Legatum, vt*

sua

sua conscientiæ satisfaceret, quemdam præmonuisse, & inter hæc, *circa 10. articulum an Confessio necessaria foret ante Communionem, existentibus scriptoribus multis, & grauissimus pro alterutra sententia sibi videri expediens propositionem præcise reijcere, & decerni quemlibet ante communionem teneri omnino confiteri, quia contrarium esset valde periculosum, ideoque tanquam dictum scandalosum damnari*. Inde postea incipiens Cardinalis Tridentinus prolata sententia sua circa alios articulos, vt loquitur Pallauicinus, *Quo ad decimum, quatenus respiciebat confessionem Communioni præmittendam, in consilio fuit, vt hæc verba adderentur (habito commodo Confessarij) aut (adminus in voto) fere in eisdem sensibus locuti sunt duo Electores &c. In eodem articulo 10. quatenus spectabat ad obligationem confitendi ante communionem, magna fuit sententiarum diuersitas inter Patres, vti fuerat inter Theologos. Sed maior pars consensit Confessionem necessariam esse ante communionem, ita tamen vt sententia contraria non susciperet notam hæresis*: Et sic tandem Canonem formatum fuisse & cum approbatione vulgatum (vt nunc legitur sess. 13. num. 11.) Pallauicinus eodem loco concludit, vt videas, quam cōdonanda Caietano tunc fuerit scribenti ante Concilium, illius eiusdem sententiæ falsitas, in quam sententiam tot alij vel ante Synodum, vel inter dubitantes ad minus eiusdem Concilij Patres siue Theologos propēdere saltem relati sunt, nullaquè alia maiori theologica censura notatam vel Synodus ipsa reiecit (vt & nos sine dubio reijcimus) simulque interdixit ne assereretur seu traderetur, atque in hæc verba conclusit: *Si quis contrarium docere prædicare, vel pertinaciter asserere seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Nec minus tandem de tertio eoque præcipuo in Caietanum obiecto idem Pallauicinus occurrit lib. 6. eiusdem historiæ Tridentini cap. 18. num. 2. dicens: *Assero ego in primis Caietanum, etiam à suorum aliquo de hoc ipso placito reprehensum*, (nimirum à Cano lib. 7. cap. 3. & 4.) *nunquam pronunciasse sensum contrarium ei, quod in hac parte à Concilio Tridentino statutum fuit*, etiamsi Petrus Suauius idipsum opponeret Caietano; probat vero hoc suum assertum Pallauicinus his verbis: *Quia*, inquit, [Concilium prohibet interpretationem in scripturam adhiberi contrariam ei modo, quo eam vnanimiter Patres intellexerunt, idque in materijs fidei aut morum: Porro Caietanus (vtcumque eum Canus intelligat) nec de hoc loquitur, nec licere declarat vnquam contraire sensui vnanimi S.S. Patrū, sed bene licere in scripturam expositionem aliquam adhibere omnino nouam & ab alijs eorundem distinctam: Quandoquidem sicut ipsi inter se discordes fuere in explicatione illius loci, vnde quælibet eorum expositio in particulari dubia remanet, ita, vt mihi videtur, Caietano visum est posse omnes coniunctim remanere dubias, alteramque adesse, quæ illis non occurrerit, iuxta præmonstratam distinctionem allatam à Naclante in Concilio, neque his amplius exigit Caietani probatio per Suauium adducta.] Sic latine tantum verbo ad verbum reddito ingenue Pallauicinus hucusq; ingenue, inquam, quia re ipsa Caietanus, & si nouam sibi ante Tridentinum, per conductos quosdam doctos Hebræos procurauisset editionem, adhuc in cap. 3. Lucæ nihil inde contra vulgatam admittendum esse agnoscebat dicens, *Consentaneum rationi esse, vt potius noui textus hebrai manci, & corrupti sint, quam vt septuaginta interpretes viri boni & insignes studuerint commento & mendacio fingendo*, vt etiam Cano alioquin reprehensor eiusdem in re mox ante relata quo ad hanc rem ex eodem Caietano

no referebat lib. 2. locorum cap. 13. Obiter autem inde dignosces simul, quid de alia in Caietanum accusatione dicendum sit, scilicet de intellecta formatione mulieris ex costa Adæ symbolice tantum. Vti enim certum est hanc in hoc solo sensu symbolico interpretationem cum exclusione sensus litteralis sine dubio erroneam esse (vt probauerunt & nostri, præcipue Sixtus Senensis lib. 5. annotatione 46. Bannes ad 1. p. qu. 92. art. 3. dub. 1. per totum & alij) huiusque erroris authores primos certum similiter est fuisse Plotinum, Ammonium, & Origenem (vt refert Cœlius Rhodiginus lib. 1. cap. 45. & lib. 11. cap. 47) & Honorium quendam Presbyterum libro de Philosophia Mundi cap. 23. (vt notat Bannes ibidem) Ita non vtique certum est hanc imputatam eidem Caietano sententiam in eodem hoc erroneo sensu à Caietano intellectã esse, vt merito cæpit id admonere sapientissimus Wielmius Episcopus Argolicensis vnus ex Patribus Tridentini Concilij lect. 2. in Genesim pag. 18, & melius alibi, *suo loco videbimus*, inquit, *si Deus voluerit, & constat*, mox infra addit, *de illo sensu Caietani Ecclesiam dilucide nunquam pronunciasse, ad quam solam, nõ vero ad Alphonsum, & Prateolum, pertinet sententiam dicere.* Equidem fateor aliud esse, ita symbolice tãtum velle locum aliquem scripturæ intelligere, vt omnis omnino ab eodem loco sensus litteralis excludatur, vti prædicti ante Caietanum errantes exponere præsumpserunt, aliud vero est dicere aliquem locum particularem Scripturæ vix posse ita præcise in sensu litterali explicari, quin necessarius recursus sit simul ad sensum symbolicum, quemadmodum de maledictione inflicta serpenti Genesis 3. nunc plerique conueniunt cum Augustino lib. 11. supra Genesim ad litteram cap. 36. Ruberto lib. 2. de Victoria verbi Dei cap. 15, Gregorio lib. 3. pastoralis, Beda in Genesim & S. Thoma 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4. & alijs, & Caietanus apposite hoc eodem exemplo pro sua explicatione vtebatur, vnde eodem modo dumtaxat non immerito reputatur intendisse, quod de interpretatione symbolica singularis illius textus circa formationem Euæ dicebat, nec derelinquens litteralem sensum vt falsum, sed eligens potius præ illo symbolicum vt faciliorem, & contra illum argumenta producens, non ad excludendum illum absolute, sed ad ostendendum de se à symbolico separatum nimis difficilem esse, non vero adhuc penitus falsum esse. Neque desunt in hanc bonam Caietani mentem & opportunissima eiusdem verba, tum quia manifeste inquiebat, *Cogor ex ipso textu et contextu intelligere etc.* en difficultatem explicationis potius quam falsitatem omissæ interpretationis litteralis; tum quia iam absolute veritatem sensus litteralis eiusdem loci Scripturæ in particulari, ne dum permiserat ad primam p. q. 92. art. 2. & 3. cum San. Thoma, verum etiam commentario eodem in Genesim aperte hæc verba habet, *Studuit Moyses explicare necessitatem, & rationem faciendi mulierem &c. descripsit autem necessitatem, non solum proprietate verborum (quia non est bonum virum esse solum) sed etiam metaphora inquisitionis inter animalia, & similiter rationem (quia de viro sumpta est.* (Nota hæc verba Caietani.) *Hoc enim verum est proprietate verborum &c.* en sensum simul litteralem admissum, dummodo pro faciliori saltem explicatione eiusdem cum symbolico coniungatur; tum quia hinc sæpissimè repetit, & animaduertit hanc interpretationem symbolicam, non aduersari litterali, dum interim dicit, *non aduersatur igitur sensus iste sobrio Sacræ Scripturæ sensui*, modo infra subdit, *Sunt autem sensus isti metaphorici non solum sobrij*

brij secundum Sacram Scripturam, sed non parum vtiles Christianae fidei professioni praecipue coram sapientibus mundi huius, qui sic non horrent haec de costa Adam & serpente tanquam fabellas, sed venerantur mysteria, & facilius (nota) facilius ea, quae sunt fidei, complectuntur. Neque hinc (pergit & explicat non ita vniuersim de alijs Scripturae locis, aut textibus, sed de aliquo tantum, vt de maledictione serpentis & huiusmodi praenotarunt Patres, hanc necessitatem non separandi litteralem à metaphorico sensu accipiendam esse) *neque hinc*, inquit, *datur ansa interpretandi reliqua metaphoricè, quoniam, non alia, sed haec habent ex ipsomet contextu testimonia, vt metaphoricè intelligantur.* Sic itaque voluit, non quidem excludere sensum litteralem adhuc istius loci particularis vt falsum, sed vt minus facilem, ideoque inseparabiliter voluit cum metaphorico sensu connectendum esse, eo fermè modo, quo D. Chrysostomus homil. 15. ad illa eadem verba Genesis, *& accepit vnam costarum illius*, aiebat: *Ne humano more accipias, quae dicuntur, sed crassa verba haec humanae imbecillitati conuenire cogites, nam nisi his verbis scriptura fuisset vsa, quomodo tam arcana mysteria discere potuissemus?* seu eo modo etiam, quo D. Augustinus lib. 6. in Iulianum operis imperfecti cap. 39. inquit, *Nonnulli diuinorum eloquiorum etiam Catholici tractatores paradisum spiritualem commendare maluerunt, non tamen historiae resistentes, quae ostendit euidentius corporalem*, & sic idem Augustinus ipse lib. 8. super Genesim ad litteram cap. 2. se consimilem alioquin difficilem aliquem Genesis textum explicuisse dicebat, *Quia non mihi*, inquit, *tunc occurrebant omnia quemadmodum propriè possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse, aut difficile, ne retardarer, quid figuratè significarent ea, quae ad litteram non potui inuenire, quanta valui breuitate, vel perspicuitate explicaui, ne quidam &c. deterriti in manus ea sumere non curarent:* Haec Augustinus, quae Caietanus forsan pro se ipso repeteret. Ex his igitur omnibus luce clarius habemus, ne dum quam iniustè scriptor Scholae nostrae aduersus Alphonsus de Castro (à quo Prateolus postea, ab eodem idem exscribens, deceptus fuit) Caietano locum pro suo arbitratu inter haereticos impertitus sit (vt corripit idem Pallauicinus cap. 17. eiusdem lib. 6.) verum etiam quam meritò haec eadem dehonestatio tam *venerandi Theologi* (vt idem Pallauicinus appellabat) simulque Purpurati de tota Ecclesia tam benemeriti iussa sit reprobari, & expungi, in Appendice prima ad indicem librorum expurgandorum Bernardi de Sandual Cardinalis Archiepiscopi Toletani, vt etiam Altamura recenset. Hinc simul habetur, quam immeritò ille Ambrosius Catharinus (qui exiuit è nobis, sed fermè non erat ex nostris, vt loquitur Ioannes à S. Thoma, eidemque Sotus in Apologia pro Caietano respondit) quam immeritò, inquam, hic Catharinus, ex quo Echius exscripsit, eiusdem Caietani libros erroribus deturpare conatus sit, quemadmodum etiam in eundem Sotum, in Sauonarolam, in Baldum & alios inuectiuas mordaces idem Catharinus evulgauit, tamquam *nouus adhuc in Ordine* (vt cum Tacito lib. 2. Historiae dicamus) *& in Senatum nuper adscitus magnis aemulationibus inclaresceret.* Sed de Caietano prae caeteris tandem & ipse resipiscens indoluit, & sicut habet Plodius p. 2. lib. 4. & Altamura pag. 303, *cum cogitaret se contra Fratres suos insurrexisse, in lacrymas prorumpebat, praecipuè in Coenobio Mineruae &c.* Et meritò quidem de Caietano praesertim, si post depulsos ab eodem errores, ampliora adhuc haec eiusdem libata saltem Elogia perpenderis. Hic enim idem

ipse est, qui vigesimum secundum attingens annum Ferrariæ coram Duce Estensi, cum Pico Mirandulano in disputatione congressus, victor adeo gloriosus euasit, vt sine exemplo tam iuuenis Sacræ Theologiæ Magister appellatus sit. In Patauina, Papiensi, ac Romana Vniuersitate Cathedras (præter alias in Ordine Mediolani, ac Brixiæ, & alibi) cum vniuersali litterarij Orbis applausu moderatus est; ætatis annorum triginta procurator Ordinis, quadraginta vero Magister Generalis Ordinis renunciatus fuit, moxque à Leone X. Purpuratis adscriptus, Legatus ad Imperatorem, & Regem Daciæ transmissus, pro ineundo fœdere aduersus Turcas, vt ex Consistorij actis ad annum 1518. die 26. Aprilis habetur, ac repetit Pallauicinus lib. 1. cap. 7. num. 2. mox eidem demandata prægrandis illa Lutheri causa, strenuèque ab eodem in Germaniæ partibus pertractata, vt enarrat, defendit, ac laudat idem Pallauicinus eodem lib. 1. cap. 9. per integrum, & cap. 11. numero 1, 2. & 9, & cap. 12. num. 6. & sequentibus, & cap. 20. num. 1. & alibi; vt hic non vacet, neque necesse sit encomia iterum in eundem exscribere, dum & Vghellus in Leone X. vocat, *Caietanum ingeniorum extremam lineam, Doctorum Virorum miraculum, terrorem hereticæ prauitatis, sacrarum scripturarum lumen ac facem, Scholastici pulueris athletam, inuictum Thomisticæ doctrinæ galeatum defensorem, Cathedræ demum splendorem, ac decus, cuius adeo immortalia scripta sunt, vt tam diù videantur perennatura, quamdiu diuinam sapientiam scholastica subsellia personabunt*: Hæc ille, non noster, nec sanè minora his Posseuinus etiam è Societate subiungit in apparatu fol. 314. mox nuncupans, *Theologum incomparabilem*, mox inter alia recensens, ægrotante ad mortem Clemente VII, *Caietanum quoque Cardinalem grauissimè ægrotare cœpisse* (in qua etiam defunctus est) *quasi se imminenti Pontificatus oneri surripere vellet, ad quod communi omnium expectatione, votisque vocabatur*, sicut & antea idem Clemens VII in Borbonica Vrbis direptione persentiens multos Cardinales exagitatos esse, anxius de Caietani salute, quærebat, *Saluum ne est Ecclesiæ lumen?* vt Oldouinus è Societate in eiusdem Vita describit, præter alias eiusdem Caietani laudes in eruditissimo Onuphrio Pāuino Augustiniano, in Bellarmino, Labbæo, ac cæteris, qui nostri non sunt, non inutiliter consulendas, dum interim nobis ista pro nostro in eundem obsequio ab incunte Schola, & si non breuia, nec inutilia tamen (pro loco, ac tempore) cuicunque extraneo, vel nostro etiam professori sufficient.

ARTICVLVS II.

An iustè insimulentur erroris Reliqui posteriores Dominicani Scriptores, Bannez scilicet cum Ioanne Vincentio, Petrus à Soto, Canus, Sixtus Senensis Ricardius, aut Campanella.

VIdetur sic esse eidem Petro Valclusino in hac eadem Diatriba 4. in hæc tandem obiectionum capita desinente. Primo de Bannes, quem acrius cæteris velut infensiorem suis exagitare visus est, tum quia, inquit, in primis Bannez negat reuiuiscentiam meritorum, tum quia secundo meritum essentiale soli Charitati tribuit, tum quia tertio de correctione fraterna post Sedis Apostolicæ constitutionem dixit, quæ spongia indigent, tum quia quarto censet Calumniatorem posse præueniri ab eo, qui inde sibi timet, hocque in Ban-

Digitized by Google

nez intactum relictum est, cum tamen in Francisco Amico proscriptum fuerit, tum quia quinto (vt supra §. 11. referebat) tenuit & retinuit Bannez pro opinione probabili post transubstantiationem in accidentibus Eucharisticis remanere adhuc aliquid substantiale, scilicet existentiam substantialem Panis, & Vini; tum quia tandem, (& hoc capitale est) hic simul Bannez, ac Sodalis eiusdem Ioannes Vincentius *adeò inebriati sunt amore gratiae*, vt ille quidem Vincentius dixerit gratiam sanctificantem non esse qualitatem creatam, sed continentem participationem diuini esse secundum eam rationem, qua est ipsum esse per essentiam &c. iste vero pro gratia actuali nimis extollenda collocarit libertatem nostram in obiectiua indifferentia, quo nil optatiùs Caluinistis accidere poterat, & rursus praedefinitiones mouentes, ac praedeterminantes diuinas ineluctabiles creatae voluntati velut ex fide sibi colligere visus est, ideoque in Molinae librum exarsit, sed frustra eo vel quo ad apicem inuiolato manente, vt fusius repetitur infrà §. 113. & 140. Neutiquam igitur negati potest in horum Dominicanorum libris superabbundè non paucos errores adesse.

Secundò, de Petro à Soto, nam idem ipse Lect. 11. de Confess. censuit Sacramentum Poenitentiae, in necessitate, posse consummari per litteras, fuitque sententia haec olim inter Dominicanos valde recepta, nempe Paludani, Antonini, Siluestri, Tabienae, & aliorum apud Facundez in secundum Ecclesiae praeceptum lib. 2. cap. 10. & tamen à Clemente VIII. damnata est.

Tertiò de Cano, (omisso de Stephano, de quo supra) hic idem Canus negat matrimonia, solis nutibus contracta, esse sacramenta, lib. 8. de locis cap. 5, rursus verum sacramenti matrimonij ministrum esse Parochum affirmat Canus (quem sequitur Combefisius) ex quo habetur matrimonia absque Parocho Clandestinè contracta (in illis locis, in quibus Decretum Tridentini Cōcilij ea cassans matrimonia promulgatum non est) inualida esse, cum desit verus matrimonij minister: & tamen hoc ab eodem Concilio intorto anathemate confoditur. Postremo idem Canus lib. 12. de locis cap. 14. Christi voluntatem tempore Passionis caruisse gaudio beatifico consequente visionem, asseruit de more licenter, & tamen eodem iure fingi posset Christum eo tempore caruisse visione Beata, vt Luthero visum est, ideoque & istud Cani placitum vrgent Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 38. sec. 5, Vasquez 3. p. disp. 73. & alij. Non iniustè igitur mordetur Canus, qui mordere caeteros vel ipso agnomine reputatur.

Quartò de Sixto Senensi, & hic Origenis adorator lib. 4. verbo Origenes, diuersorum Conciliorum anathemata, quibus Origenes contritus est, adscribit ignorantiae eorum, qui non aduertunt ea, quae in scriptis eius damnanda videbantur, fuisse ab haereticis deprauatoribus infarta, ipso Origene innoxio. Rursus lib. 1. eiusdem Operis sect. 2. V. Ester, post Concilij Tridentini definitionem, negat integrum librum Esther esse canonicum, truncans illum sex capitulis; & demum Eusebium Caesariensem Arianorum signiferum habet pro Sancto, vt supra etiam Dominicano Martyrologio (de quo supra respondimus) idipsum opponebatur.

Quintò de Nicolao Ricardio, qui *Monstrum*, ne dum corporis, sed doctrinae agnomine vocabatur, in formula Litaneutica scripsit idem esse dicere, *Chri-*

ste audi nos, iuxta ac dicere *Sancta Maria audi nos*, & loci illius Actorum, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, sensum esse voluit, *Visum est Mariæ Deiparæ, & nobis*. Item B. Virginem appellauit *Deum creatum, Deum mediterraneum, Deum dimidiatum, quasi quartam personam &c.* & tandem asseruit quoslibet actus meritorios Deiparæ nedum coniunctim omnes, sed separatim singulos æquasse aut etiam dignitate superasse Sanctorum omnium hominum simul & Angelorum copulatim sumptorum merita, quasi quæ de quocunque Christi actu verissimè dicuntur, ob infinitum valorem à persona Verbi refusum, sint extendenda ad quemcunque actum Deiparæ. Hæc igitur sunt huius *Monstri* prodigiosa, ac monstruosa asserta, vix per Hyperboles, quantumcunque exaggeraras excusabilia.

Sextò, tandem de Thoma Campanella, qui tametsi, inquit, visus sit per aliquod tempus Cymbalum Mundi, tamen reuera fuit ignorantissimus, ita vt ne ipsos quidem terminos siue Philosophicos, siue Theologicos intelligeret, hic, inquam, sententias inuehit non modò à S.Thoma, sed etiam à sensu cuiusvis sani hominis adeo abbhorrentes, vt desipere potius videatur, quam disserere: hæreses crassæ in eius libris tam multæ, & tam inexcusabiles occurrunt, vt mirum sit adeo pinguem Scriptorem superioribus annis inuenire potuisse laudatores. Verum, inquit obijciens, sicut apud Dominicanos modo non benè audiunt Durandus, aut Catharinus, qui maluerunt segreges esse, eisque Cenotaphium statuerunt ritu Pythagoreorum, *In Magistri desertores*, ita creditur quod Campanellam eiurabunt tãquam segregem &c. dum interim claudit ipse *se ex alijs* antea recitaris, *quos Dominicani prosuis in doctrinæ insignatibus habent, paucular è multis gemmulas subelegisse, ideòque liquere Dominicanorum libros non esse adeo solidæ doctrinæ, quin possint cum siligine latere furfures, cui sit opportunum incerniculum*.

In oppositum tamen est, quod si à verisimilibus concludere quandoque licet, longe verisimilius est ab illius Scholæ scriptoribus (magis quã alterius) errores abesse, in qua ne dum Scholæ Princeps *sine vllo prorsus errore conscripsit*, verum & suis asseclis obsequentissime sibi adhærentibus, præter relicta iam adeò approbatæ suæ monumenta doctrinæ, opem etiam, quam inter Diuos receptus plurimam præstare potest, impendit, ne à sua sana doctrina deficiãt. Sed huiusmodi profectò esse Dominicanorum Scholam præ cæteris compertum est, vti opportunè præscriptis eisdem verbis nuper Gonet Canone 1. de laudibus S. Thomæ obseruabat, subinferens vltro cum Vincẽtio Baronio hinc factum esse, *quod plures ab alijs, qui in Scholis audiuntur, eiusdem instituti, quam ex Prædicatoria Familia à D. Thoma, eiusve approbata doctrina defecerint*. Longe igitur verisimilius est ab huius Scholæ scriptoribus (magis quam alterius) errores abesse.

Respondeo immerito carpi velut peculiare erronea opinandi vitium in illius Ordinis Dominicani Scriptoribus, cuius Ordinis immo peculiaris ex aduerso dos semper fuit pro virili saltem eisdem erroribus aduersari. Sic enim ab ineunte Ordine Honorius III. in Bulla Confirmationis eiusdem instituti, dum alloqueretur Patriarcham Dominicũ, velut prophetico spiritu testabatur, hæc scribens: *nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera Mundi lumina, confirmamus &c.* Sic Innocentius IV. vigesimo circiter post il-

luma

lum anno in data apud Lateranum 9. Kalendas Aprilis Pontificatus sui anno I. recognoscebat id ipsum dicens: *Patri luminum praestamus obsequium, & sui nominis procuramus augmentum, cum vobis, & Fratribus vestris, quos in lucem gentium ipse tribuit, ita reddimur in benigno fauore propitij.* Sic Clemens VI. centesimo fermè post Innocentium anno in data Auenioni Idus Februarij Pontificatus anno II. repetebat: *eiusdem Ordinis Professorum fructuosa studia, mentes fidem Orthodoxam profitentium fragiles, lumine virtutis illustrant, & spinas punctionis lethiferae horto subcrescentes Dominico nouacula labiorum succidunt.* Sic tandem, (vt alios innumeros, aut intercurrentes, aut subsequentes, Pontifices huic Dominicanorum studio accinentes omittam) Eugenius IV. centesimo ferme iterum post Clementem anno in data pridie idus Augusti Pontificatus anno IX. hanc ipsam velut peculiarem Ordinis dotem agnoscebat, eidemque affirmabat dicens: *Praedicatorum Ordo inter alia plantaria Dominica &c. tam contra profligandas haereses, quam contra pestes mortiferas Criminum aliorum extirpandas, Doctrinae Magisterio, & euangelizatione verbi Dei dignoscitur specialiter institutus.* Euge igitur, *dictum est* (repeteret hic sua verba Augustinus lib. 2. in Iulianum) *immo ipse dixisti, quod omnes iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos esse deceret &c. En ad hanc causam hi tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullus nobiscum aut vobiscum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt &c. Causa igitur finita est.* Sed vlterius adhuc (vt confirmetur haec veritas) de laudata reipsa post Pontificum laudes videamus. Quaesitorum fidei munus aduersus errores quoscunque (qui exoriri queant) institutum esse, cum nostro Ordine inchoatum, ac velut haereditario iure in eodem praecipuè Ordine conseruatum, negabit nemo, qui nouerit *hanc Inquisitionis Oeconomiam*, vt loquitur ipse Sebastianus Salelles nobilis è Societate Scriptor volumine 1. prologo 3. numero 9. *hanc*, inquam, *Inquisitionis Oeconomiam à S. Dominico ipso primo Inquisitore quasi haereditatem Filijs suis Religiosis sui Ordinis relictam esse, qua exactissime, & gloriosissime semper functi sunt & vsque in hanc diem in multis* (immo plerisque) *Italiae locis funguntur, neque vnquam laboribus, ac vigilijs, immo nec effusioni sanguinis, & propriae vitae pro fide ac religione tuenda ac pro Officio Sanctae Inquisitionis exequendo pepercerũt. Varia in probationem huius veritatis exempla adducit Paramus, nobis sufficit attigisse &c.* hactenus ille, exempla prosequens, inter quae (vt temporis ordinem magis seruemus, quam dignitatis) anno 1233. sub Gregorio IX. Frater Ioannes Hunquetus Inquisitor Pannoniae ab haereticis lapidatur, teste Leandro Alberto lib. 2. fol. 59. Anno 1242. Pater de Planedis veneno extinguitur, vt Diagus habet lib. 1. cap. 4. Prope idem tempus iussu Comitis Tolosani haeretici sex Fratres in odium erectae ibidem Inquisitionis fidei decollantur, testante eodem Leandro ibidem. Anno 1252. D. Petrus Martyr Veronensis ob triumphatos Manichaeos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Pelaginos, Iosephinos, Arnaldistas, Speronistas, aliosque eiusdem farinae nebulones, Martyrij laurea coronatur, Sanctorumque Martyrum Ordini anno immediatè sequenti per Innocentium IV. adscribitur. Anno 1261. Franciscus Tolosanus Inquisitor ab haereticis spinis capite redimitus, sagittis transfigitur, referente Plodio par. 1. lib. 2. Anno 1277. Petrus Cadiletta in Cathalaunia Inquisitor lapidatus est, laudante Diago lib. 1. cap. 5. Eodem anno Paganus de

Lugo

Lugo Inquisitor Comensis ab hæreticis lancea præfocatus occumbit, vt Castillus refert p. 1. lib. 2. cap. 12. Et tamen (vt subsequentia exempla per quatuor sequentia sæcula pertranseamus) hic nobis aptatis Tertulliani verbis in apologetico cap. 45, *plures efficimur, dum metimur, semen est Sanguis Christianorum*, fideique præsertim Inquisitorum, qui ad extirpandos errores quoscunque intrepido zelo, vigilique constantia instituti sunt. Hinc excreuerunt in eodem munere Dominicani in omnem omnino Christiani Orbis partem regionemque diffusi. Forsan hic de Hyspania quæres? Ibi Sacræ Inquisitionis tribunal erexit D. Raymundus noster sub Gregorio IX, & Iacobo Rege, eoque munere egregiè perfuncti sunt (vt celebriores ad minus non taceamus) in Regno Aragonia F. F. Petrus Tonenes, Petrus Cadrieta, Ioannes Lorgerius, Arnaldus Burguetus, & Gulielmus à Costa; in Regno Castellæ (ante Ferdinandum, & Isabellam) F. F. Vincentius Vlysiponensis, Ioannes de S. Giusta cum alijs, in Bethica, & Hyspalensi Ciuitate F. F. Michael de Morillo, Ioannes de S. Martino, & alij, in Lusitania Pater F. Emmanuel à Vega, & vniuersim in Hispaniæ Regnis Inquisitores Generales fuere F. F. Nicolaus Roselius, Thomas de Turrecremata, Didacus Deza, Garsias, Loyza, Ludouicus Aliaga, Antonius à Sotomaior, & alij, vt partim ex Ioanne Lopez 4. p. cap. 10, partim ex Paramo lib. 2. & ex Fernandez habetur. Forsan de Gallia inquiris? Tolosæ instituti ad hoc munus sub Gregorio IX. F. F. Lambertus, & Petrus Syllanus, deinde Gulielmus Amalte, & Pontius de S. Ægidio, & alij. In Ciuitate Parisiensi F. F. Gulielmus Parisiensis, & Matthæus Ori cum cæteris. In Prouincia Rhemensi F. Petrus Floreus, in Delphinatu F. Petrus Ruffiensis ac plures. Iterum de Germania requiris? celebriores ad ipsum ibidem fuere sub Friderico II. F. Conradus Maspuriensis, sub Innocentio F. Enricus Institoris Inquisitor Saxoniæ, sub Leone X. F. Ioannes Tetselius, qui primus Luthero reluctatus est; in Colonia, & Rheno F. F. Iacobus Espenger, Cosmas Morelles, & Ioannes Philippus Frit, in Archiducatu Austriæ, inter alios à Trithemio laudatos, F. Antonius Grosupto, qui Concilio Tridentino interfuit, in Boemia F. Ioannes Schemphalt, in Olandia (antequam hæresis oriretur) atque in Zelandia F. Ioannes Omach, vti in præcitatis Auctoribus legi potest. Quot in Polonia Inquisitores Dominicanos enumerat Bzouius in Historia Prouinciæ Poloniæ? quot in Dalmatia, Bosina, Croatia, & Ragusio recognoscit Lopez vsque à tempore Ioannis XXII. laudantis eosdem, vt refert Gonzaga in Historia Seraphica pag. 438? Quot in Prouincijs, & Regnis Armenorum, Georgianorum, Græcorum, ac Tartarorum, Paramus, ac Fernandez adfuisse demonstrant? In Italia porro diutiùs pro re comperta immorari neque nunc possumus, nec indigemus, cum præter illas quamplurimas Quæsitorum Sedes, quas nostri obtinent, alterius adhuc in Etruria seruetur Florentiæ vexillum à D. Petro Martyre ibidem Inquisitore relictum, in Sicilia nostros ibidem Inquisitores collaudet Ioan: XXII. in Ext. quæ incipit *cum Matthæus &c.* necnon priuilegium Alphonsi Regis ad annum 1451, & demum de Regno Neapolitano habeatur ex Maluenda in Annalibus ad annum 1251, Castillo p. p. lib. 3. cap. 33. Leandro, & alijs, quos ad hanc rem eruditè noster Grauina congessit, de Sacro deposito cap. 22. §. 1. per totum. Sed longè numero ampliores exhibet in singulis præmemoratis Prouincijs in *Dominicanis monumentis* de recenti, Fontana legen-

legendus omnino. Omitto inde, quæ habet amarulenta in eosdem Inquisitores (ne temera dicam) hic idem Auctor Diatribarum, tum §. 10. aduersus Inquisitorem Parmensem, (de quo supra) tum Diatriba quinta à §. 72. contra diuersos Inquisitores (de quibus infra) tum vniuersim §. 36. *ob fillam*, inquit, *Pontificiæ auctoritatis, qua imbuantur, & abutuntur in exterminium eorum, quos exosos haberet*, tum Diatriba 9, & 10. passim, calumniosissimè semper, vbi alter vno verbo respondit in ignoti nobis instituti Scriptorem, *oderunt lupi canes*, vt adagio fertur: omitto, inquam, quia nostro huic instituto iam sufficit ostendisse, tum ex Pontificum laudibus, tum ex laudatis eisdem nostrorum gestis, peculiarem Ordinis dotem in euertendis, aut auertendis erroribus, quotum ex aduerso errorum velut innatam indolem iniustè nimis hic censor peculiariter nostris eiusdem scriptoribus Ordinis affigebat.

Ad primum igitur, si ferret hic locus, vbi Scholastica commentaria non scribimus, veluti collato pede (vt nostri singillatim suo loco non desunt) singula, quæ reprehenduntur in Bannez, fusiori calamo percurreremus, sed præstat veluti fontes, ex quibus responsa hauriri queant, ad minus digito indicare. Reuiuiscentiam meritorum agnoscit & Bannez, eamque ex proposito astruit 2. 2. q. 24. ar. 6. dub. 6. conc. 1. per totam, de modo vero, quo reuiuiscant, ipse discedit à Magistro Victoria, & modum allatum à Bannez explicat, & defendit ex proposito noster Ioannes à S. Thoma disp. 15. in 2. 2. ar. 4. §. *sententia Magistri Bannez*. Meritum potro in ordine ad præmium essentiale non negat actibus aliarum virtutum à charitate, quatenus imperentur à charitate, habeantque ab eadem virtualem influxum, quo dempto vtique negatur etiam contra Vasquez à Montesino, quem refert, & sequitur idem Ioannes à S. Thoma eadem disp. 15. ar. 3. §. *ad primam difficultatem*, & abunde satis ipse Bannez se à quacunque censura tuetur p. p. q. 95. ar. 4. §. *altera difficultas*, contra quosdam, qui à se antea vulgata commentaria in 2. 2. impugnauerant ob rem eandem. De correptione fraterna, quæ in Bannez indigeant spongia *post Apostolicæ Sedis constitutionem*, vti accusator obijcit, sed non exponit, ita ipse sic diuinando respondere nescirem: an fortè, quia 2. 2. ad q. 33. ar. 8. dub. 2. dicit per se seruandum ordinem Euangelicum corrigendi prius secretò delinquentem, antequam Prælatis denuncietur, quod in rebus pertinentibus ad S. Officium contra recentiores quosdam extraneos reprobatum est? sed vide ibidem in responsione ad quartum, & septimum, & videbis id ipsum expresè voluisse Bannez, quod Apostolica postea Sedes demandauit. An quia eodem dubio 2. in Argumento 7. contra se producebat, *in multorum Religiosorum Constitutionibus cautum esse, vt Socius Prælato secreto intimet excessum socij; immo in cuiusdam religionis statutis (vt dicitur) renunciant illius religionis professores ordini processus correctionis fraternæ, volentes suo Prælato proprium delictum cognitum à fratre statim denunciari*, quod in approbatione statutorum eiusdem religionis postea approbasse refertur Gregorius XIII? Sed consule ibidem, ne dum integram Conclusionem quartam huic statuto fauentem, verum etiam responsionem ad idem septimum Argumentum, & videbis sic respondentem Bannez: *ego non video quare non possint suo iuri renunciare, nam cum vnusquisque sit dominus suæ famæ, licitum est illi pro suo bono spirituali illam amittere apud quem voluerit, secluso scandalo &c.* & post plura in eãdem rem, addit solum sibi non placere quandam aliam

alterius

Digitized by Google

alterius priuati Doctoris rationem, pro eodem laudato statuto, contra quam inquit: *Maximè attendendum est, ne propterea huiusmodi constitutio, quæ secundum se iusta esse potest ratione prædicta, sub alia ratione falsa defendatur, videlicet quoniam alio modo nulla Communitas possit bene gubernari; hoc enim esset asserere ordinem corrigendi Euangelicum, & naturalem, esse perniciosum Communitatibus, ac proinde sequeretur non esse in præcepto, neque in consilio*: hæc de correctione fraterna Bannez. De calumniatore vero, an iuxta Bannez *aliquando eum liceat præuenire*, consulendus omnino noster Ioannes à S. Thoma 2. 2. disp. 17. art. 7, vbi conc. 2. ex professo explicat sententiam Bannez, & apparebit in eo sensu (in quo ille intellexit) eundem Bannez longè distare à placito Francisci Amici prius proscripto Louanij 1650, antequam Romæ proscriberetur; qui rursus Amicus latiorem viam suspicionibus, & calumnijs aperire videbatur, & ideo tomo 5. de Iust. & Iure disp. 36. sect. 7. n. 118. de hoc ipso singulari suo placito fatebatur: *se hæc apud alios scripta non legisse &c.* dum interim nobis sine dubio inhærendum est censuris propositionum 17, & 18 in rem huiusmodi promulgatis sub Alexandro VII. die 24. Februarij 1661, necnon censuris propositionum 30, 32, & 33 editis sub Innocentio XI. die 2. Martij 1679. Quo ad accidentia Eucharistica, etsi absolutè Paludanus in 4. dist. 12. quæst. 3. id asserat, negat ex aduerso absolutè Bannez remanere in eisdem existentiam, qua substantia panis existebat, in sua sententia probabilius distincta ab existentia accidentium; solum in hypothesi alterius probabilis sententię Soti non distinguentis existentiam substantiæ ab existentia accidentium, addebat, *posse aliquem probabiliter sustinere, quod accidentia in Sacramento Altaris existant per modum substātiæ cum existentia, quæ antea fuerat substantiæ*, neque id contrariari decreto Concilij Tridentini sess. 13. canon. 2. subiungebat, & explicabat in eodem loco primæ partis q. 4. ar. 2. dub. 2. ad 3. cui explicationi non exiguè fauere poterat sententia Nauarretis, Ledesmæ, & aliorum asserentium existentiam, quæ adhuc substantiæ est, secundum se formaliter, nec substantialem, nec accidentalem esse, eo modo, quo species intentionalis formaliter à substantia, & accidente præscindit, de quo nos alibi fusius. De excessu tandem in extollendo gratiam, non mirum catholicis discipulis Augustini opponi, quod eidem Augustino olim fuisse oppositum testabatur Cęlestinus in Epistola ad Gallos dicens, *de Magistris nostris tamquam necessarium modum excesserint obloquuntur*. Sed re vera, dum Vincentius Asturicensis, arguens à fortiori, pro medio vtitur phrasi D. Basilij lib. 2. in Eunomium per amplificationem adaptantis sanctis participatiuè ipsum *esse* antonomasticè sumptum, vti cū plenitudine soli conuenit Deo, & inde infert gratiam esse formalem physicam participationem ipsius esse per essentiā &c. veluti cum plenitudine essendi, id ipse solum intelligit, non subiectiuè, sed obiectiuè (quatenus per gratiam tandem in Patria nobis immediatè vnitur essentia diuina) vel si subiectiuè, non quidem vt *quod* intelligit, sed vt *quo* (quo scilicet mediante eadem infinita essentia Dei immediatè Beatis vnitur) vt explicat, & defendit etiam Thomas Hurtado Clericus Regularis disp. 1. controuersia 4. membro 3. cum alijs: aliamque addunt explicationem Salmanticenses tom. 5. disp. 4. de gratia dubio 4. §. 2. Dum rursus Bannez prædefinitiones infallibiles, & necessitatem dumtaxat consequentiæ, non consequentis inferentes defendit, iam satis ab integra Thomistarum Schola, &

ipsę

ipse defensus est; nec ipsum, sed alios longè priores in Belgio, in Auctores oppositos insurrexisse ex professo testatur scriptor è Societate Paulus Hibernus, siue Sherlogus p. 3. responsionum sect. 9. ex Imagine primi sæculi Societatis lib. 6. cap. 4. §. *aduersantium nobis &c.* nec indè necesse est de historia disputationis simul, & consultationis Romæ habitæ vlteriora in aliorum libris extantia in præsenti repetere, vt pareamus silentium imponenti Decreto, quod à quibus fuerit procuratum, vt alter aiebat, vulgo iam scitur, nobisque interim tacentibus adhuc licebit saltem occurrere huic prouocanti aduersario repetitis illis ex Tacito verbis in Vita Agricolæ, *adempto per Inquisitiones etiam loquendi, audiendique commercio, memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam nostra potestate esset obliuisci, quam tacere,* de re nimirum, quæ editis tot cæterorum vel tunc scribentium operibus in posterorum memoriam transmissa est, immo quæ perlegitur adhuc nouissimè impressa in Bail Parisiensi tom. 2. summæ Conciliorum pag. 806, propter quæ & hic diceret Hieronymus aduersus Luciferianos: *si qui à nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur, plenæ sunt certè Ecclesiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria est: supersunt ferè homines, qui illis interfuerunt.*

Ad secundum de confessione in necessitate consumanda per litteras iuxta sententiam Petri de Soto olim inter Dominicanos valdè receptam, vt loquebatur opponens, tam certum est Cardinalem de Lugo concedere (vt supra retulimus q. 2. art. 1.) quosdam alios extra Scholam S. Thomæ etiam post Decretum Clementis VIII. obsirmatè conatos esse eandem sententiam propugnare, quam constans est demonstratio Aluarez in 1. 2. q. 19. ar. 6. disp. 80. in difficultate appendice per totam, à nostris etiam antiquis sententiam eandem reprobatam esse, inter quos præsertim in sua tertia probatione principali signatis locis adducit cum D. Thoma, Caietanum, Dominicum Soto, Victoriam, Ledesmam, Summam Angelicam, Tabienam, & alios, & in solutione ad vndecimum ostendit, nec ab eodem sensu recessisse Paludanum, D. Antoninum, Siluestrum, ac alios, & solum Petrum de Soto permittit scribentem longè ante Clementem VIII. probabiliter illi sententiæ adhæsisse, vti & Suarez adhæsit, sed peius longè alios quosdam post eiusdem Clementis decretum euulgasse glossas, seu defensiones eiusdem placiti ab eodem Clemente Octauo successiuè proscriptas, quemadmodum, ne dum ex Cardinali de Lugo, sed etiam ex Auersa trac. de Sacr. pœnit. loco antea laudato referebamus: dum alioquin quo applausu, & fructu simul auditus sit in Tridentino Concilio idem Petrus à Soto Theologus suo nomine à Pontifice missus, legi potest præ cæteris in historia Tridentini Pallauicinus, tum lib. 13. cap. 8. num. 6. commendans impensa eiusdem studia pro Apostolica Sede, dum esset à Confessionibus Caroli V, tum lib. 2. cap. 13. num. 1. & 2. collaudans inter Concilij *Patres*, vt loquitur, *eiusdem Soto ibidem valde æstimatam seueram probitatem, solidamque sapientiam*, adeo vt, cum ibidem obierit, addat, *eius mortem valde displicuisse Concilio, cui videbatur quasi in infausto obscuro remanere amittendo ex omni genere quædam è suis maioribus luminaribus:* hæc Pallauicinus, præter alia, quæ habent Posseuinus, Bellarminus, & alij addentes eundem Archiepiscopatum Toletanum sibi à Carolo V. oblatum recusauisse, à Philippo Secundo, & Regina Maria delectum Theologiæ professorem cum Ludouico à Soto maiori in Anglia Ac-

Google

cademiam Cantabricensem doctrinæ catholicæ pro eo tempore vindicasse, Fucero, & Petro Martyre depulsis exindè, egregijs scriptis aggressum esse, & Brentium magni nominis Lutheranum, eidemque Soto huic certamini immortuo Cardinalem Osium non putauisse infra suam eruditionem, & dignitatem, succedere eiusdem partibus ac defensioni susceptis. Hic ille Petrus à Soto est, quem velut atro theta signandum hic noster censor in nostri Ordinis dedecus afferebat.

Ad tertium de Cano, *cuius aureum opus* eximie laudatum ab eisdem mox recitatis scriptoribus, iam supra referebamus, præstat prænoscere duo; alterum est ea, quæ Canus scripsit de matrimonio lib. illo 8. locorum cap. 5, scripta fuisse ab eodem per integrum adminus annum antequam sessio 24. de Sacramento Matrimonij celebraretur Tridenti sub die 11. Nouembris 1563, vt id de Cano in eandem rem obseruauit Pallauicinus lib. 23. historiæ cap. 9. n. 15. alterum est varias etiam Theologorum, ac Patrum sententias antecedenter Tridenti fuisse circa matrimonia clandestina inualidanda ab Ecclesia, vel non, quas pro diuturno tempore præcedente sessionem diffuse describit ibidē Pallauicinus lib. 20. cap. 4, & inde libro 22. cap. 1. num. 16, & cap. 4. per totum, & cap. 8. à num. 9. in finem vsque, & cap. 9. à num. 2. ad finem, & lib. 23. cap. 5. à num. 17, & cap. 8, & cap. 9. per integrum: indè non mirum similiter esset, si noster Cano, qui anno antecedenti ad sessionem (vt Pallauicinus aduertit) de re adeo controuersa scribebat, aliquid opinatiuè protulisset, quod post sessionem eandem minus probabile reputaretur. Opinatiuè porrò dumtaxat se locutum esse profitebatur ibidem Canus his verbis exordiens: *non disputo nunc, scholæ communis opinio vera nè, an falsa sit; sed id ago, scholasticas opiniones oportere à Decretis seiungere, fideique quæstiones ab his, quæ sine pietatis iactura possunt in vtramque partem disputari &c; his expositis facile, vt opinor, tertium illud argumentum refelli potest. Nego enim Scholæ certo, constantique decreto finitum, matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum esse verè, & propriè Sacramentum. Nego eam rem ad fidem, & religionem attinere. Nego omnes Scholæ Theologos id asseruisse. Hæc tria cum docuero, argumentum positum omni ex parte refutatum erit.* Inde pro ostendendo primo percurrit antiquos Scholasticos circa hanc rem de matrimonio dubitantes, pro secundo scilicet, non pertinere ad fidem, quod omne omnino fidelium coniugium Sacramentum sit, inter alia sic probat, *quia alioquin si quodlibet fidelium coniugium Theologis necessario Sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui coniugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse Sacramenta?* en prima nobis de Cano opponentis obiectio, (cum potius vergat in Scotum) & pro eiusdem Scoti sententiæ probabilitate dumtaxat alijs quibusdam adiunctis, pluribus inde auctoritatibus, & rationibus probare prosequitur id, quod sæpè repetit, *matrimonia, siue Connubia, sine Sacro Ministro, sineque aliqua religionis sacra ceremonia*, (nota id quæso) *inita, non esse Christianæ religionis Sacramenta*; in fine tamen huius secundæ partis concludit sic: *sed siue nostra opinio vera, siue falsa sit, nihil enim moror, si Lutherani de hoc matrimoniorum genere disceptare voluerint &c.* vti & supra præmiserat, *hanc opinionem ad Lutheranorum tela depellenda solidiorem esse*. Pro tertio tandem, non deesse scilicet plures huic eidem opinioni adhærentes, re ipsa affert ad hoc, designatis locis, tum Gulielmum Parisiensem, Petrum Paludanum, & alios scholasticos, tum Concilium Prouin-

ciale

ciale Coloniense, tum Euaristum Pontificem dicentem: Coniugia sine ministro Ecclesiæ esse *adulterinum contubernium*, tum Canonistas &c, & demum iterum (vt vbique opinatiuè loquutum esse percipperemus) inter alia concludit: *sic iure, ac merito possum à Viris doctis postulare, vt de me non nisi causa cognita iudicent. Quod si rationibus, quibus ego ducor, falsam me habere sententiam doceant, gratissimè accepturus sum*: hæc in summa ibidem de matrimonio scribuntur à Cano, in quibus (vt ab exemplo ex Pallauicino præmisimus) si Canus adhuc opinariuè procedens in re tam ardua, & eo tempore tam controuersa ante Tridentini sessionem, aberrarit à vero, ob communiorem nunc cæterorum sententiam, excusandus sine dubio maneret. Sed videamus vlterius, quæso, quid post eandem Tridentini Concilij sessionem de re eadem (quæ principaliter intendebatur à Cano) *an omne coniugium fidelium etiam propriè sacramentum sit*, quidem alij subsequentes Doctores, vel senserint, vel scriptis inde commiserint. Omitto Archiepiscopum Granatensem in generali Congregatione Tridentina (vt refert Pallauicinus lib. 22. cap. 8. n. 19.) dum promoueret decretum inualidans imposterum clandestina matrimonia sine Ecclesiæ ministro, asseruisse etiam: *inter duos baptizatos in aliquo casu contingere posse matrimonium, quod sacramentum non sit*, ideoque ex disposito Tridentini Decreto *damnari duos Caluini errores &c.* & in altera iterum Congregatione eundem Granatensem cum pluribus suæ sententiæ sequacibus (vt adducit idem Pallauicinus lib. 23. cap. 5. n. 19) *negauisse; & antea matrimonium clandestinum fuisse verum, ac firmum*, vti non paucos similiter tunc opinatos esse ex Decretali Euaristi paulo ante Pallauicinus afferrebat, & rursus in eodem lib. 23. cap. 8. n. 10. exscribens decretum integrum Tridentinum circa eadem clandestina matrimonia præterita ad illa verba: *tametsi dubitandum non est clãdestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, Pallauicinus, inquam, interiecta sua parenthesi hanc suam inserit adnotationem (*hoc modo loquendi relicta est illæsa in suo gradu vtraque duarum opinionum, circa illud, an Euaristus ea inualidauisset, vel non.*) Hæc omnia vix solum attingo, & exscribo præcipuè, quæ diffusius, & opportunius ad rem habet idem Pallauicinus in capite 9. eiusdem libri 23. n. 13, vbi respondens cuidam obiectioni Petri Polani, recognosci iterum inquit, *numquam in Concilio declaratum esse* præterita clandestina matrimonia sine Ecclesiæ Magistro, de quibus sermo erat, *fuisse sacramenta, adeo vt quidam graues Theologi id ipsum negauerint*, & apponit in margine Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 6. & Vasquez disp. 3. de Matrimonio, qui inquit, *eosdem graues Theologos citant* (præter quos Ægidius Coninch disp. 24. de Matrimonio d. 3. pro eadem sententia adiungit Estium, & Siluium, & num. 14. idem Pallauicinus admittit adhuc essentiam contractus matrimonialis, & essentiam Sacramenti separari posse *in aliquo euentu contingenti &c.* & demum num. 15. sic refert (licet ipse cum alijs non sequatur) hoc aliud aliorum placitum dicens, *Verba Sacerdotis aut memorata in decreto Tridentino circa matrimonium, aut alia esse formam Matrimonij, non quatenus contractus, sed quatenus Sacramentum est, non est opinio recens, neque exorta ex interpretatione huius decreti, cum eam prius docuerint, tum Gulielmus celebris Episcopus Parisiensis, quem sequutus est alter ex primis Parisiensibus professoribus in suo voto exhibito in Concilio* (nempe Simon Vigor, vt memorauerat supra lib. 22. cap. 9. num. 5.)

tum moderna Synodus Prouincialis Coloniæ, & tandem paulo antè annum eiusdem decreti Melchior Canus Episcopus Canariensis lib. 8. locorum cap. 5, vbi conatur ostendere eandem opinionem multorum, & magnorum Scriptorum fuisse: hæc Pallauicinus, vt videas Canum, & si veritatem penitus assequutus non sit, quam summo studio perquirebat,(cum ab eo circa formam Sacramenti Matrimonij nunc communior sententia recedat) nihilominus tum ex ducibus, tum ex comitibus in eadem sententia, quos modo Pallauicinus afferebat, tum ex recitata mox ante diuersitate sentiendi inter Tridentinos Theologos, haud reprehensione aliqua dignum esse, neque rursus ex eius placito inferri (vt inferebat obijciens) matrimonia clandestina ante denunciatam inualidationem ab Ecclesia editam, inualidos contractus matrimoniales esse, quidquid sit an iuxta Enaristum inualida sacramenta fuissent,quod Pallauicinus non adhuc à Concilio declaratum esse admonebat. Hæc itaque pro Cano quo ad scripta de matrimonio sufficiunt; quo ad actum verò gaudij pro tempore passionis suspensum in anima Christi (iuxta Canum eundem lib. 12. cap. 14.) ne à visione beata intellectus deriuaretur in voluntatem humanam eiusdem Christi, eo modo, quo suspendebatur clarificatio Corporis, ne à gloria animæ diffunderetur in corpus pro tempore vitæ mortalis eiusdem; satest breuiter audire modum eundem, quo ipse ibidem referebat potius, quam approbaret sententiam hanc dicens: *olim iuvenis coram celebri Theologorum concione diximus, quod sicut per totam vitam &c.* & recitare prosequitur præfatam mox ante explicationem, post duas alias prælaudatas ab eodem solutiones ad argumentum, quod dissoluere satagebat; nec inde deduci ostendit (vt pro Luthero deducebat obijciens) similiter ipsam visionem Beatam potuisse suspendi, non, inquam, id deduci, veluti vaticinando præueniens hanc obiectionem, ibidem Canus ipse respondet, pro probabilitate dumtaxat suæ olim in iuventute opinionis, ex diuersitate nimirum inter essentiam beatitudinis (quam de fide est Christum in hac vita habuisse) & inter complementum eiusdem, nam, inquit, *Christus licet habuerit essentiam beatitudinis, non autem accidentia, quæ inde etiam per se consequuntur*, vt de Corporis glorificatione constabat; quæ tamen nos (vt sæpe monuimus) non ita, vindicando ab indiscreta censura, referimus, vt velut inde eadem asseuerando (ne quis fortasse id nobis imponeret) approbemus.

Ad quartum de Sixto Senensi quo ad Origenem, iamdiu Augustinus lib. 5. in Iulianum operis imperfecti cap. 47. post auditas Hieronymi, & Rufini de hac re controuersias, aiebat: *Nonnulli Origenem quoque ipsum ab errore alienum fuisse aut probant aut volunt.* Et nouissime Bail Parisiensis tomo 1. Conciliorum pag. 288. cum Pico Mirandulano plura controuersiæ capita circa Origenem eundem distinguit & separat, & nos iam supra lib. 1. quæst. 8. ar. 2. ad secundum per plura dicta respondimus, hic recolenda non repetenda in præsenti, quibus suppositis, agnitisque à Sixto Senensi, ipse Sixtus supponit aliud esse in libris Origenis adfuisse hæreses materiales, quæ sine damnatione personæ etiam damnari potuissent, aliud adfuisse vna simul, & formales hæreses, ex quibus hæreticus & ipse Auctor vt pertinax, ac impœnitens damnaretur: quoad has posteriores Sixtus opinatur Origenis libros ab hæreticis adulteratos esse subiungens, *quam hæreticorum adulterationem multi* (non, inquit, Concilia,

vel

vel Pontifices, vt supponit obijciens) *vel non animaduertentes, vel auctoris crimen* (expendas id quaeso) *id esse magis, quam haereticorum deprauationem credentes, Origenem cum suis operibus inter haereticos reiecerunt. Sed vtcunque sit &c.* En tandem quomodo huic vltro defensioni personae Origenis (quam nouissimè prosequitur vbi supra Bail aduersus Christianum Lupum) neque asseueranter adhaeret, tametsi Synodo quintae dicenti *Anathema Origeni, qui & Adamantius dictus est, vna cum detestandis eius dogmatibus,* occurrere praeuideret ea Lerinensis verba cap. 23. *quod etsi in errore concipiendo Origeni non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videtur,* praeter alia, quae fusius habet de quaestionibus facti (vt ista erat) nuperrimè noster Contenzon tomo 3. dissert. praeambulari cap. 2. in 2. parte Corollarij primi per totam; praesertim cum non minus olim de scriptis Dionysij Alexandrini eiusdemque sensu, Catholico an Ariano, contenderint inuicem Basilius & Athanasius, licet vterque Catholicus Arianisque contrarius existeret. Sed *vtcunque sit*, inquit, & meritò Sixtus Senensis, praecipuè ob ea, quae fusius postea nedum Henricus Noris cum Christiano Lupo aduersus quosdam extraneos eiusdem Origenis Apologistas, verum & ante Norim eruditissimè Collius p. 2. de animabus Paganorum lib. 4. à cap. 9. vsque ad 16, de Origenis damnatione percurrunt, dum interim ipse Sixtus se nuncupanti *Adoratorem Origenis* respondere valeret cum Hieronymo in Epist. ad Pammachium eidem obiectioni de laudato Origene in haec verba: *laudaui interpretem non Dogmatisten, ingenium non fidem, Philosophum non Apostolum.* De Eusebio porro Caesariensi idem Sixtus ea ratione opinatur hunc non fuisse illum Eusebium *Arianorum signiferum*, quia talem fuisse supponit alterum Eusebium Berithi Episcopum, ex eiusdemque nominis similitudine deceptos aliquos eandem labem Caesariensi attribuisse, in quo dato è conuerso Sixtum deceptum esse, quid quaeso piaculi foret? vbinam saltem eundem adhuc Eusebium Caesariensem *Sancti* titulo decorauit, vt accusator imponit? in quo benè Posseuinus potius aduertit errauisse Petrum in Cathalogo Sanctorum lib. 5. cap. 134, idque in Vsuardum, & in Monologium irrepsisse, & alioquin Eusebium Nicomediensem vere *Arianum* fuisse demonstrat Bail Parisiensis tomo 1. Conciliorum pag. 162. ex 1. p. Concilij Nicaeni, Eusebium verò Caesariensem, non Arianum, sed *Semiarianum* fuisse probat pag. 173, ex Epist. Arij, & ex Nicephoro lib. 8. cap. 21, & repetit fusius infra pag. 179. Molestiorem fateor alteram obiectionem de libro Ester, de quo agens Sixtus Senensis noster lib. 1. sect. 3. (non secunda) supponere visus est illa verba Tridentini Decreti mandantis sub Anathemate recipi *Omnes libros integros pro vt in Ecclesia legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur,* intelligi, vt ipse loquitur, *de veris, ac germanis partibus, quae ad librorum integritatem spectant, non de lacinijs &c.* ex alia parte, respondens haereticis Anabaptistis vniuersim reicientibus hunc librum Ester, opinari visus est septem postrema Capita (in vulgata quidem latina, simul & veteri graeca editione legitima, vt ipse concedit) quo ad Hebraeorum exemplaria additiția visa esse Hieronymo praefatione in eundem librum aienti: *librum Ester varijs translationibus constat esse vitiatum, quem ego de Archiuis Hebraeorum reuelans verbum è verbo expressius transtuli, quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea, quae ex tempore dici poterant, & audiri, sicut solitum est scholaribus discipulis*

discipulis sumpto themate excogitare, quibus verbis vti poterit, qui iniuriam passus est, vel qui iniuriam intulit: hæc ipse Hieronymus, qui vel auctor, vel certe corrector vulgatæ nostræ editionis supponitur. Hoc non obstante deinde Sixtus idem Censori legendus erat inferius lib. 8. (qui Bibliothecæ sanctæ postremus est) capite postremo similiter, vbi post hæresim 11. Anabaptistarum refutatam circa eundem librum Ester, vniuersim tandem concludit, *temerarium immo planè hæreticum esse reijcere libros,* qui in vulgata leguntur, ob recitatum ibidem Tridentini Concilij decretum, quia dato adesse *quædam superaddita, quædam transposita &c. Certum tamen est,* inquit, *neque in veteri, neque in noua editione aliquid vnquam inuentum esse, quod fuerit, vel à veritate Christianæ fidei deuium, falsumve ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis Orthodoxis, vel præter veritatem additum* (id expendas rogo) *vel contra veritatem mutatum &c. Quos tamen errores, aut mendas B. Hieronymus consulto se in eadem editione reliquisse testatus est, & Ecclesia similiter in noua editione ex professo reliquit, non quia tot eruditissimi, & sanctissimi Ecclesiæ Patres ea errata, vel non agnouerint, vel approbarint; sed quia ad ea dissimulanda iustis se causis impelli viderent,* quas etiam euestigio subiungit, eamque præcipuam ab exemplo Apostolorum, qui similem editionem, vt iacebat, mendosam licet alicubi adhibere maluerunt, quam fidelium populos maiori nouitate turbare, vt fusius ipse discurrit: quod tandem præcipuum defensionis pro Senensi caput vidit, ac simul ingenue laudauit Eminentissimus Pallauicinus in lib. 6. Historiæ Tridentini cap. 17. num. 10. dicens: *doctissimus scriptor, qui ea ætate Tridentini Concilij vixit, & conuersatus est cum viris interuenientibus eidem Concilio, Sixtus, inquam, Senensis, in postremo cap. Mirabilis operis ab ipso inscripti (Bibliotheca Sancta) summa eruditionis copia, & soliditate tractat id, quod spectat ad accusationem* (scilicet ab hæreticis factam) *& postea ad defensionem illius Decreti pro approbatione vulgatæ:* hucusque Pallauicinus vbique semper Diatribarum Auctori dissimilis.

Ad quintum de Ricardio seù Monstro, vt dicebatur, Sacri Palatij Magistro, cuius opus inscriptum in litanias Deiparæ, nec ab eodem editum est vel postrema lima recognitum, sed ab eiusdem Nepote evulgatum fuit; indisciplinati profecto hominis esset ex ijs, quæ in sensu tropologico in scripturis, vel Patribus perleguntur (cui præsertim Ecclesiastici Declamatores incumbunt, vti & S.S. Patres in concionibus ad Populum) adamussim scholasticam, siue veritatem dogmaticam argumentari, vt præmonebat Angelicus Præceptor noster p. 1. q. 1. ar. 10. ad primum dicens; *Ex solo sensu litterali posse trahi argumentum, non autem ex ijs, quæ secundum Allegoriam dicuntur, vt dicit Augustinus in Epist. contra Vincentium Donatistam,* exempli causa, si ex eo dicto tropologico Apostoli, *Petra autem erat Christus,* stolidissime quis subinferret Petræ illi Mosaicæ vnitam fuisse hypostaticè personam diuinam Christi, aut ex illo *viuit vero in me Christus,* si quis deduceret in Apostolum animam Christi Pythagorica transmigratione commeasse, aut ex illo psalmi, *ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes,* plures Deos cum Ethnicorum Idololatria confingeret, aut tandem ex illo, quod ex Damasceno de Deipara circumfertur, *in Virgine Deus est per Identitatem,* comminisceretur cum antiquis hæreticis Collyridianis verè Deiparam Deum esse; sic plane insipientis censoris est ad Scholasticorum Crysim examinare oratorias eas amplificationis Rhetoricæ phrases, ac in

Ricar-

Ricardio de Deipara reprehendere, *Deum creatum*, *Deum mediterraneum &c. visum est Maria & nobis*, *Christe audi nos*, *Sancta Maria audi nos*, *& huiusmodi*, ac si Augustinus non fateretur figuratas etiam hyperboles in scriptura sacra aliquando adhibitas esse, vt ex Genesi 13, Matthæi 19. & alibi demonstrabat ipse lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 21, addebatque Viues ibidem & locum Ieremiæ 20. ex Hieronymo, & Danielis 4. & Ecclesiastes 10. ex Origene in caput primum Epist. ad Romanos, & ex eodem Augustino lib. 5. in Iulianum docente huiusmodi hyperboles etiam adhiberi *ad animos audientium permouendos*, viderique potest S. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 6. hyperboles, inquam, ab Aristotile simul 3. Rhetoric. cap. 11, & Quintiliano lib. 8. cap. 6. laudatas; ac si, quod Ricardius per Oratoriam amplificationem adornabat de supereminentia cuiuscunque meriti Deiparę ex infinitate respectiua Maternitatis Dei (agnita à S. Thoma p. p. quæst. 25. ar. 6. ad 4.) super quæcunque merita Angelorum, & hominum, inniti non potuisset illis Epiphanij verbis orat. 2. de Assumptione Deiparæ, *solo Deo excepto cunctis superior est*, repetitis deinde frequentissime à SS. Patribus, Damiano, Damasceno, Hieronymo, Ephrem Syro, Andrea Cretensi, Idelphonso, Bonauentura, & alijs, quos prolixo syllabo refert etiam, & fere in sensu Ricardij defendit ipse Suarez 3. p. disp. 18. sec. 4. ad quæst. 37. art. 4. ac si tandem (quod præ oculis semper in Ricardio habendum est) præter Gilium è Societate ad primam partem de locis theologicis circa modum arguendi ex Patribus, etiam apud Grauinā tomo 3. præscriptionum p. p. controuers. 1, inter plurimas regulas interpretandi Patres ex Patribus collectas eisdem, non adsit & ista, non eodem eryterio nimirum accipienda illa esse, quæ habent Patres in modo oratorio declamandi ad Populos, ac quæ astruunt dogmaticè stabiliendo doctrinas, vt etiam in hoc sensu præ cæteris admonebat Hieronymus in Iouinianum dicens, *aliud est gymnasticos libros scribere, aliud dogmaticos*. Concludimus itaque de Ricardio in hac redici posse, quod de Paradoxis Stoicorum antiquitus dictum est, nempe Crysippus apud Plutarchum in Opusc. de contrarietate Stoicorum, *Stoici*, inquit, *ob excellentem, & magnitudinem, & pulchritudinem, videntur fabulis similia dicere*, & tamen subdebat Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 35, *a consuetudine quadam, quæ dicimus, abhorrent, deinde alia via ad consuetudinem redeunt*, & Cicero in 4. Accademicarum appellauerat, *mirabilia Stoicorum, quæ paradoxa nominantur*, deinde in lib. ipso inscripto *de Paradoxis Stoicorum* in præfat. sic habet: *mihi ista, quæ Paradoxa appellantur, maximè videntur esse Socratica, longeque verissima*, nec deest Tostatus Abulensis, qui lib. Paradoxorum & ipse eisdem Paradoxis non deesse veritatem ab initio ex professo ostendebat.

Ad sextum tandem de Thoma Campanella Scriptore extemporaneo, qui pleraque sua sine libris in carcere Neapolitano conscripsit, indeque ab Vrbano VIII. studiosissimè liberatus, Ludouico Iusto Galliarum Regi acceptissimus fuit, à Serenissima Venetorum Republica inuitatus per suum Oratorem in Gallijs ad almam nostram Patauinam Vniuersitatem, & de quo in Romano librorum Indice sub Alexandro VII. litt. T. solum prohibentur *Thomæ Campanellæ opera, quæ Romæ excusa, aut approbata non sunt, cum Auctor pro suis illa non agnouerit*: de hoc, inquam, dum iuvenis adhuc studeremus Bononiæ, ad exercendam adminus ingenij tenuitatem, libellum, cui titulus erat, *Species Campa-*

nel-

nellistica molis, Eminentissimo Caraphæ dicatum edidimus, & sicut Psellus aiebat, *Tribus notis diuina maiestas insignitur bonitate, scientia, & potentia, itidem perfecta Philosophia his tribus notis insignis est*, ita nos tria illa ibidem precipua principia totius innouatæ à Campanella Philosophiæ, ac Theologiæ (vocata ab eodem *primalitates*, *posse* scilicet *cognoscere*, & *velle*) in probo sensu reducebamus ad tres communiter explicatas proprietates entis, *vnum, verum, ac bonũ*, & quo ad hanc postremam præsertim ea ratione dicebamus ab auctore eius nomine assertam in singulis rebus etiam exanimis aliquam *scintillam sensus*, quatenus simul cum appetitu innato singulis adhærente (vt omnes admittunt) præsens intime sine dubio adest omni scius naturæ auctor appetitum eundem impellens, ac regens, quod ille tandem (& nil fortasse aliud) *scintillam sensus* appellare mallebat; indeque ad hunc sensum accepta pleraque saltem veri Campanellæ adinuenta non intolerabilia fortasse reputabamus, eo præsertim permoti elogio, quod in Campanellam eundem tunc legeramus apud laudatum non semel à nobis Pallauicinum in libro tunc de recenti vulgato, & inscripto, *Vindicationes Societatis Iesu* cap. 27. dicentem; *Thomas Campanella Dominicanus, vir qui omnia legerat, omnia meminerat, prævalidi ingenij sed indomabilis*; non minus ac postea nuper Bail Parisiensis tomo 1. summæ Conciliorum pag. 790. attestetur eundem Thomam Campanellam *sub protectione Regis Christianissimi in Gallia vixisse in magna Doctrinæ reputatione*. Verum tandem maturioribus curis in dogmatica nostra Philosophia Patauij evulgata (præter postremum tomum, qui adhuc edendus manet, & ferme paratus est) satius eundem duximus reprobandum, eique iam profitenti se, ne dum ab Aristotile, sed etiam à S. Thoma non semel detecta fronte recedere, non quidem Pythagoreorum Cenotaphium apponẽdum *in Magistri desertorem*, vt opponens aiebat, sed accomodanda ad minus ea verba sapientissimi nostri Ioannis à S. Thoma disp. 2. de Approbatione doctrinæ S. Thomæ art. 5. dicentis: *inter discedentes à S. Thoma, attendenda est differentia, nam aliqui fortasse discesserunt impugnando ceù contradicendo, & hi quantum ad hoc discipuli non fuerunt D. Thomæ, magis autem abierunt retrò. Alij non contradicendo vel impugnando, sed aut non assequendo, aut sub aliqua apparenti ratione putando se intelligere, vel explicare mentem S. Doctoris, cum in re non ita esset &c. in quo non discipuli nomen amiserunt licet imperfectiori modo ipsius doctrinam sint sequuti*. Cum itaque post cribratos diligenter adeo singulorum discipulorum D. Thomæ, minus purgatos aceruos ab isto, qui hoc munus assumpsit, cum altero illo nuncupato apud Lucam 22, *vt cribraret nos*, nihilominus nihil hucusque furfuris repertum sit, mea sententia, iam liquet discipulorum D. Thomæ non infermentatam, (vt iste dicebat) sed azymam doctrinam esse: Licet neque in eos ipsos, quos pro magnatibus inter istos habemus, iurare nobis religio sit, eo modo, quo alter apud Theophilum Raynaudum tomo 11. partitione 3. Erotemate 3. de Censoribus librorum num. 537. (do eius verba non mea) *dum studijs præesset, Suarezium pro numine theologico, & certma doctrina semper habebat*: proinde potius, de laudato à nobis altero quocunque Thomista, cuicunque redarguenti (si quid minus recte traditum appareret) responderemus eo modo, quo D. Augustinus lib. 4. operis imperfecti in Iulianum cap. 88. de laudato à se Hieronymo respondebat. *Ego non laudaui Hieronymum, quomodo Pelagius laudauit Ambrosium (quod eius fidem, & purissimum*

rissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere) ac per hoc si quid displicet in amici scriptis, sicut in meis, reprehendo &c.

QVÆSTIO QVINTA.

De imputatis ineptijs, aut ignorantijs.

O *Disputare? ò probare promissa?* (expostulabat cum Iuliano Augustinus lib. 3. cap. vltimo) *ostende promissa, quid pergis in vacua? quid deludis expectationem nostram, neque exhibes pollicitationem tuam?* Pollicitus etenim erat apposite hic auctor Diatribarum ab initio Diatriba 1. §. 14. se probaturum *libros Dominicanorum scatere, aut sordere hæresibus*, ideoque immerito *immunes à censura* permitti; & tamen postquam hucusque, vt vidimus, nullam fermè diligenti licet examine reperit hæresim, aut comprobauit, in ineptias tandem & ignorantias, (quæ neque theologicæ censuræ subijcerentur) importuna, ac ridenda diuersione descendit, in hac quinta Diatriba, *multiplicans verba non necessaria, vt necessaria occupet tempora* (sicut subdebat ibidem Augustinus, & lib. 3. operis imperfecti cap. 22. adiungebat) *hæc si aduerteret, ista non diceret, aut si hæc non aduertit, & tamen ista dicit, aduertat etiam vana esse, quæ dicit.* Proinde præstat audire eundem, eiusdemque obiectionibus Diatribæ quintæ in præsenti quæstione quinta hisce duobus articulis respondere.

ARTICVLVS PRIMVS.

An iure, vel merito reprehendantur, tum de ignorantia in oretenus dictis plures Dominicani, tum omnes de lingua græcæ imperitia, tum de ineptijs in speciali quatuor nostri in libris editis concionatores.

V Idetur ita asserendum eidem Petro à Valleclausa Diatriba 5. Et primo de ignorantia in oretenus dictis, ipse nec auritus, nec ocularis (vt dicitur) testis, nec vllo altero vel nuncupato conteste, solo suo dicto contentus, fidenter admodum non semel etiam Anonymos, pluresque ignotos Dominicanos accusat: tum quia (inquit §. 72, & 73.) quidam Quæsitor Parmæ negauit cuidam Constantio facultatem quippiam edendi de Aritmologia, non minus ac Masinus Quæsitor Genuæ eradi iussit ab altero Cathalogo prælectionum ea verba, *Euclydis Geometria practica*, velut de Magia suspecta, ob terminationem in *ia*; tum quia (vt addit eodem §. 73.) alter Romæ expungi iussit ab opere quodam has voces, *sic fata est*, verbum *fari* confundens cum nomine fati; tum quia (ex §. 76.) alter similiter Romæ è titulo Thesium sic inscripto, *Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Ioanni de Lugo &c. Marchio Petrus &c.* deleri voluit li *Marchio*, ac si in casu dandi Cardinali tribueretur, cum verè in casu nominandi titulus Clientis esset; tum quia Anonymus alter (ex §. 80.) legens in Bellarmino *Diuites teneri eleemosinam erogare*, intelligensque li *erogare* pro poscere, ceù postulare, id oblitterandum esse opinabatur, & de altero libro expungi volebat propositionem negantem *B. Virginem fuisse præsidem in Concilio Ierosolymitano*; tum quia (ex §. 90.) vbi Anonymus quidam Prior in innominato Cœnobio quendam Fratrem hospitio exceptum, itineris labore defessum, velut ægrum, etiamsi sanum, adegit ad sumendam pro viatico Eu-

charistiam, econuerso (ex §. 81.) Marinus in libro Ioannis Sancij permittere nolebat licitum esse communicare feria sexta in Parasceue; tum quia (ex §. 75.) Serronius Romę socius Magistri Sacri palatij permittere renuit imprimi imaginem trium signorum cælestium, Scorpionis, Leonis, & Virginis mediæ inter illa duo, causarus Virginem Deiparam inter Bestias haud collocandam esse; tũ quia (ex §. 77.) Hyacinthus Pandulphus iterum Romæ examinans librum inscriptum aduersus *dogma Iansenij* vocem illam *dogma* auferri volebat, velut nimis honorantem errata Iansenij, cum tamen Cyrillus etiam inscripserit librum *in dogmata Nestorij*; tum quia (ex §. 78.) Ricardius in recognoscenda scriptione offendens hæc scriptoris verba in Constantinum pro Athanasio *Constantine fidem petis, cum Athanasium insequeris*, istaque verba accipiens ipse velut Constantinus tunc postularet Baptismum (quod antea euenerat) eadem expungi volebat, adeo doctus erat *hic Trismegistus* (vt obijciens loquitur) *& clarus præsertim in Historia Ecclesiastica ob emissum tomum vnum sex circiter pagellarum &c. De gestis in Synodo Tridentina &c.* tum quia (ex §. 79.) Candidus similiter sacri Palatij Magister alterius scriptoris opusculum repulit ab impressione, eo quod tantum fateri nollet *filium in diuinis esse Patri similem*, quæ Semiariana phrasis erat Eusebij Nicomediensis ex Niceta Conniare lib. 7. Thesauri cap. 12. tum quia tandem (ex §. 91.) Picus Mirandulanus malè habitus apud quosdam ob sua scripta de Cabala, inde in sua edita Apologia quæst. 1. de Magia, dicebat: *interrogatus quidam ex eis, quid esset Cabala? respondit fuisse perfidum quemdam hominem, & diabolicum, qui dictus est Cabala, & hunc multa contra Christum scripsisse*, idque ibidem irridebat, & meritò Picus; hos verò, quos Picus non nominat, accusator hic noster hariolando supponit Dominicanos fuisse, vnde sibi conclusisse videtur, ex oretenus nostrorum dictis hucusque (quorum omnium fides solum in ipso manet) eorundem Dominicanorum ineptias, ac ignorantias hactenus probatas esse.

Secundò, eisdem Dominicanis plerosque alios politiorum litterarum peritos hæreseos suspectos fuisse ea de causa tantum, quod græcè sciebant, supponit obijciens demonstrari posse per Prologum Angeli Politiani in Plauti Menechmos, amaris & acribus salibus defricantis eam supinitatem, de qua sunt etiam expostulationes Erasmi Chyliade 4. Centuria 5. Adagiorum, Budæi in Opere de studio litterarum rectè instituendo, quos deflorauit, & alijs additis locupletauit, Benignus Sanrey in opere de rectà pronunciatione vocis *Paraclitus* cap. 44. Nec parum his & alijs peritis scriptoribus laborandum fuit (inquit obijciens) in conuellendo eo Frattum effato: *cauendum est à græca lingua ei, qui nolit esse hæreticus*. Liquet tandem Dominicanos miserrimè græcantes esse, ex illis apud eos crebris (vt imponit accusator, ac loquitur) grammaticalibus ineptijs, quod Diabolus dicatur à verbo græco reddito latinè *duo* & *Bolus*, quod morsellum sonat, quia Diabolus facit de homine duos Bolos, quos deuoret, alterum de corpore, & de anima alterum. Hucusque tricatur, aut arguit hic Diatribarum Auctor §. 74.

Tertiò in speciali deueniens in nostrorum Concionatorum ineptias (vt ipse supponit, aut fingit) de Alano à Rupe, & Andrea Coppenstenio in libro Rosarij carpit, aut reprehendit, quod asseruerint *B. Virginem recitasse Rosarium &c.* idque explicuerint, aut distinguendo B. Virginem ipsam, quæ orabat, ab

Digitized by Google

ab Idea Deiparæ, in quam dirigebatur Oratio, aut eo proportionali modo, quo Christus secundum Humanitatem orabat se pro ut filium Dei. *Hoc autem* (inquit) *theologicæ subtilitatis arcano quauis Arista acutiore, quilibet fidelis poterit orare seipsum, pro ut est in diuinis Ideis.*

Quartò, Iacobus de Lausamna in populari impressa Concione de Passione Domini (vt obijciens loquitur) coquinaria comparatione vtens, vbi maximè seriò agendum erat, sic loquebatur: *Isti pessimi Iudæi fecerunt de Saluatore nostro, sicut faciunt homines de capo; primo depilant eum, postea ponunt in veru, & tandem cultello perforant &c. Sic fecerunt isti pessimi Iudæi Saluatori nostro, prius expoliauerunt eum, postea affixerunt eum Cruci &c, tandem lancea perforauerunt &c. Et ideo Saluator noster dicitur Pellicanus &c.* Hæc vero adeo irridet, & condemnat hic censor, vt inter alia concludat, *hunc bonum Nabuzardanem æquè potuisse acetum in mali citrei succum mutare, ac Pellicanum in Capponem &c.*

Quintò, Sancius à Porra ne dum multoties aliè lateque ineprit orationi latinæ voces vernaculas admiscens, verum magnificè in sermone de Annunciatione, vbi conatur ostendere in tribus litteris huius vocis *Aue* contineri tres personas Sanctissimæ Triadis, & in voce *Dominus* prolatа à Gabriele, septem claudi sacramenta Ecclesiæ, ideoque iuxtà Dominicanum Robertũ Holchot, ly *Dominus tecum* sequi immediatè ex ly *gratia plena* velut consequentiam ex antecedente. Et tamen (irrisor hic noster concludit) *propter has gerras, seu hunc sermonem habitum coram Summo Pontifice, gloriatur idem Auctor se factum Magistrum sacri Palatij &c.*

Sextò, Gabriel Barleten, ne dum ab Enrico Stephano hæretico in Satyra aduersus Clericos, & Religiosos inscripta, *Præparatio ad Apologiã Herodothi*, sub ironico elogio *sapientissimi Magistri* irridebatur, eo quod pro dilatione descẽsus Spiritus Sancti per decem dies post Ascensionem Christi velut causam describeret ipse Barleten dissensionem ortam inter Patrem, & Spiritum Sanctum circa eandem procrastinationem, quæ dissensio dissoluta sit eligente Spiritu Sancto descendere in forma diuersa, spiritus vehementis & ignis, non hominis, sicut descenderat Christus, ne iterum male haberetur vt Christus; verum (quod peius reassumit obijciens) tractans idem Barleten, quomodo Samaritana potuerit cognoscere Christum esse Iudæum, cum dixit, *quomodo tu Iudæus cum sis &c.* Id, inquam, pertractans respondet *Samaritanam cognouisse Christum esse Iudæum videndo eum esse circumcisum*. Quomodo autem hoc videre potuerit mulier, inquirit hic censor, & impudorate verba quædam effundit, quæ me vel exscribere pudet, satiusque puto infrà refellere, quam recitare, reprobanda sanè longe magis ac iustius, quam ea, quæ minus iustè ab hæreticis pluribus reprehensa fuisse in operibus Thomæ Sanchez enarrat Bail Parisiensis tom. 2. pag. 812.

In oppositum attamen pro vindicandis plerisque ad minus & in communi Dominicani Ordinis professoribus ab hac ignorantiæ calumnia, sufficerent ingenua ea verba Suarez tomo 4. de Religione tract. 9. lib. 2. cap. 6. num. 12; *ex hoc Ordine*, inquit, *tamquam ex equo Troiano, vel potius arce instructissima ad destructionem Munitionum, vt Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositarum, prodierunt strenuissimi propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerunt. Sed piget omnium Cathalogum texere, cum facile constare possit ex ipsius Ordinis monumentis,*

tis, quot, & quales prodierint &c. & præsertim quot in celeberrimis Academijs Professores primarij, vt facile credas, omnia hæc iure propè hæreditario, huic illustri Ordini obuenisse, adeo vt per annos non paucos rari fuerint in Republica litteraria alicuius nominis viri in doctrina sacra conspicui, qui Dominicanæ Familiæ non essent alumni. Hæc religiosissimus ipse Suarez superioris longè doctrinæ, probitatis, ac fidei, quam proscripti huius libri Auctor supponatur.

Respondeo eisdem Dominicani Ordinis Professoribus in hac ipsa re litteraria nec defuisse, neque deesse peculiares Apostolicæ Sedis laudes, nec rem ipsam laudatam (ope hactenus diuina fauente) defecisse. Hic enim idem ipse Ordo est, de quo Benedictus XI. in data apud Lateranum idibus Februarij Pontificatus anno primo dicebat: *In Ordine Fratrum Prædicatorum quasi solis radijs, habitantibus in hac lacrymarum Valle, lux eruditionis elucet*, & alibi iterum, *hos*, inquit, *in lumen gentium Dei sapientiam dedisse dignoscitur velut splendentia sidera in Ecclesiæ firmamento & tanquā lucernas ardentes in domo Dei illuminantes cunctos &c.* Hic ille Ordo, de quo Ioannes XXII. in data Auenione 3. Kal. Iunij Pontif. anno II. *Lucis creator*, aiebat, *hunc Ordinem lucernam pedibus hominum, & eorum semitis lumen dedit*. Hic ille, de quo Clemens VI. in data Idibus Februarij Pontificatus anno II. scribebat: *Ordo Fratrum Prædicatorum in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens, illum etiam prælucidum, ac fructuosum palmitem, B. videlicet Thomam de Aquino Confessorem, & Doctorem egregium (ex cuius sapientia, & doctrina scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore reficitur incessāter) produxit &c.* ideoque (vt præmiserat) *in Ordine eodem quasi solis radijs in hac valle lacrymarum lux eruditionis relucet &c.* Hic ille est, de quo Eugenius 4. in data Florentiæ idibus Augusti Pontificatus anno IX. dicebat: *Prædicatorum Ordo &c. inter alia plantaria Dominica, & scientiæ dono, & doctrinæ magisterio, & euangelizatione Verbi Dei dignoscitur specialiter insignitus*. Hic ille, de quo Alexander IV. inter tam multa sic habet: *huius ligni fertilis à Cælesti agricola in Ecclesiæ paradiso inserti percepta fragrantia, vndique ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores fidei, qui assidue illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsius prægustata dulcedine ministrant & ipsi alijs suauia libamina salutis: hi sunt viri doctrina clarissimi &c. hi sunt viri probati & plenè in lege Domini eruditi &c. quorum labia gratia cælestis edocuit ad propinandum salubrem doctrinam alijs &c.* Hic ille, de quo Nicolaus V. in data apud S. Petrum Idibus Martij Pontificatus anno III. laudabat eximie in eiusdem professoribus *Diuinarum præsertim sacrarum litterarum scientiam admirabilem*. Hic ille tandem, de quo ne dum sæculo superiori Leo X. in data apud S. Petrum 22. Nouembris anno 1518. *se cernere* profitebatur, *probitatis, & doctrinæ fructus semper olim attulisse quotidieque afferre*, eodemque sæculo desinente idipsum à Clemente VIII. repetebatur, verum etiam nostro hoc sæculo id recognouit Gregorius XV. in Bulla Ordini Prædicatorum directa 28. Iulij 1622 incipiente, *Eximij, atque singulares fructus &c.* Vt videas, quam verum sit id, quod monebat sapientissimus noster Ioannes à San. Thoma ad p. p. qu. 12. disp. 14. ar. 2. *hos scilicet fructus eosdem vsque ad nostra tempora iugiter, per D. Thomæ doctrinam, in eodem Ordine germinare, vti non cessant Summi Pontifices vno ore clamare, & sicut in multis, & varijs eorundem decretis, quæ longum esset recensere, videri potest*: Hæc ille. Testes porro (si nec ista alicui

Pontificia elogia sufficerent) testes, inquam, pro eadem laudata re hic esse possunt, ne dum innumeri Scriptores Ordinis (quos in praesenti cum caeteris probationibus forsan infra tangendis omitto) verum ad minùs *tot Primarij in celeberrimis Accademijs Professores*, vt Suarez aiebat. Testes in Parisiensi Vniuersitate caeterarum Accademiarum Parente, post D. Thomam, & B. Albertum Magnum, Petrus simulà Tarantasia, Paludanus, Ioannes de Neapoli, passimque tot caeteri, qui pullulante vix Ordine primo eiusdem saeculo publici ibidem Professores floruere, vt possis inde à fortiori coniectare sequentes. Testes in Patauina antiquissima Vniuersitate (post Parisiensem) successiuè Syluester Prierates (ex Leandro lib. 4.) Thomas Caietanus (vt probat ex Leandro, & alijs, Altamura Verbo Caietanus) Paulus Soncinas (ex antiquis monumentis Patauij) Bartholomaeus Spina Pisanus (ex eiusdem Opusc.) Hieronymus Wielmius (vt ipse attestatur in Praefat. de scriptis S. Thomae) & alij plures, quorum singuli suis scriptis praeclarissimi sunt, & de Caietano quidem Cardinali iā supra diximus, Siluester vero, & Spina Pisanus ad Magisteriū Sacri Palatij prouecti fuere, Wielmius inter Patres Tridentini Concilij, & Episcopus Argolicensis fuit, sicut & alter Adrianus Valentinus Venetus nomine Pontificis in eadem Tridentina Synodo Theologus extitit, qui similiter Patauinus Professor erat, ambo non semel à Pallauicino commendati in historia. In Salmanticensi deinde Accademia, ab anno 1415. in hanc vsque diem testes sunt velut Palestrae ibidem theologicae Principes, Frater Lupus Barrientos, Aluarus Osorius, Didacus Deza, Ioannes de S. Dominico, & celeberrimus ille Franciscus Victoria, qui laurea magistrali assumpta Parisijs in Parriam redux totius Hyspaniae in Scholasticis Magister euasit, & eodem fermè tempore, quo Hyspani noui Orbis gazas reperierunt, Victoria Hyspanis eisdem aurifodinam scholę Thomisticę reseraauit. Hūc in eadē primaria Cathedra insequuti sunt PP. F. Melchior Cano, Dominicus Soto, Petrus Soto maior, Mātius de Corpore Christi, Bartholomaeus Medina, Dominicus Bannez, Petrus de Herrera, Franciscus Arauco, Ioan. à S. Thoma, & nouissime Petrus Godoi, quorum singulorum commendarissima opera perleguntur, & de singulorum se anteriorum laudibus etiam Bannez 2. 2. q. 1. ar. 7. dub. 2. consuli potest, vbi eadem Salmanticensium Professorum intexta serie cōcludit, *vnum tantum inueniri, qui ibidem primam Cathedram Theologiae, non ex nostra Familia, obtinuit, nomine Petrus Oxomensis, Parisiensis doctor, anno Domini* 1479. *Sed huius*, inquit, *infelicis doctoris scripta simul cum eiusdem Cathedram medijs Scholis igne combusta sunt ex mandato Archiepiscopi Toletani, quod propositiones erroneas, & haereticas docuisset circa Clauium potestatem &c.* Haec Bannez, post cuius mortem, non praetereundum, quod cum Pater Magister Herrera ardua contentione, & ancipiti conflictu aduersus Dominum Alphonsum Curielem doctissimum Magistrum, prȩter omnium expectationem, Primariam eandem Cathedram adeptus esset, eam Philippus III. Rex Catholicus Ordini Praedicatorum perpetuo addixerit, dotauerit, multisque priuilegijs stabiliuerit anno 1607. Excellentissimus etiam Dominus Franciscus à Sādoal Dux de Lerma anno 1608. Vespertinam aliam Cathedram in eadem Accademia, omni doctorum schola suffragante, auctoritate regia instituit, Dominicanae familiae magistris perpetuo regendā, & quo amplius affectum suum erga Prędicatorum Ordinem testatum relinqueret,

ret,

ret, in Accademia Vallisoletana Primariam Cathedram S. Thomæ à Dominicanis quoque professoribus moderãdam erexit, in qua hoc sæculo floruit acutissimus Magister Frater Balthasar Nauarrete. Item aliam primariam Theologiæ Cathedram in Complutẽsi Accademia regia Philippi III. & Apostolica Pauli V. auctoritate, & Vespertinam aliam fundauit, quas Ordini Prædicatorum perperuò addictas voluit. Non minus celebris olim apud Bohemos & Hungaros Regia Vniuersitas Budæ, quando fundata est à Matthia Coruino, primum Auctorem ac Magistrum habuit Petrum nostrum Niger Germanum, vt narrat Ferrarius de reb. Hungaricis p. 3. l. 3. c. 3. Testes tot alij Dominicani Professores in cæteris alijs celeberrimis Accademijs, Conimbricensi, Oxunensi, Compostellana, Toletana, Granatensi, Hyspalensi, Baiacensi, Valentina, Barchinonensi, Cæsaraugustana, Leridensi, Oscensi, Tarraconensi, Messicanensi, Limensi, Neapolitana, Romana, Papiensi, & alijs, quarum si vel solos antiquissimos nostros Professores hic digito solum indicare studeremus, & nimium voluminis moles exerescerct, & fastidium lectoribus crearetur, cum interim vel prælibata sufficiant pro comprobanda ea Pontificum laude, ac retundenda calumnia ignorantiæ à Professoribus Ordinis Prædicatorum, quibus eandem auctor Diatribarum affingebat.

Ad primum igitur (quod iuxta præmissam à nobis in Præfat. huius libri 4. protestationem, ex integro ferme spernendum potius quam dissoluendum poterat præteriri) hoc non obstante pro solutione tria nunc breuiter subiungemus, primò quamplura, quæ per nostros oretenus reprobata referuntur, si referrerentur, vt debent, non adeo irrationabiliter reprobata esse seù reprobari potuisse: Secundò irrationabiles adeò (vt ab obijciente finguntur, ac describuntur) reprobationes, de paucis illis laudatissimis Viris (quos suo nomine signat) palam inuerisimilimas esse, non minus ac si aduersus comædiæ decorem, artemque fingendi ex Horatio, ad instar Daui loqueretur & Herus: tertio adeo nullas ab arguente probationes afferri, vt in quoslibet alterius Ordinis Professores similia omnino à quocunque altero possent sicophanta confingi, velut de communibus locis ridendarum narrationum, quarum promptuaria cuicunque obuia sunt apud Lucianum in duobus libris verarum Historiarum, Apuleium in Asino aureo, Salisburgensem in libro de nugis Curialium, Erasmum in Moria, Boccacium in Decamerone, Henricum Stephanum *in præparatione Apologiæ Herodoti*, Cornelium Agrippam in sua Apologia, & alios huiusmodi damnati nominis auctores, in quos eisve similes cum Tertulliano in Valentinum cap. 3. repeteremus, *suspicor te in infantia inter somni difficultatem à nutricula tua audiuisse Lamiæ Turres, pectinesque solis*, seu, vt addebat Nazianzenus Oratione in Sancta Lumina, *horrenda & caliginosa Hecatæ spectra, Triphonij que subterraneas imposturas & vaticinia, aut Dodonæ quercus deliramenta, aut Delphicæ tripodis præstigias, aut fatidicos castalij Fontis latices*. *En* (vt reasumebat idem Tertullianus lib. 4. in Marcionem cap. 23.) *en Asinus de Æsopi puteo modo huc apparet, & exclamat &c.* &, sicut addebat lib. de Pudicitia cap. 19, *Sicut Histriones cum allegoricos gestus accomodant canticis, alia longè à præsenti & fabula, & Scena, & Persona &c. sic & huiusmodi hæretici easdem Parabolas quo volunt, tribuunt, non quo debent, aptissime excludunt*. Quoad primum igitur (aliqua nimirũ non adeo irrationabiliter reprobari potuisse) quis scit an illa Arithmologia

non

non fuerit eius generis superstitionis, qua vis aliqua numeris attribuitur, vt Martinus Delrius in disputationibus Magicis, & Nazarius in quæstione de Magia retulerunt? quis de illa tunc proposita *Geometria practica* nouit, num aliqua adnexa non indicaret tribuenria similiter superstitiose virtutem aliquam figurarum diuersitati, vt ijdem referebant ibidem? quis agnouit, an transcribentis errore non legeretur, *sic fata sunt*, seù *sic fatum est*, non vero, *sic fata est*, vt supponit obijciens? Quis vidit, an non forsan ly *Marchio:* cum appositis punctis in casu dandi, non vero nominandi legeretur, posseтque scriptor insidiosus redargui illis Augustini verbis lib. 4. Operis imperfecti in Iulianum cap. 56, *quid est, quod nobis casibus nominum velut cassibus Aranearum quanto subtilius, tanto imbecillius tendis insidias?* Quis certus est, an pro *eleemosinam erogare* mendosus exscriptor seù Typographus non apposuisset *eleemosinam rogare?* Quis ne dum plura de potentia absoluta fieri posse conceder, quæ de ordinaria non fiunt (vti extraordinariè etiam homini non baptizato à Pontifice delegari posse iurisdictionem spiritualem, & à fortiori fœminę, tenet quo ad vtrumque cum alijs Cardin. de Lugo lib. 6. Responsionum Moralium dub. 6.) verum etiam ad minus præcellentia meritorum vbique, licet non superioritate Apostolicæ potestatis in terris, Deiparam anteponi, atque saltem hoc modo passim in publicis Ecclesiarum Iconibus inter Apostolos, in Cœnaculo igneas linguas diuini spiritus excipientes, supremam Deiparæ sedem concedi solere? Quis certus est, an auctor ille (de quo §. 81.) non extenderit nimis facultatem communicandi feria 6. in Parasceue, quam nostri quoque seruata debita reuerẽtia permittunt, non desunt vero alij, qui negent, inter quos (vt refert etiam Diana tomo 1. p. 4. tract. 4. resolut. 257.) Marcellus Francolinus in libro de horis Canonicis cap. 30. pro se adducens tum Innocentiũ Primum in epistola ad Decentium cap. 4. relatum in cap. *Sabbati* de Consecratione distinct. 3. tum Alcuinum de diuinis officiejs cap. de Cœna Domini, nec diffitetur Vasquez 3. p. disp. 232. *Obseruari hanc in tota vt plurimum Ecclesia Latina consuetudinem.* Quis rursus certò negabit in descripta illa imagine pro signo Virginis, Virginem vtique, sed cum Corona Stellarum duodecim, cum Solis amictu, & cum Luna sub pedibus eius (vt vidit in Apocalypsi Ioannes) inter Leonem ac Scorpium fuisse locatam? Quis de contradictione non arguit immemorem mendacem hunc calumniantem alibi de propensione in Iansenium eosdem illos, quos nunc de indiscreto in eundem rigore condemnat, ob negatam *dogmatis* vocem velut apparenter honorariam in eiusdem errores Iansenij? Cum reuera absolutè, & plerumque *dogmata* in probum accipi sensum præ cæteris testis sit Cicero lib. Accademicarum appellans *Dogmata, seu decreta, quorum nullum sine scelere prodi potest,* de quo etiam Seneca epist. 94. Quis scit non fuisse eum puncto interrogantis ea verba, *Constantine fidẽ petis, aũ Athanasium insequeris?* vt ly *petis* pro postulare vtiq; acciperetur, & insectationi Athanasij per Antithesin opponeretur? Quis ignorat eo modo quo (ex Baronio ad annum 362. num. 43.) nomen hypostasis Latinis olim propter Arianos suspectum erat, & tamen modo tutissimum est; sic eam phrasim, *Filius in diuinis est similis Patri,* olim propter Semiarianos fuisse cauendam, nunc verò sine vllo periculo perlegi passim in catholicis auctoribus cum D. Thoma p. p. quæst. 27. ar. 2. & Suarez lib. 3. de Trinitate cap. 1. num. 5.? Vbinam tandem

dem (licet non desit ars aliqua Cabalæ, quæ damnata sit, vt tractant Delrius, Nazarius, & alij) vbinam, inquam, Picus vnquam Dominicanum Ordinem nuncupauit, cuius vel vni Professori illam, aut similem supinitatem attribueret? cum immo Ioannes Franciscus Picus eiusdem nepos in vita Patrui fateatur, eundem addictissimum Dominicanis fuisse, pro quibus etiam integram Apologiam extantem adhuc de Vita Sauonarolæ evulgauit, *& Thomam Aquinatem præ omnibus laudare consueuerat,* vt loquitur Nepos, & idem ipse Patruus, antequam moreretur, eandem Vestem Dominicanorum assumere meditabatur, *Prædicatorumque Ordini se addicere.* Ad secundum quod attinet de commendanda nimirum qualitate nostrorum hominum, quorum (licet paucorum) signata nomina dehonestando inuerisimiliorem longe hic auctor accusationē effecit: sane Elisæus Masinus à Bononia Inquisitor Genuensis clarum post se suæ eruditionis monumentum reliquit inscriptum, *Sacro Arsenale*, cui velut promptuario in pertractandis rebus Inquisitionis vtilissime singuli fidei Quæsitores adhærent, adeo vt fabella illa de eo inspiciente *mathematicas figuras*, & exclamante, *en magicas delineationes*, ex integro exscripta (huicque assuta per fabulatorem hunc nostrum) non immeritò reputetur, ex Bernone Schysmatico, qui similiter ob figuras mathematicas in libris Siluestri Secundi repertas eundem Pontificem Magum fuisse confinxit, vt notat Onuphrius Panuinus, & repetentibus idem hæreticis Magdeburgensibus Centuria 10. cap. 10. pag. 544. cum Mornæo hæretico pag. 224. respondebat noster Grauina de Sacro Deposito cap. 14. num. 39. Porro Pater Serronius, tunc loco Magistri Sacri Palatij, postea ad Episcopatum Arausicanum, demum ad Mirmatensem, grauissimisque Regni Galliæ negotijs admotus, tum Regis iudicio, tum Burdegalensis Collegij Societatis Iesu complausibus, tum Aquinatici Senatus exceptus encomijs, ob reassumptam vtrobique omnium arguentium ac respondentium ex integro concertationem, Sapientissimi famam adeptus est. Nec minoris nominis Pater Hycinthus Pandulphus è Regno Neapolitano, vbi Regentis studiorum munere, grauissimisque negotijs defungebatur, pro Confessario ac Theologo à Cardinali Medicæo aduocatus fuit. Candidi verò Sacri Palatij Magistri vulgati quatuor commendatissimi tomi Eminentissimo Pamphilio (qui postea fuit Innocentius X.) nuncupati, cum pietate sapientiam superabbundè testantur. Ricardij demum eiusdem Apostolici Palatij Magistri, vel *Monstri* agnomen vulgata doctorum voce tributum admirabilis eiusdem ingenij simul ac doctrinæ sufficiens testimonium est, nec rursus obesse potest eidem exiguum (vt opponitur respondetque Fontana ad annum 1545) scriptum *breue præmissum pro apparatu* subdendæ responsioni (nisi mors præpediuisset) ad *Pseudo Historiam Tridentini Concilij* à Petro Suauio conscriptam, sed à Marco Antonio de Dominis Apostata & Hæresiarca evulgatam in Anglia, peiotemque factam, vt notat Bail tomo 1. pag. 630. quinimmo hac breuiori periodo (vt alibi tangimus) datis & non concessis plerisq; (quæ in præambularibus Consultationibus seu tractationibus præcedentibus Tridentinas sessiones per eandem Pseudo Historiam vellicabantur) responderi licebat, aliud de his præambularibus esse, aliud de sessionum Decretis assistente Spiritu Sancto firmatis, sicut aliud est loqui de actione generantis naturalis prauiè disponente materiam ad vnionem animæ rationalis, aliud de infu-

infusione eiusdem animæ, quæ à Deo fit, nam licet prior illa non semel letha'i culpa fornicationis, vel adulterij & huiusmodi deturpata sit, hæc tamen secunda posterior semper inculpabilis, & diuina est; ideoque culpanti de hac re breuiloquium Ricardij, seu, vt D. Auitus aiebat epist. 2, *putanti causas non rerum magnitudine constare sed paginis*, cum D. Gregorio in epist. ad Leandrum respondere valeret: *per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosa loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur, & cuncti procul dubio scimus, quia quoties in folijs malè lata segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana grandescunt*, atque adeo Basilius epist. 74. Apollinarem redarguebat, *quod facilitate scribendi libris suis orbem repleuisset contempto Ecclesiaste, qui cauendum esse dicit, ne multi fiant libri, quia in multiloquio non potest vitari peccatum*. His itaque stantibus, pro laudatissimorum nostrorum hominum laudibus, iam planè conspicitur, quam longè, non dicam à vero, sed à verisimili etiam sint illæ supinitates, quas, nec quidem de tyrunculis in doctrina credendas, prælaudatis eisdem viris hic noster accusator affingit, ignorans quod vel fugiendum pro decore Comediæ monebat Horatius in arte.

Si dicentis erunt fortunis absona dicta
Romani tollent equites peditesque cacchinnum.

Cum rursus quæ affert, dicat quidem ipse dumtaxat, sed nec leuiuscula probatione confirmet (quod tertio loco præmonebamus) & cum vltrò non desint extranei Consultores, Recognitoresque librorum, non est sanè cur pariter in quemcumque Professorem alterius extranei instituti scurriles huiusmodi fabulæ hoc solo probandi modo non possint à quolibet simili fabulatore confingi: *Recita igitur illa ipsa tibi, & vobis in vos* (vt Augustinus appositè intorquebat lib. 2. in Petilianum cap. 13.) *Ecce & ego probaui, si hoc est probare: & tamen disce quid sit probare: neque enim extrinsecus quaram documenta, vt vos viperas probem: ecce id ipsum vipereum est non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis, sicut scriptum est, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: cum ergo talia dicitis in homines* (aut plerumque Anonymos, aut de rebus ignotis) *vel quos omnino ignoratis, vel quorum etiam multi, nec eorum* (in quibus calumniamini eosdem) *nomen audierunt; eos audite in silentio respondentes: non ad nos pertinet quidquid dicitur, non vidimus, non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Vos, qui nihil aliud vultis, quam dicere, quod probare omnino non potestis, quid aliud quæso quam os vestrum maledictione, & amaritudine plenum est? Attendite hæc omnia, & videte, vtrum aliquid horum, quæ obijcitis, de dispersa in orbem terrarum religioso cætu probare possitis, cui tamen maledicere non quiescitis, & videte ne vera in vobis ostendatis, quæ de illo falsa iactatis.* Hæc usq; Augustinus.

Ad secundum de imputata græcæ linguæ imperitia; Ita nos comparati sumus, vt neque illis adhæreamus, qui (reprehendente iam Tullio lib. 1. de finibus) *græca anteponunt ijs, quæ & splendidè dicta sunt, neque sunt conuersa de Græcis*, idemque Tullius ibidem id appellabat eum Mutio *insolens domesticarum rerum fastidium, seque sentire*, subdebat, *latinam linguam non modò non inopem, vt vulgo putatur, sed locupletiorem etiam esse quam græcam*: neque rursus ex ijs sumus, quos noster Cano lib. 2. locorum cap. 15. redarguebat contemptæ multiplicis vtilitatis eiusdem linguæ græcè, quam ipse vtilitatem septuplicem ex pro-

posito integro eo capite demonstrabar; immo antequam alij exorirentur, iam nostri Ordinis Professores obtemperabant (vt par erat, & legitur in Fontana verbo studium linguarum) obtemperabant, inquam, decreto Concilij Viennensis titulo de Magistris mandanti in studijs generalibus parandos esse trium linguarum Doctores; inter quos præsertim pro lingua græca celeberrimi, præter quam plures alios nominatim à Fontana laudatos anno 1438 & sequentibus, è nostra familia fuere Sanctes Pagninus, Oleaster, Ioannes de Monte nigro, Augustinus Iustinianus, Forerius, Canus, Sixtus Senensis, ac nostra ætate Maluenda, Combefisius, Ioannes Nicolaus; & alij, præter eos quatuor Scriptores nostros, quos Spondanus ad annum 1252. num. 12. Constantinopoli græce contra Græcos scripsisse testatur, & ad annum 1237. num. 1. alios innumeros Doctores nostros ad Græcos missos vltrà Hellespontum, ac per diuersas regiones Orientis agnoscit. Cæteri verò, qui vt græcam eruditionem non contempserunt, ita eandem grauioribus studijs non prætulerunt, cum Augustino fatente libro 2. in Petilianum cap. 38. *se Græcæ linguæ perparum assecutum esse & propè nihil*, cum eodem, inquam, lib. 3. de Trinitate cap. 1. responderent: *si ea, quæ legimus de his rebus, sufficienter edita in latino sermone aut non sunt, aut non inueniuntur, græca autem lingua non est nobis tantus habitus, vt talium rerum libris legendis & intelligendis vllo modo reperiamur idonei, eo genere litterarum ex ijs, quæ nobis pauca interpretata sunt, non dubitamus cuncta, quæ vtiliter possumus quærere, continere*: Hæc nostra institutio est, hæc sanctionum Concilij simul ac Ordinis obseruantia est, quam neque Angelus Politianus, neque Erasmus, neque Budæus in nostris criminati sunt, dum vel Monachos in communi duntaxat velut scholasticis vepribus innutritos, vel ad summum superciliosos Pedotribas (qui nostri non sunt) de tribus aut quatuor tantummodo latinis phrasibus gloriantes, mordaci stylo (vt in Catholicos hæretici solent) exagitarunt, non verò alicubi vel Erasmus ipse (licet mordacior cæteris ac impudentior simul in Patres) Dominicani vnquam professores Ordinis nominauit, *tametsi ab hæreticis contumelias audire pro laudibus habendum esset*, vt aiebat Augustinus lib. 3. Operis imperfecti cap. 18, & re ipsa Budæus lib. Epist. pag. 41. nostrum Gulielmum Parvum tunc Confessarium Regis Galliarum apprimè laudabat, velut *magnum in primis etc. librorum reconditorum Conquisitorem, ac inuestigatorem sagacissimum, atque Bibliothecarum quasi compilatorem*, sed tantum minus à se laudatum addebat, *quod Erasmo minus fauebat*: hæc ille: cum tamen occurreret pro eodem Hieronymus lib. 3. in Rufinum: *si aliter amicus tuus esse non possum, nisi et hæreticorum amicus fuero, leuius tuas inimicitias, quam illorum amicitias, sustinebo*. Quis vero non rideat hariolantem hoc loco reprehensorem nostrum, de duobus illis, vt ipse supponit, oretenus nostrorum effatis? *nomen Diaboli ab illis vocibus duo & Bolus deriuatum esse* (quod in nullo nostrorum libro, benè in tractatu de contemptu Mundi, sub nomine D. Bernardi, reperitur) seù *cauendum esse à græca lingua ei, qui nolit esse hæreticus*. Vndenam, rogo, hæc inter nostros nobis ignota adagia aucupatus est? Sanè non potuit, *& etiam si posset* (vt vtar verbis Augustini lib. 2. in Petilianum cap. 13.) *singulorum hominum nostrorum per totum Orbem diffusorum vitas, & facta ostendere, tamen antequam id fecerit, & temere ista iactauit, os eius vipereum maledictione, & amaritudine plenum fuit*. Benè, si saltem verisimilius imposuisset dictum ad minus si-

mile

mile noſtro Magiſtro Cano, *cauendum, ne græcæ tantum lectioni fidat, qui nolit eſſe hæreticus*, non admodum fateor à veriſimili ſaltem aberrauiſſet, dum idem Cano lib. 2. locorum cap. 13 ferme per totum aliquid huic ſimile probat, tum quia, inquit, *iſte nihil aliud molitur, niſi quoddam occultum hæreticorum patrocinium, nempe inquiſitores deſpicit, qui ſcripturam Latinam, tamquam certam regulam teneant, cum veritatis græcæ, aut hebraicæ ignorantia tenerantur* (vt imponit & iſte) *ſcholaſticos auctores deſpiciet, quia vulgari latino interpreti fidem ſuam alligarint &c. Tertiò plures ſcripturæ particulas nobis ſubtrahet, quæ ſcilicet in græcis huius temporis exemplaribus non habentur, vt hiſtoria puerorum, & Suſannæ apud Danielem, & hiſtoria mulieris adulteræ apud Lucam &c.* præter alia quamplura, quæ mox infra ſubiungit, eruditeque probat, de adulteratis à Græcis ſcripturæ ſimul, & Patrum operibus. *Quo loco*, inquit circa auctoritates deductas è Græcis, *admonendi boni omnes, vt à Caluini, & Melancthonis, ac cæterorum ſimilium fraude cauendum intelligant*, præſertim cum etiam (vt ſubdit infrà) *magna ſit diſſenſio ſæpè numero Græcorum Codicum &c.* nec inde mirandum, (vt obiter id concludamus aduerſus Launoium) aliqua teſtimoniorum Græcorum Patrum (quæ in opuſc. aduerſus Græcos examinat San. Thomas, cui collecta ab altero, ſolum interpretanda ab eodem, in Præfat. ad minus probabiliter propoſita ſupponebantur) non mirandum, inquam, ſi non ita plane ſingula conuenientia in ſingulis cum euulgatis deinde Græcorum Codicibus adinuenta ſint, vt Launoius opponit, cum immo etiam Lucarinus in Manuali Thomiſtico obſeruarit pauciſſima illa, quæ à S. Thoma alicubi in ſumma referuntur, nec aliquando in fonte ita de facili reperiri videntur, ſaltem vt attributa tunc vulgo communiter illis Patribus in textu Magiſtri Sententiarum, alijſque Scholaſticis probabiliter hoc modò ſimiliter à S. Thoma recitata fuiſſe, vt de ſingulis eodem modo Lucarinus oſtendit, præter alterum noſtrum Ioannem Nicolaum Pariſijs olim in ſcholijs ad ſummam D. Thomæ pleruumque tuentem (vt audio) eadem quoque in eiſdem Sanctorum Patrum operibus reperiri. Satis ergo iam conſtat nec noſtros omninò ignaros rei græcæ fuiſſe, quemadmodum vniuerſim coſdem *miſerrimè Græcantes* appellabat obijciens, cum tamen ipſe in huius libri titulo (qui titulus ex Caſſiodoro eſt *totius operis breuiſsima vox*) Græcare miſerrime videatur in voce græca *Cyriacorum*, quam Latini omnes pro Dominicis habuerunt, ipſeque dumtaxat pro Dominicanis accepit, vt ritè poſſet intorquere ea ſua verba Hieronymus Apologia in Rufinum: *tu græce debes ſcribere, vt apud homines Græci ſermonis ignaros, aliena ſcire videaris &c. Sed tantam habes Græci, Latinique ſermonis ſcientiam, vt Græci te Latinum, & Latini te Græcum putent*, vt infra in eundem Rufinum adiungit.

Ad tertium de B. Alano, *cui eruditam omnis ſcripturis* (vt Trithemius loquitur) *Deipara Magiſtra ſua pene familiaris, plurima ore proprio reuelauit*, atque Maraccius è Societate in Bibliotheca Mariana eiuſdē libros appellat, *ingenij ſui, cæleſtiſque ſapientiæ inſignia monumenta*, nunc ſolus hic auctor Diatribarum hæc eadem impudorato hoc *Aſinitatis* titulo dehoneſtat, eo quod ſcilicet, ſicut Euangeliſta teſtante, *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, ita Alanus reuelante eadem Deipara euulgauit eandem B. Virginem verba à Gabriele audita, ſeù *annunciationem Dominicam*, vt ipſe vocat, in corde ſuo conferendo meditatam eſſe, ſiue poſtea in hoc ſenſu explicetur, vt quemadmodum

veteres Patriarchæ ante Christum expectantes Messiam, licet eundem in indiuiduo non præuiderent, Messiam vt sic veluti idealiter conceptum adorabant, sic B. Virgo iam præsciens ex Scripturis, etiam ante Angelicam annunciationem, futuram aliquam Matrem Dei Saluatoris, eandem vt sic in communi *idealiter* veluti (vt vtar eadem similitudine Alani) veneraretur; siue secundo, quemadmodum ex Theologis 3. p. q. 21. Christus secundum humanitatem orans adorabat simul in Trinitate suam hypostasim Verbi, qua sua humanitas sanctificabatur, ita Virgo Deipara secundum humanitatem discernens infinitatem respectiuam, qua Dei maternitas excellebat (ex S. Thoma p. p. quæst. 25. ar. 6. ad 4.) & cui se Virgo in angelica salutatione humiliter subducebat, veneraretur eandem Maternitatem Dei secundum esse diuinum gratiæ, & gloriæ, vt Alanus exponit; eodemque modo Apostoli (vt addit ibidem) oratione salutationis angelicæ sicut & oratione dominica vterētur, referentes ad Mariam, sub esse gratiæ præsentis, & futuræ gloriæ, ac prouidentiæ diuinæ, prout ab æterno eam habuit in æternitate existentem. Hæc explicata ex B. Alano eiusdem Alani sententia est, quæ sicut abest ab ea illatione obijciētis, *sic possibile fore cuilibet fideli orare seipsum prout est in diuinis Ideis*, ita procul à virga Arcadica imprudentis adeo censoris abscedit, vt eam appellare Arcadicam pecuitatem non vereatur. Verum (vt D. Hieronymus loquebatur epist. 102) *Asino lyra superflue canit, bipedumque Asellorum in aure buccina magis, quam cythara concrepandum est. Nam viros iniurijs deditos* (si Athenæo credimus lib. 15. cap. 10.) *conuitiorumque studiosos, iuxta Platonem, rationi conuenire videtur, vt in Asellorum genus, simiumque ferarum naturam ingrediantur.* Hæc ille.

Ad quartum de Iacobo à Lausanna, quoad illam comparationem Pulli cum Christo, *Pellicano* similiter in Psalmo 101. comparato, nolo huic (qui *Pellicani* transmutationem irridet, & comparationem *coquinariam* appellat) suggerere ea, quæ eruditè Cano noster aduertit lib. 2. locorum cap. 13. inter alias versiones (vt cum alijs etiam Sixtus Senensis lib. 8. consentit) non semel transmutantes vnam arborem in alteram, exempli gratia Teribinthum in quercum, vel vnum animal in aliud, vt Bubonem, vel Cuculum in Nocticoracem & huiusmodi, adesse rursus & istam Psalmi 101, vbi, inquit Cano, *pro Pellicano in hebræo habetur lika, quod alij Monedulam, alij Onocrotalum, alij Pellicanum reddiderunt &c, ac 70 Interpretes quidem vocem hebræam, quam Hieronymus in Onocrotalum perpetuo vertit, nunc in Pellicanum, nunc in auem, nunc etiam in Leonem transtulerunt.* Nolo rursus censorem admonere vel *Agni Assi*, quo in scripturis non semel idem Saluator figuratus est (nec tamen *coquinaria* collatio appellata fuit) vel Saluatoris eiusdem, qui, vt loquitur Augustinus tract. 25. in Ioannem. *Gallina similem se fecit*, dum Matthæi 23. dicebat: *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat Pullos suos sub alas, & noluisti?* nolo eundem arguere immemoriæ aut contemptionis eorum, quæ habet S. Thomas p. p. q. 1. ar. 9. ad 3: *Quod sicut docet D. Dionysius cap. 2. de cælesti hierarchia, magis est conueniens, quod diuina in scripturis tradantur sub figuris vilium corporum quam corporum nobilium; primo quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore &c. Secundo, quia hic modus conuenientior est cognitioni de Deo, quam habemus in hac vita cognoscē-*

ere

tes magis quid non est quam quid est &c. Tertio, quia per huiusmodi, diuina magis occultantur indignis. Nolo remittere censorem ad Dominicum à San. Trinitate lib. 6. Bibliothecæ sect. 1. & 2. de Theologia Symbolica fuse etiam ex Patribus pertractantem, & sect. 6. cap. 2. adnotantem Christum etiam in Psal. 21. *vermi* vilissimo comparasse seipsum. Nolo addere Lausannam authorem florentem ad annum 1334. Parisiensem Doctorem, Lauzanensem Episcopum, ac plurimorum conscriptorem operum (quæ cum Posseuino & alijs Altamura recenset ac laudat) omnibus omnia factum, vt omnes lucrifaceret, in villulis etiam concionantem, in sęculo rudi, ac simplici, gentibusque præsertim circa Heluetiam simplicissimis, accomodis illis earum captui similitudinibus vsum esse, quoniam vt post Apostolum Nazianzenus admonebat apologetico 1. *Quemadmodum non eadem medicamenta, nec eadem alimenta corporibus omnibus offeruntur, sic & animæ diuersa ratione disciplinaque curantur, quædamque lactis alimonia opus habent, hoc est simplici & rudimentaria doctrina &c.* Hæc omnia fere libens omitto, solumq; expendo, ne dum de simili scriptore iam Senecam epist. 100. respondisse, *quod mores ille composuit non verba, animisque scripsit ista non auribus,* verum etiam nominatim de nostro Lausanna Alphonsum de Castro Minoritã alioquin minus affectum in nostros in procurata per ipsum noua operis editione in præfatione ad lectorem id appositè monuisse dicendo: *Si res ipsas respicias, inuenies, scio, quod laudes, quod legere delectet, & eligere placeat, vt tandem electum semines in terram, quæ afferat fructum &c. Est enim author ipse (quod miror) adeo in parabolis frequens, vt ex industria Saluatorem ipsum imitari videatur, qui fine parabolis frequens, vt ex industria Saluatorem ipsum imitari videatur qui sine parabolis non loquebatur &c.* Hæc ille, iuxta quæ vides, an potius Lausanna vel pro ipso alter deridenti nunc aevocanti *cauponariam* præallatam mox ante comparationem eiusdem, respondere valeret cum prælaudato Gregorio Nazianzeno eodem apologetico primo aduersus nimis econtra rhetoricantes, hæc adiungente: *Nos vtique non sumus plerisque consimiles, qui veritatis doctrinâ cauponum ritu adulterant &c. vt ipsi ex hac cauponatione non nihil emolumenti capiant, omnibus assentantes, ventriloqui sane homines, & vaniloqui, voluptatibus suis obsequentes, easque verbis aucupantes, vt sic maxime populi existimatione floreant:* hactenus sunt verba Nazianzeni, non nostra.

Ad quintum de Sanctio à Porta, quem leuiter quidem Diatribista carpebat ob admixtas *Orationi latinæ linguas vernaculas*, quia & ipse Diatribista non semel latino operi versus Gallicos se admiscuisse sciebat; sed grauius eundem subsannabat ob euocata mysteria ex litteris & numeris, tum illius vocis *Aue*, tum *Dominus tecum*: Et tamen (& si nec damnem pro sæculi simplicitate, nec singula laudem) similia latere mysteria non semel in litteris numerisque præsertim hebraicæ linguæ præ græca ac latina (quæ illam suspiciunt vt Matrem) prædocuerunt tum Hieronymus in commentarijs ad Threnos Ieremiæ, atque in epistola ad Paulam, tum Origenes in epistolas Pauli, tum Hilarius in psalmum 2. & alij, quos refert ac laudat Nazarius qu. 12. de Magia cum Pico in apologia qu. 5, tum idem Picus in Heptaplo ostendens in solo illo initio Genesis *Beresith*, apud Hebræos, *In principio, apud latinos*, comprehendi quodammodo *vniuersam de Mundi rerumque creatione rationem*, vt ipse loquitur & variè transpositis, quodam veluti anagrammate, eisdem litteris hebræis exponit,

tum

tum id de lingua hebræa in communi prosequitur Bellarminus in principio institutionis linguæ hebraicæ, tum Cano lib. 2. cap. 15. Sixtus Senensis, Christoforus Lauretus, Eusebius Bambergensis, Lelius Biseiola, Blasius Vigenere, & alij laudati etiam apud Dominicum à SS. Trinitate lib. 4. sect. 7. cap. 9. in fine, tum de numeris Rabanus integro libro de numerorum mysterijs cũ Hilario in commentarijs in psalmos, Augustino trac. 17. in Ioannem, Basilio, Nazianzeno, & Ambrosio, quos idem Picus eadem q. 5. referebat, & in Anagrammatibus, tum numeralibus, tum litteralibus (quæ Ficinus *Mysteria encomica* appellabat) Latini deinde scriptores id passim imitati sunt. Nonne de sola illa littera H addita (iubente Deo) tum nomini Abram, tum nomini Sara, D. Hieronymus, Lipomanus, & alij consensere Rabbinis (vt in cap. 17. Genesis Cornelius à Lapide referebat) id factum fuisse, vt geminatione illius litteræ, quæ præcipua est in diuino nomine *Iehouah*, ostenderetur Deus ab illis duobus oriturus in carne, additque Pererius in nomine Abram per eandem adiunctam litteram quintum millenarium annorum Mundi designatum esse, ex quo Messias nasciturus erat? Nonne speciatim Mariæ nomen hebræum è Cœlo delatum, sicut & nomen Iesus, in hoc sensu commendant Idiota libro 1. de contemplatione Virginis cap. 6. Bernardus super Missus est, Anselmus de conceptu Virginis, & alij quam plures? Nonne latentia mysteria in singulis eiusdem nominis apicibus agnouerunt, atque euoeare eonati sunt, post D. Antoninum 4. p. titulo 15. cap. 21. §. 9, Pelbartus in suo Stellario, Bernardus de Busto in suo Mariali, Robilius Benzonius lib. 2. in Magnificat cap. 22. dub. 5 Bercorius in suo Reductorio, & præ cæteris Blasius Viegas e Societate in cap. 12. Apocalypsis commen. 2. sect. 1. vt ostenderet idem Mariæ nomen tetragrammaton esse, idest quadrilitterum simile Sanctissimo nomini Iesu? Cur ergo his stantibus, omissis his omnibus, vnus è nostris, qui prædictos dũtaxat in litteris numerisque huiusmodi considerandis imitatus est, *tam alte ineptire* accusatur, *vt si quis meditato vellet ineptum agere, non posset id aptius quam iste fecit*? quemadmodum loquebatur audacter obijciens de Sanctio à Porta, qui præter alia doctrinæ ac pietatis insignia in Altamura legenda, tempore magni Schysmatis ante annum 1394 à Clemente VII. PseudoPontifice occasione prædicti Sermonis Sacri Palatij Magister renuntiatus fuit, postea succedente Petro de Luna antiPapa sub nomine Benedicti XIII, coram eodem Petro de Luna, ac Curia eiusdem, in die Pentecostes vehementer adeo contra Schysmaticos Apostolico spiritu inuectus est, vt inde detrusus in carcerem pro nomine Iesu contumelias pati gauisus sit, vsque ad Innocentium VII verum postea Pontificem, ad cuius pedes benigne tandem exceptus Apostolicus iterum Capellanus, & Pœnitentiarius euasit, vt inter cæteros post Lucarinum comprobauit Fontana in 2. p. Theatri cap. 4. tit. 5. num. 9. & cap. 5. ex monumentis Molis Adrianæ sibi liberaliter præstitis à Domino Carolo Carratio Aduocato Concistoriali, eiusdemque Archiuij custode. Cur ergo (vt dicebam) hic solus tam benemeritus, omissis cæteris, accusatur? *Si hoc culpatur* (repeteret hic sua verba inuectiua 2. Rufinus) *Si hoc culpatur, ego in opere postremus sum, & necesse est, vt culpa a primis incipiat: & tamen nemo commissum punit, quodne admitteretur ante non vetuit.*

Ad sextum de Gabriele Barleta, præterquamquod nuper Fontana ad an-

num 1479 cum Mirræo in sua Bibliotheca seculo 16, opinatur & probat conciones exstantes falso fuisse nostro Barletæ suppositas, adhuc placet prius duos nostros è Tolosana Prouincia audire scriptores simul, & Altamurā in appendice Bibliothecæ pag. 518. ita compendio respondentes, iuxta Barletæ verba (quæ citanr & in eiusdem sermone leguntur feria 6. post Dominicam tertiam Quadragesimę) tribus Christum Samaritanę innotuisse, scilicet veste quadrata *per qua tuor angulos palliorum* numerorum 16 (vt ille citat) *coma intonsa* iuxta morem Nazar ęorum, qui de solo populo Iudaico erant, & demum *ad circumcisionem* (vt notanter Barleta loquebatur) quę circumcisio erat populi Iudaici quasi character, sicut ille, qui Christianorum animis signaculum Baptismi imprimitur, & licet vterque diuersis causis occultus sit, character quidem circumcisionis pro honestate, Baptismi vero ratione subiecti insensibilis scilicet animę, tamen vterque aliquo signo fit manifestus apud Iudęos, atque Christianos, sicut Turcarum circumcisio Cydare Alba, & signo Crucis (si alia desint) Christianorum Baptismus, atque in hoc sensu etiam Tacitus lib. 4. historię circumcisionem Iudęorum institutam aiebat, *Vt diuersitate noscerentur*, non quidem inspectando immediate eandem, sed mediante signo aliquo sensibili exteriori, quod aspiceretur, & ipsam significaret, ipsaque proinde per intellectum velut à signo dignosceretur; quod totum voluit significare Barleta, dum dixit, *Samaritanā cognouisse Christum Iudæum triplici de causa*, & post adductas priores, ex veste quadrata, & coma intonsa, *Tertia*, inquit, *ratio ad circumcisionem*; nec dixit vnquam, vt de more accusator imponit, *videndo Christum esse circumcisum*, in quibus duntaxat postremis verbis affictis eidem latitat calumniæ venenum. *Quid ergo supponis* (& ipse diceret cum Augustino lib. 4 operis imperfecti cap. 95.) *quid supponis verbum tuum quasi meum, vt non sentiente, qui hoc audit aut legit, subtrahas sensum meum?* vt subtrahas nimirum quod sentio ex triplici causa à Samaritana Christum agnitum esse, intonsa scilicet coma, immediate inspecta per oculos, veste quadrata similiter immediate visa per corporis sensum, & circumcisione significata subinde ac velut à signo inspecta per mentem. Hactenus fere illi respondent, quibus nos addere licet, sistendo adhuc in immediata visione per corporis oculos, facilius longe posse triplicem causam dignoscendi in re nostra secerni, alteram scilicet comam intonsam, alteram quadratam vestem, & tertiam postremam *vittas hyacinthinas* velut specialissimum circumcisionis signum exterius distinguendi obseruantissimos legis Mosaicæ Iudæos à transgressoribus eiusdem, seu ab Hebræis aliquo ethnicismo fœdatis, quemadmodum Samaritanos absolutè Iudæos, sed ex parte gentiles fuisse, apposite notat, & eruditissime probat Annalista Baronius de hac ipsa Samaritana discurrens tomo 1. ad annum Christi 31. pagina mihi 113. Totam verò hanc signi specialis à signo communiori distinctionem, scilicet à veste quadrata has distinctas vittas hyacinthinas habemus (vt præuidit etiam Gislandus noster ad feriam 3. post. Dominicam 2. Quadragesimæ dubio 15) habemus, inquam, ex cap. 15 numerorum illis verbis: *Dixitque Dominus ad Moysen: loquere filijs Israel, & dices ad eos vt faciant sibi fimbrias per angulos quatuor palliorum* (en prius signum non ita speciale) *ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint,* (hoc quæso secundum signum expendas specialius primo) *quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini*: Hæc ibi,

ibi, quæ ad rem nostram in idem caput Tostatus Abulensis expendens in qu. 50. sub eo titulo, *quomodo Iudæi erant distincti ab alijs populis etiam in signo &c.* inter alia sic habet, *quoddam erat signum in carne, aliud in veste, & de hoc dicitur hic &c.* mox subdit, *istud præceptum non intendit fimbrias constituere*, scilicet signum communius in veste, *sed quod ponantur vittæ hyacinthinæ per quatuor fimbrias, & iste est proprior sensus, dum dicitur, per quatuor angulos palliorum &c.* Inde q. 52. subinquirens, *ad quid proficiebant signa* prædicta, respondet & inquit: *Considerandum quod effectus vittarum hyacinthinarum erat duplex: Primus vt recordarentur Iudæi præceptorum Dei; Secundus vt cognoscerentur vere Iudæi, nam aliquando veniebant Gentiles in terram Chanaam &c*, & mox ad illa verba eiusdem cap. 15. Numerorum, *Sintque Sancti Deo suo*, inquit Tostatus, *Sensus est, quod Iudæi ferrent fimbrias & vittas hyacinthinas, & hoc modo essent sanctificati Deo, idest segregati ad cultum eius, dicitur enim aliquis segregatus ab alijs, quando obseruat aliquas ceremonias in vita vel in habitu distinctas ab alijs &c.* Hæc Tostatus, quæ eodem fere modo habet ac repetit in cap. 23. Matthæi q. 40, inquirens in titulo, *Quare Iudæi portabant fimbrias & in eis vittas hyacinthinas*, & respondet his verbis: *Erant multa, in quibus necessaria erat cognitio, eo quod in terra Chanaam, in qua manebant Iudæi, erant multi Gentiles, tam habitatores terræ illius, quam venientes de foris, qui conuersabantur inter Iudæos, conuersatio tamen Iudæorum non erat talis ad Iudæos, qualis ad Gentiles, quia Iudæi non manducabant cum Gentilibus*, vt nec cum Samaritanis &c, & adhoc adducit Hieronymum super Matthæum aientem: *Iusserat quoque & aliud Moyses, vt in quatuor angulis palliorum hyacinthinas vittas facerent ad Israeliticum populum dignoscendum, vt quomodo in corporibus circumcisio signū Iudaicæ gentis daret, ita vestes haberent aliquam differentiam &c.* & demum q. 44. idem Tostatus ex professo demonstrat *etiam Christum fimbrias, & vittas hyacinthinas detulisse*, præsertim ex cap. 8. Euangelistæ Lucæ. Quid ergo mirum, si iuxta Barletam Samaritana ex triplici adhuc exteriori sensibili signo cognouit *Christum Iudæum esse?* ex veste nimirum quadrata (vt supra diximus) ex coma intonsa, & demum ex hoc proprijssimo signo *ad circumcisionem*, vt Barleta loquebatur, videlicet *ex vittis hyacinthinis*, quibus puri Iudæi à Gentilibus Iudaizantibus secernebantur, vt ex Tostato, (cui alij consentiunt, & quem Bellarminus excelso illo carmine laudabat, *hic stupor est mundi qui scibile discutit omne*) ex hoc, inquam, Tostato robuste satis, & opportune explicatum est. Cur ergo pro instillando (hoc non obstante) contemptu nostrorum concionatorum, hoc præcipue Barletæ dictum vel coram pueris (vt audio) buccinatur in scholis, atque, vt aiebat inuectiua prima Rufinus, *Per domos, per monasteria, per singulos quosque Fratrum circumfertur, quo solo possint auditu turbari?* Cur subsannatur, & ea mystica concertatio descripta ab eodem Barleta, non sine commendando mysterio ad exprimendum nimirum Dei, ac Triadis amorem in homines, & arguendam ingratam hominum prauitatem in eundem Deum? dum alioquin in recentiorum Ecclesiæ Oratorum opusculis (vt Auellini & huiusmodi) cum cæterorum applausu perleguntur consimili modo vel ipsa attributa diuina misericordiæ ac iustitiæ altercantia inter se, & deinde composita in Saluatoris aduentu (vt nuper laudat etiam Bail Parisiensis tomo 1. Cōciliorum pag. 129) iuxta illam omnino similem mysticam, ac certe continuatam allegoricam phrasim in psalmo 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi,*

iustitia & pax osculatæ sunt: Veritas de terra orta est, & iustitia de Cælo prospexit. Cur tandem (vt id obiter dicam) nunc reprobari videtur quorundam etiam concionatorum methodus eliciendi conceptus, vt vocant, prædicabiles ex metaphoricis quoque scripturæ phrasibus, immo & apicibus? ac si (præter Baezam, Naxeram, Celadam, & alios è Societate, qui hanc methodum promouerunt) iam non dixerit Veritas, *nec vnus apex præteribit à lege*, & Apostolus Paulus ad Galatas 3. non expenderit quod Genesis 22. dicebatur, *& semini tuo*, non expenderit, inquam, vel quo ad numeri apicem dicens, *non dicit & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno & semini tuo, quod est Christus*; & demum hanc ipsam criminationem non præuenisset Gregorius Magnus, homilia 15 in cap. 8. Lucæ ad ea verba, *quod autem inter spinas cecidit hi sunt, qui audiuere &c.* ita subiungens: *Si vos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres Dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret &c. Quis enim mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem? Maxime cum illæ pungant, istæ delectent? & tamen idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere, quod dicebat, vt sciatis rerum significationes quærere in ijs etiam, quæ per semetipsum noluit explanare*; Hæc ipse Gregorius.

ARTICVLVS II.

An iure subsannentur similiter Godefridus, Bernardus à Lucemburgo, Grisaldus, Bzonius, Valesius tum Triuet, & Cardinalis de Turrecremata.

Videtur ita dicendum eidem Petro à Valleclausa in hac eadem Diatriba 5. conanti eosdem sic demonstrare ridendos. Primo, nam Godefridus Viterbiensis scripsit opus, cui titulus *Pantheon*, libris duo de viginti contextum, & ne dum ipse operis titulus *Pantheon* ridiculus esse videtur proferens scriptoris inscitiam vsurpantis ad designandum chronicō vniuersale eam vocem in vsu communi sonantem *Templum omnibus Dijs sacrum*, verum etiā opus ipsum fartum est ineptis commentis, quale illud est de paruula Christi veste è Cœlo submissa, & crescente semper cum ipso Iesu, præter versus Leoninos ab eodem intextos orationi solutæ velut stromate multicolore, variegataque veste &c.

Secundò, Bernardus de Lucemburgo in suo cathalogo hæreticorum, adeò insignis Ethimologicus est, vt in prologo dicat dici *vulpem à volando*, adeo peritus Chronologiæ, vt scribat Antropomorphitas cępisse anno Domini 549 sub Berengario Imperatore, & tamen subdat Theophilum Alexandrinū, & Cassianum scripsisse contra eos: Arnaldistas quoque fatetur se nescire quinam fuerint, & tamen de Arnaldo plura subiecit, Gaianitas putat esse Gabaonitas, & demum, inquit obijciens, *adeò ineptè illum Cathalogum confecit, vt sæpe ludibrium debeat Alphonso de Castro, qui in eius supinitates concitatur, & misellum stimulat ad piè recitandam orationem pro ignorantijs, quæ apud Habacucum legitur.*

Tertiò, Frater Paulus Grisaldus in compendiosa hæreticorum historia suo præfixa operi de decisionibus fidei, omisso inconsiderate describi in columna hæreticorum Methodium, Isidorum, Remigium, Gregorium Turonensem, Cassiodorum, Eligium, Bedam, Antiochum, Victorem Vticensem, Anastasiū Sinaitam, Andream Cretensem, Rabanum, Proclum, Ferrandum, Paulum

Diaconum, & alios Catholicos (quam exerrationem etiam obijciens attribuit *lapsui oscitantis librarij, eaque perperam*, inquit, *videtur grauari Grisaldus*) hac omissa, subdit, *saltem non potuit nisi per auctoris ignorantiam contingere illa alia adeo absona consignatio temporum, qua Sanctus Methodius collocatus est post Anastasium Sinaitam; & qua Paulum Diaconum ante Proclum, & Theophilactum adscripsit anno 538. Puériles isti Anacronismi non Librarij oscitantiam, sed Griseam Grisaldi peritiam in ratione temporum produnt.*

Quartò, Bzouius ne dum vni tomo suorum Annalium immiscuerat Pseudohistoriam Pauli Suauij de Tridentino Concilio, quæ post primam recognitionem detecta fuit, & abrasa in secunda recognitione, per eundem Bzouium sponte procurata, & impetrata à Pontifice Vrbano VIII. (vt supponit etiam obijciens) verum etiam in Opusc. de Sanctis Medicis, S. Ioannem Mansur transformauit in Ioannem Mesue, Saracenum, & Pharmacopolam, tantum ob nonnullam cognominum affinitatem, & nominis ac Patriæ, Damasci, communitatem: Et (vt subdit infra Diatriba 7. §. 120.) in eisdem suis Annalibus potius *Dominicanis*, quam *Ecclesiasticis*, non semel ineptit, tum pro suis probrosa tacendo, & res domesticas efferendo, tum contra alienum Ordinem Minorum referendo etiam falsos vulgi rumores infamantes eundem, qualis ille de Fratre Bertoldo inueniente Bombardas, & de rabie morientis Scoti, & huiusmodi, propter quod vltimum etiam Petrus à S. Romualdo (recentior Petro à Valleclausa) in sua Chronologia Cisterciensi subiungit Pontificem Maximum in pœnam præcepisse, vt ab Annalibus Ecclesiasticis continuandis imposterum abstineret.

Quintò, Thomas de Valois cum Nicolao Triuet Commentarium scripsit in opus Augustini de Ciuitate Dei, tam multis (inquit obijciens) ineptijs, ignorantijs, gerris, anilitatibus, & figmentis fartum, vt videatur vna perpetua somniantis exerratio: inter alias nugas, quarum specimen exhibet etiam Ludouicus Viues in præludio suorum Commentariorum in idem opus, præcipuas has quinque profitetur obijciens se selegisse, primam ad caput 4. libri 2. Atyn violantem votum sacerdotij sui erga Deam Berecinthyam, ab ea in furorem actum seipsum exsecuisse: secundam ad cap. 26. eiusdem libri, Syphoniacos dictos esse, qui Deæ imaginem syphonibus in eam à posteriori parte intortis reuerebantur, à sybilo, B. in T. commutato, cum tamen iuxta alios syphon meliùs accipiatur de aqua pedum, quam in aram Deæ, iuxta Iuuenalem, mingentes spargebant, Tertiam ad cap. 6. & 8. eiusdem libri Deæ, sacra phrygalia dicta esse à Phrygia, vbi Dea colebatur, & etiam fugalia à fuga, in quam faciles erant Phryges timidissimi, sicut dictos eiusdem Poetas canentes alios tragicos, alios comicos à *Comis* id est Pagis, & ab Odis, id est cantibus, ob villanos eorundem cantus per Pagos, & Villas in delatione simulacri Deæ, seu etiam dictos Comicos, vel comędos à comedere, & comestione, quę præmittebantur. Quartam ad cap. 13. eiusdem libri 2. ad ea verba Augustini (*ò animum Germane Romanum*) ly Germane idem esse ac *altè vel immaniter, nam Germani habent alta, & immania corpora*: Et demum Quintam ad cap. 15. eiusdem libri ad ea verba Augustini (*Flaminem Apice teste in Romanis sacris excellentissimo*) ly Apice *esse nomen cuiusdam Historiographi, seu scriptoris Romanorum*, cum tamen iuxta alios linum vel lana sit apicis materia, quem apsum Flamines deferebant,

rebant, præter alia minutiora, quæ obijciens exſcripſit, ſed, vt video, nullis, quæ haberet, additis impugnauit.

Sextò tandem, vt arguit §. 93. (omiſſo de quodam placito Suarez, de quo repetit infra §. 142; de Molina, de quo ſupra actum eſt, & de immediata conuerſione Aquæ in ſanguinem iuxta Coninch, de quo ſuperabbunde egit Eminentiſſimus Capiſuccus in tomo Variarum, & de Coſma Philiarco opinante in apparitionibus ſacramentalibus abſcedere Chriſtum, ideoq; incurrente diffi. cultatum editionis Operis apud fidei Quæſitorem in Tuſcia, vbi noſtri Quæſitores non ſunt, quamque opinionem impugnat ex propoſito Fräciſcus Collius lib. 4. de Sanguine Chriſti cap. 9. & 10) his, inquam, omiſſis, inquit obij. ciens, *Cum Minorita quidam in concionibus dixiſset, in quodam ſuo Cœnobio haberi guttas ſanguinis Chriſti patientis inſperſas alicui materiæ è terra ſancta aſportatæ, confeſtim inis Dominicanorum clamor cælo, & confeſtim decreta eſt damnanda ſententia admittẽs aliquem Chriſti ſanguinem eſſe in terris reſiduum. Turrecremata ad cap. Inuitat, de conſ. diſtinc. 2. ei ſententiæ inuſsit notam erroris in fidem, ſuum faciens virulentum ſenſum Ioannis de Poltaco. Sed Eccleſia per Pium II. nigrum illud Theta eraſit.* Et, vt infra addit Diatriba 6. §. 106. in eandem rem (licet transmutet ipſe Clementem VI. in V.) *inde Eimericus conuincitur finxiſse Bullam Clementis V. circa Sanguinis Chriſti controuerſiam velut definitam in fauorem Ordinis Prædicatorum contra Minoritas. Nam hanc eſſe apertam Eimerici impoſturam inde liquet, quod Pius II. in Diplomate Anconæ dato, biduo ante mortem, teſtatur neminem ſuorum prædeceſsorum quidquam in ea cauſa definiuiſse.* Ex his ergo non immerito vniuerſim ignorantiæ argui Dominicanos concludit, quia, inquit, *nota ignorantiæ eſt præpropere damnare, vt etiam Ariſtoteles obſeruanit.*

In oppoſitum tamen plerique ignorantiæ culpati Prædicatorum Ordinis Profeſſores, ab iſto conuitiatore de more, valerent breuiter reſpondere illis Hieronymi verbis epiſt. 51. ad Domnionem: *non eſt grande de Mundo ferre ſententiam, hic bene dixit, ille male, iſte Scripturas nouit, ille delirat, iſte loquax, ille infantiſsimus eſt. Vt de omnibus iudicet, cuius hic iudicio meruit? contra quemlibet paſſim* (vt criminator hic præſtat) *ſtrepere, & congerere maledicta, Scurrarum eſt, & Paraſitorum &c. Sed & nos didiſcimus litteras, & nos ſæpe manum ferulæ ſubduximus: de nobis quoque dici poteſt, fœnum habet in cornu, longe fuge.* In noſtrorum quoque ſcholis didicerunt, qui inter primos (quos idem commendat, nec ſanè immeritò, infra Diatriba 9. fermè per totam) ſub noſtrorumque diſciplina adfuere ſine dubio Toletus ac Maldonatus, Soto noſtri diſcipuli, cæterique aliorum in Hyſpania publicorum ex noſtro Ordine Profeſſorum, adeo vt liceat tandem in eundem alioquin proſcripti nominis accuſatorem concludi cum eodem Hieronymo epiſt. 75. ad Vigilantium: *tibi ne ſoli licet, ſcientiſsimum caput, de cunctis tractatoribus ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula alios eÿcere de Bibliothecis, alios recipere, & cum tibi placuerit nos vel catholicos, vel hæreticos pronunciare? non eſt ſane, non eſt eiuſdem hominis, & aureos nummos & ſcripturas probare, & deguſtare vina, & Doctores intelligere ſeu iudicare.*

Reſpondeo & hic iniuſte nimis ineptiarum, aut ignorantiæ pleroſque illius Dominicani Ordinis accuſari ſcriptores, in quo prę cęteris floruiſſe doctrinas ac litteras, præter præadducta mox ante, & hæc, quæ ſequuntur, oſtendunt. Sabellicus enim ſcribens ad annum circiter 1490. Æneide 9. lib. 8. ab initio,

prætermissis omnibus Cænobijs Dominicanorum, quæ iuxta Byzantium, in Armenia, aut Æthiopia, alibique tunc erant, sua adhuc ætate testatur ex nostro instituto *adfuisse Cænobiorum 4143. in quibus Fratres numero 6200. quorum mille quingenti essent sacræ Theologiæ Magistri.* Fernandez in concertatione prædicatoria mille, & triginta Dominicanæ Familiæ scriptores in omni facultatum genere eruditis voluminibus iam celeberrimos, enumeratis eorundem operibus, repræsentat, licet quamplurimos iterum, tum veteres, tum recentiores prætermisisse noscatur. Petrus Louvet alter in Gallia scribens ex octo tabulis graphicis, quibus complexus est sæculi superioris Historias Dominicanorum, obseruauit solum ab anno 1500 ad annum 1600. edita esse centum supra mille volumina à quadringentis nostrorum scriptorum, inter quos vnus Summus Pontifex, sex Cardinales, septem Archiepiscopi, vnus Patriarcha, viginti Episcopi, quindecim Inquisitores, sex Magistri Sacri Palatij, totidem Generales Ordinis, ducenti Doctores recensentur, vt ex vnius prædicti sæculi monumentis intelligas, Lector, quot alijs nihil illo minus eruditis, quibus stetit, floruitque Religio, volumina edita supputari queant. Nouissime noster Ambrosius de Altamura in recenter edita sua Bibliotheca Dominicana distributa per singula quatuor Ordinis sæcula (omisso hoc nostro, quo viuimus, & quo tot vltrò elaborata à nostris ætate nostra erudita volumina prodierunt) vel in primo dumtaxat sæculo, seù in prima nec integra Centuria, vix nascentis Ordinis, supra ducẽtos nostros celebriores nominatim scriptores exhibet designatis pluribus eorundem operibus, præter alios, quorum cum nominibus scripta, tum antiquitate temporis, tum nostrorum incuria perierunt. Inde ampliorem longe in subsequentibus sæculis eorundem Doctorum vel Auctorum numerum ex integra eiusdem libri Lectione colligendum, in præsenti nobis supputare non vacat. Ex Ioanne Garsonio dumtaxat apud Leandrum impresso, in libro 4. (etsi nec iste nisi ad medium sæculi supra millesimum quadringentesimum scribat) satis erit eorundem, ne dum copiosissimas classes, verum etiam in singulis facultatum generibus iustas laudes vestigare, vbi nimirum singularum in singulis titulos seù cathalogos habet, titulum quidem primum inscribens: *Virorum illustrium Ordinis Prædicatorum scripturā dilucidantium*, secundum *Virorum illustrium nodos Theologiæ soluentium*, Tertium *Sacri verbi Oratorum seù concionatorum*. Quartum *Illustrium in morali Doctrina*. Quintum *illustrium in diuersis*. Sextum *Illustrium in iure Canonico*. Septimum *Illustrium in Historijs*. Octavum *Illustrium in Philosophia*. Nonum *In Oratoria*. Hæc satis ille, vt monui, per duo dumtaxat priora Ordinis sæcula cum dimidio, vsque ad medium sæculi supra millesimum quadringentesimum scribens, post quæ tempora adhuc, vide quot ferè in singulis disciplinis nostri Scriptores Ordinis excelluerint? ne sciolus fortasse aliquis arbitraretur nos, vel de D.Thoma, vel de Alberto Magno tantummodo (quos nemo sanè hactenus exæquauit) aut de celeberrimis alijs nostris antiquioribus huiuscemodi gloriari. Quis quæso (vt inde de posterioribus disseramus) quis, inquam, celebrior post Vgonem, Pagninum, aut Oleastrum, in elucidandis scripturæ locis, vel Ludouico Soto, vel Maluenda, & huiusmodi? quis Sixto Senensi in apparatu ad easdem scripturas, præter Ciaconum, cuius Bibliothecam Posseuinus absoluit? in locis communibus theologicis, quis Melchiore

Digitized by Google

chiore Cano? in promptuario pro Concionatoribus, quis (post Cardinalem Hugonem etiam à Iugulares in Aracne Rhetoricæ in eandem rem commendatum) nostro Rainerio, Lanusa, Lopez, Pachiuchelio & alijs? pro Rhetorica sacra, Forerio, pro Asceticis Granatensi, præter Vmbertum, Enricum Susonem, Taulerum, & antiquiores cæteros? pro Polemicis aduersus hæreses, Grauina præsertim, præ Grisaldo, Cœffetteo, Rotero, & huiusmodi alijs; pro Philosophia Peripaterica, Iauello, Flandrensi, Masio, Soro ac tot cæteris; pro imitatione Ecclesiastici Declamatoris, Lorino, Hebræo, Carafa, Campana, Sgambati, Zacchia, Nicolao Lepori, & pro Theologia tandem scholastica (quod caput est.) quis rogo, post Capreolum Thomistarum Principem, post Caietanum ingeniorum phœnicem, & post innumeros subsequentes alios, ipsi Ioanni à S. Thoma, vel Petro de Godoi succedenti eidem anteferri potest? Quamobrem ergo (dicerent & nostri hic in accusantes de ignorantia seipsos, cum D. Hieronymo epist. 75.) *Quamobrem non desinitis alios lacescere, & voluminibus vestris* (quæ iactatis) *obruere? Parcite saltem nummis vestris, quibus notarios, Librariosque conducentes, eisdem & scriptoribus vtimini, & fautoribus, qui vos ideo forsitan laudant, vt lucrum in scribendo faciant. Quid forsan* (hæc non nostra verba sunt sed Arnobij lib. 2. aduersus gentes) *quid vos soli sapientiæ conditi, & intelligentiæ vim, & nescio quid aliud videtis, & profundum? soli non intelligitis nugas esse hæc omnia nostra? vnde quæso est vobis tantum sapientiæ traditum? vnde acuminis, & viuacitatis tantum? vel ex quibus scientiæ disciplinis tantum cordis assumere potuistis? quia forsan per casus & tempora declinare verba sciuistis & nomina, quia voces barbaras solecismosque vitare, quia numerosum & instructum, compositumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre. Quoniam porro silentium & ex aduerso & rusticitatem nobis obijcitis* (subdit Nazianzenus Gregorius Epistola ad Celeusium, vt obijcit apposite nobis & iste §. 94. iniunctum de ardentioris olim controuersia silentium) [age fabulam minime inscitam atque à musis alienam narrabo, vt experiar, num hac saltem ratione inopiam istam loquacitatis compescere queam. Cycnos quondam cauillis insectabantur hirundines, quod nec cum hominibus consuetudinem haberent, nec canendi artem in publicum proferre vellent; sed circa prata solum & flumina canerent, ac solitudinem amplecterentur, nec breuiter solum canerent, sed id etiam, quod canerent, sibi ipsis canerent, perinde atque ipsas musicæ suppuderet. Contra nostræ (inquiebant) sunt vrbes, nostri sunt homines & thalami, garrituque nostro mortales delinimus, fortunasque ipsis exponimus, nimirum vetera illa & Attica, Pandionem, Athenas, Thereum, Thraciam, Peregrinationem, affinitatem, contumeliam, linguæ exectionem, prætérque omnia, Itym, & quomodo ex hominibus in aues mutatæ sumus. At Cycni earum garrulitate offensi vix quidem eas dignas duxerunt, quas alloquerentur; vt autem eo adducti sunt, At ò præclare (inquiunt) in solitudinem quoque ne quispiam concesserit, vt musicam nostram audiat, cum zephyro pennas nostras inflandas permiserimus, iocundum quoddam & concinnum modulamur. Quocirca, si non multum, nec apud multos canimus, illud certe in nobis præclarissimum est, quod modum in canendo tenemus; homines vero vos in ædes admissas fastidiunt, & canentes auersantur, & sane iure optimo, quippe quæ ne excisa quidem lingua silere queatis: Verum ipsæ ad ipsum vocis vsum, calamitatem-

que

que vestram deplorantes quauis alia aue, qualibet lingua volubili & canora loquaciores sitis.] hactenus de fabula, nunc ad historiam, seu ad institutum suum eandem fabulam sic adaptare prosequitur Nazianzenus ibidem: *Intelligitis, inquit, quid loquimur (vt Pindarus ait) proinde si nostram quoque taciturnitatem facundia aliena præstantiorem comperietis, silentio nostro inepte obtrectare desinetis; alioquin prouerbium dicam non minus verum quam breue: Tum videlicet cantaturos Cycnos, cum graculi tacuerint.* Hæc Nazianzenus, præter quæ addit Irenæus lib. 3. cap. 1. Sic etiam Gnostici (inquit) *se non solum Presbyteris, sed & Apostolis sapientiores dicebant, sinceramque adinuenisse veritatem*, vel saltem ita superbiunt vt illi, *qui* (vt aiebat Theodoretus lib. 1. historiæ cap. 4.) *neminem volunt ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illos, quibus nos ab ineunte ætate vsi sumus præceptoribus, sibi pares existimari sinunt: Immo vero nec vnum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam peruenisse censent, sed se solos ipsos sapientes, & sibi solis ea doctrinæ patefacta esse mysteria, quæ in nullius vnquam sub sole cognitionem ac mentem venerunt, arbitrantur:* Et tamen huiusmodi obtrectatores aliorum, seu inuidentes principatum in scholis delatum Sancto Ecclesiæ Doctori, vel obloquentes de censoribus Romæ librorum (vt fit Diatriba 9. per totam) hos, inquam, merito corripiebat prælaudatus mox ante Nazianzenus Oratione de moderatione in disputando adhibenda: *Turpe est profecto* (inquit) *cum in veste ac victus ratione non magnificentiam sed vilitatem amplectamini &c. in diuinis disputationibus principatum & tyrannidem vobis vendicare, nec cuiquam omnino fasces submittere, ac super omnes leges Doctores supercilium attollere, vbi humilitas non solum gloriam habet sed securitatem. Quid est ergo, & quam ob rem graue & intollerandum putatur* (vt diatriba 9. conquerendo supponitur) *si non in omni disputatione eam nemini, atque in omni quæstione & problemate primariam sedem obtineatis:* Vestra nos forsan *authoritas* (vt Hieronymus subiungebat Epist. 51.) *authoritas, inquam, opprimere potest, docere non potest*, seu quod de ignorantia *damnemur, non ista ratio, sed conspiratio. Miror enim non erubescere Monacos, ut sibi uidentur, disertos, quorum de ore venenes fluunt, qui tantæ in sermocinando elegantiæ sunt, vt comico sale, ac lepore conspersi sint, lustrare nobilium domos, harere salutationibus Matronarum, & postea Religionem nostram Paganam* (seu in loquendo Barbaram ignauamve) *facere, & fidem Christi contentione torquere verborum. Veruntamen* (vt concludit Augustinus lib. 3. de Trinitate) *Sicut lectores nostrorum nolumus esse nobis deditos, ita correctores nolumus sibi. Sicut illis dicimus, nolite nostris litteris quasi canonicis scripturis inseruire &c. ita istis dicimus, nolite nostras litteras ex vestra opinione vel contentione, sed ex diuina lectione vel inconcussa ratione corrigere.*

Ad primum igitur de Gofrido Viterbiensi, quem Trithemius Presbyterum tantum agnoscit, & Posseuinus addit *aulæ Imperialis sacellanum* fuisse, quia tamen ex nostris Bernardus de Lucemburgo, Plodius, & cum eisdem nouissime Altamura ad annum 1375, nostrum fuisse concedunt, præstat præaudire Trithemium ab ignorantiæ nunc imputatæ calumnia sic vindicantem eundem: *Ingenio*, inquit, *præstans, & clarus, metro exercitatus et prosa, scripsit non spernendæ lectionis opuscula, quibus memoriam sui posteris reliquit: E quibus extat grande volumē ad Vrbanum Papam III. carmine & soluta oratione mixtum, de Mundi principio, et ætatibus Mundi, temporibus, gestis, ac historijs omnium Regum, quod prænotauit Pantheon.* Hæc Trithemius, ex quibus habes rationem tituli, quem obtrectator

noster

noster irridebat, nempe dignoscis idcirco *Pantheon* inscriptum esse, quia scribendo de temporibus & gestis omnium Regum, simul de omnibus gentium Dijs, quos ijdem diuersi Reges ac populi excoluerant, agendum erat, & hinc velut aceruus omnium, quæ in mundo contigerant, inscribebatur. De veste vero Christi hos versus habet elegantiores sane, quam ratio illius temporis pateretur.

Mittitur e cælo puero dignissima vestis,
Hac inconsutilis miro colore fuit,
Hanc Pater e cælo misit, non fœmina neuit,
Longa fuitque breuis, puero crescenteque creuit.

Profecto cum simul Poetis addere, aut fingere quædam pro ornatu, seu mirabili simul ac delectabili descriptione rerum condonetur, non adeo ista incredibilia (quæ possibilia Verbo sine dubio fuerunt) seu deridenda visa fuissent, si subsannator expendere voluisset, tum quæ fuse refert Tostatus Abulensis de Mirabilibus alijs circa Christi vestes paradoxo 5. cap. 17. & cap. 33. & alibi, tum quæ post Robertum Abbatem in Euangelium Ioannis, & alios author etiam Societatis Iesu Ribadineira in Festo Præsentationis de veste Christi in Passione repetebat, *eam vestem*, inquiens, *puerulo Iesu Mater proprijs manibus texuerat & paruulo eius corpori aptauerat*, tum quod Tertullianus lib. de carne Christi loquens de operationibus omnipotentis aiebat, *Prorsus credibile est, quia ineptum est, certum est, quia impossibile est*, scilicet creaturæ, tum quod similiter 3. Regum cap. 19. habetur, *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit*; tum quod prælaudatus Abulensis in cap. 8. Deuteronomij q. 1. id manifeste de vestibus Israelitarum in deserto asserit & confirmat dicens: *Erat quoque mirabile quod crescentibus eis uestes quoque crescebant, alias qui paruuli de Ægypto exierunt paruis induti uestibus, cum ad maiorem corpulentiam attigissent, uestes non haberent, quod uidetur inconueniens, quod nudi incesserint, cum dicatur, quod nihil eis defuit*: Hæc Magnus ille Abulensis à Bellarmino laudatus, quæ postea recognoscens paradoxo 5. cap. 17. addit: *De hoc, cap. 8 Deuteronomij & c. iam horum causæ latius à nobis ibi inductæ sunt. Si ergo in uestibus Iudæorum tanta fuit diuina dignatio & c, quanto uerisimilius in uestibus Saluatoris nostri dicendum erat accidere debuisse?* An ergo quod Tostatus in theologico suo opere scripsit, non potuit Godefridus noster in poetico suo carmine imitari? an id vocanti è contra *commentum ineptum*, scilicet potuisse præstare Deum, vt mirabiliter excresceret Christi vestis, quo operante quotidie vel dumeta concrescunt, non posset forsan in simili cum Augustino reponi vel repeti trac. 24. in Ioannem, *Vnde multiplicat Deus de paucis granis segetes, inde et in manibus suis multiplicauit quinque panes. Et tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est.* An non incomparabiliter ineptum fuit (quod in libro Pozæ Romæ damnato proscriptum euasit) corpus Christi caruisse & vesica fellis, & liene, & saliua, nec varia ætatum temperamenta tulisse, & pro cibo ambrosiam habuisse, hincque nec senectuti, nec infirmitatibus, nec morti naturali fuisse subiectum, vt singula hæc ex eiusdem operibus transcribit Granina in Cherubin Paradisi lib. 5. cap. 2. & ex Sanctis Patribus ex professo cap. 4. ac erudite de more, præsertim ex Concilio Constantinopolitano 6. actione 11. sub Agathone proscribit.

Ad

Ad secundum de Bernardo à Lucemburgo, qui D. Vincētio Ferrerio in officio Mag. Sacri Palatij immediate succedere meruit, simulque à Trithemio & Posseuino in hoc opere laudatur: *Vulpem* dici *à uolando* scripsit (non diffitemur) sed ita prædocuit Varro, qui *omnium latinorum peritissimus qualis apud Græcos Homerus* ab Augustino lib. de Ciuitate Dei nuncupatus est, idque ex Varrone eodem vel tyrunculi in Lexicon latino legunt Littera V. ijs conceptis verbis, *dicta uulpes, apud Varronem, quasi uolipes*. *Arnaldistas quoque*, addit Lucemburgensis *se nescire qui fuerint*, cum tamen de Arnaldo subijcit. Quid inde? An, omisso duos Arnaldos hæreticos extitisse, alterum Arnaldum à Brixia Abailardi sectatorem, alterum Arnaldum à Villanoua, si non hæresiarcham, saltem hæreticum; An, inquam, Arnaldi hæresiarchæ nomen, patriam, ætatem, ac cætera nosce non potuit, & tamen ignorare nomen ac cæteras conditiones (vt vocant) indiuiduales sectatorum Arnaldi, eosque tantummodo sub communi Arnaldistarum agnomine pręterire? quemadmodum etiam plerisque notissimum est quinam Lutherus fuerit, & tamen quinam singillatim pręcipui Lutherani extiterint, non æque omnibus manifestum est. Gaianitas porro tum hoc nomine, tum addititio altero, siue corrupto (quemadmodum in vsu est & sicut olim Manichęi dicti sunt Menechini) siue in eorundum dedecus immutato, vt Tiberius Claudius etiam Biberius Caldius nuncupatus à plebe memoratur, sic, inquam, hos Gaianitas simul duplici hoc nomine referebat dicens: *Gabaonitæ vel Gaianitæ appellati à Gaio qui temporibus Iustiniani Principis fuit*. Hæresis rursus Antromorphitarum tres distinguendos status, alij longe eruditiores obseruauerunt, duos extremos ab eodem Bernardo agnitos, & intermedium alterum implicite indicatum; & primus est, cum primo in Syria hæc hæresis exorta est anno 395. Authore Audęo sub Siritio Papa, & Theodosio seniore (ex Nicephoro lib. 11. Historię cap. 14, & Baronio ad annum 341) secundus, cum in Ægypto velut antea dormiens rursum excitata fuit anno 402. sub Anastasio Papa imperantibus Honorio, & Arcadio filijs Theodosij (ex eodem Nicephoro lib. 13. cap. 10.) Tertius, & postremus status, cum rediuiua recruduit in Paduana Prouincia anno 954. sub Agapeto Papa, & sub Berengario Imperatore (vt noster Bernardus loquitur) seù potius Tyranno, quem Otho legitimus Cęsar redegit in Ordinem (ex Prateolo hęresi 52. & alijs) & de hoc statu, dum pręcipue noster Bernardus loqueretur, scripsit, postremos hos eiusdem hęresis sectatores cępisse ad annum 954, sed Typographus (vt sępe contingit) seruatis solum eisdem litteris numeralibus, eisque transpositis, sic falso mutauit ac posuit annum 549. At verè iuxta Lucemburgensis mentem (quidquid irrideret Alphonsus à Castro lib. 5. V. Deus hęresi 2.) hinc benè stat istos postremos Antropomorphitas sub Agapeto, & Berengario cœpisse, hęresimque (licet non homines istos) resuscitatam ab ipsis impugnatorem habuisse Theophilum Alexandrinum in secundo statu eiusdem, vt Cassianus longe posterior Theophilo in Collationibus referebat, idque recitauit tantummodo ex eodem Cassiano noster Lucemburgensis (vt Castro fatetur) nunquam verò, vti nunc Auctor Diatribarum imponit, opinatus est, Cassianum cum Theophilo eidem hęresi restitisse, vt videas singula, quę mirabundus amplificabat hic Auctor Diatribarum, velut deludentium spectra continuo in cineres desijsse. Nec minus facile erit Lucemburgensem

eundem

Digitized by Google

eundem à leuioribus longe Alphonsi de Castro obiectionibus vindicare, dum (præter dilutam iam ex lib. 5. V. Deus, hæresi 2.) lib. 1. cap. 9. opponebat, tum quod in hæreticorum Cathalogum idem Bernardus retulisset Papiam Hieropolitanum, Præpositivum, & Porrectanum, cum tamen in suis erroribus ab Ecclesia damnatis, dum viuerent, pertinaces non mansherint, tum quod in eorundem hæreticorum numero collocarit Auerroem, & Auicennam, qui non hæretici (sicut nec Christiani) sed Maumetani fuere. Non operosum, inquam, erit & has Alphonsi criminationes refellere, aut retorquere, dum (vt de priori dicam) longe peius Alphonsus ipse ob temerè dehonestatum in numero hæreticorum Eminentissimum Doctrina ac purpura Caietanum ab Hyspana Inquisitione correptus fuit (vt supra retulimus) & quo ad secundum, immo ex minus accomoda definitione hæresis tradita ab eodem Alphonso lib. 1. cap. 1. *heresim esse Dogma falsum fidei Orthodoxæ repugnans*, vtique sequebatur (vt inquit Cano lib. 12. cap. 8.) hæreses etiam esse *errores Iudæorum, Saracenorum, & Paganorum*, ideoque idem Cano, tum eodem cap. tum sequenti distinguit de hæresi latius dicta (quomodo quælibet secta apud Græcos hæresis nuncupatur) & de hæresi strictè ac proprie, quomodo, inquit, *hæresis est illius, qui fidem professus fuerit, pertinax error illi veritati manifestè contrarius, quæ Catholica certo sit*; hisque præmissis (vt aiebat Vincentius noster Tolosanæ Prouinciæ scriptor) *si licuit D. Hieronymo scriptoribus Ecclesiasticis accensere Philonem, ac Iosephum iudæos, quod hic de Christo honorificè, ille de sancta conuersatione Christianorum Alexandriæ in Ægypto scripserit: quid mirum à Bernardo adnumeratos Auicennam; & Auerroem inter hæreticos, qui (post millesimum annum ab ortu Christi) impie in Trinitatem scripserunt, aliaque fidei mysteria impugnarunt?* vti reipsa duodecimo præsertim libro Metaphysicorum in Auerrois commento videre est: an non ergo longè peius hallucinatus est Alphōsus ipse de Castro Sacri Ordinis Minorum, tum deturpando Caietanum, vt vidimus, tum lib. 5. V. Deus hæresi 2. eandem hæresim Antropormophitarum supponens exortam sub Damaso Papa ad annum 385, eum tamen, ex Nicephoro, orta sit anno 395. decem post annis ab obitu Damasi, tum in operis calce protestatus se omnium hæreticorum nomina præsignasse, proinde Arnaldum à Villanoua, quem inter hæreticos non nominauit, absoluens ab hæresi, etsi hæreticum, si non etiam hæresiarcam, fuisse Prateolus cæterique consentiant, tum hæresim ipsam (quæ totius operis thema erat) adeo minus accomode definiens ab initio operis, vt Iudæi, & Pagani simul hæretici nominarentur, & essent, tum alibi alijs adesspitans exerrationibus, & tamen nostrum Lucemburgensem, quo nullus anterior (vti in additione Trithemij obseruatur) pertingentem vsque ad Lutheri hæresim, hæreticorum Cathalogum adeo completum absoluit, (ne proinde ex eodem proficere videretur, vt vetè profecit) eundem depretiare non destitit ac criminari, præsertim lib. 5. illis verbis, quæ ob modo suas indicat as hallucinationes, sibimet idem Castro præcanere potuisset, alijque nostri eidem non immerito reposuere: *hæc coactus sum digito ostendere, partim amore veritatis allectus, partim in calore iracundiæ accensus: cum videam quosdam adeo futiles, & profusos pronunciando, & in scribendo, vt quicquid legerint etiam apud quemcunque, nulla facta rerum indagine, statim transcribant, & coram tota multitudine magna cum fiducia pronuncient, satis sibi esse putantes, quod apud alium quempiam legerint.* Hæc Castro ibi, cæte-

rique in ipsum. Quemadmodum (Rufinus hic inuectiua prima concluderet) *quemadmodum, si quis furti alium incusans, postea quam latè perorauerit, & magnificè fuerit inuectus in furem, post hæc omnia furtum ipsum, pro quo alium se conuicisse putauerat, de sinu eius extrahatur.*

Ad tertium de Paulo Grisaldo, hæc verba Posseuini præmittam tomo 2. Apparatus sacri sub Littera P. *Paulus Grisaldus Perusinus Professor Theologiæ Romæ & sui Ordinis Prædicatorum Prouincialis, edidit decisiones fidei Catholicæ ex sacrarum scripturarum, Conciliorum, Patrum, Doctorum, Scholasticorum fontibus, ac sanctorum gestis deductas, & in vnum Alphabetico Ordine collectas:* Hæc ille, ex quibus, si ordine Alphabetico littera A. præcedit M. & syllaba Pau: antecedit Pro: & Theo: quid mirum hoc eodem ordine Alphabetico (non Chronologico) ab eo Grisaldo antepositum fuisse Anastasium Sinaitam Methodio,& Paulum Diaconum Proclo,& Theophilacto? hæc ne *Grisea* accusati *supinitas*, vel potius accusatoris dicenda est? An vltro non potuit (sicut & contigisse iam antea dicebamus) Typographus transpositis tantummodo numeris ponere Paulum Diaconum ad annum 538. pro anno 358. quo ab Auctore locatus erat? An post Anastasium Sinaitam florentem anno 561. floruisse quoque sanctum alterum Methodium Cōstantinopolitanum Archiepiscopum & Scriptorem anno 842, post longè anteriorem alterum Methodium Martyrem sed non scriptorem obeuntem anno 302. (quorum priore Grisaldus vsus est) teste Baronio non constat? An Paulum alterum Neocæsariensem (de quo solo Grisaldus loquutus est, malè ab aliquo minus perito Correctore addito illo *Diaconi* titulo) an, inquam, claruisse non habetur apposite istum anno 358, alterum vero Paulum Diaconum anno 770. (quo anno ductus est captiuus ab Italia in Galliam) Proclum vero floruisse anno 426, & Theophilactum vel anno 842. ex Sixto Senensi,vel ex Panuino 883, vel ex Baronio 1071 extitisse? An tandem ex huius postremi Theophilacti ętate in quorumcunque sententia iunioris longe post Paulum Diaconum, Anacronismi vtrique pueriIis, (qualis Grisaldum nostrum criminabatur) auctor ipse Diatribarum contra supponens Proclum fuisse antè Theophilactum, non plane conuictus est? An non concluderet lib. 2. in Rufinum Hieronymus? *sic iniquus censor eiusdem criminis reus, alios de senatu pellit, alios in Curia retinet;* dum nostros insontes damnat, Alphonsum vero mox ante eiusdem criminis reum, & seipsum, eodem Anacronismo, quo peccauit, absoluit?

Ad quartum de Abrahamo Bzouio, etsi referenti aduersario fuisse permixtam eam prius in altero Annalium tomo Pseudo historiã Tridentini Concilij à Marco Antonio de Dominis evulgatam, nec fides habenda esset, (cum toties impostor deprehensus sit) & rursus ea ipsa narratione permisa, ipsemet Bzouius fuisset,qui eãdem sibi suspectam denuò recognosci, explodiq; proinde curasset; adhuc dato verè aliqua decerpsisse (vti & nuper decerpsit Bail Parisiensis tomo 1. conciliorum pag. 790. vsque ad 792. & tom. 2. pag. 168. & alibi) eo quia iuxta Varronem in Lege Mœnia, *sicut in bona segete, neque nullum est spicum nequam, ita neque in mala non aliquid bonum,* & ex Hieronymo in epist. ad Minerium, *etiam in terra aurum quæritur & de fluuiorum alueis splendens glarea profertur,* fortasse tamen & illa decerpta prius (ne imperfecta alioquin historia maneret) re perpensa maturius in secunda recognitione omissa fuerunt.

runt. De opusculo vero de Sanctis Medicis (quod hucusque videre non licuit) certum est similem transformationem Ioannis Mansur in Ioannem Mesue reprehensam antea legi apud hæreticum Gesnerum V. Ioannes Damascenus, transformatoris nomine prætermisso, ex quo hæretico forsan Diatribista transcribit: sed vere à neutro hæc transformatio probatur, cum nec sit ab aduersario probata distinctio, neque identitas verisimilis admodum in re tam obscura, tum ex agnomine vix differente, & in vna Littera, aut altera fortasse corrupto, tum ex Damasci Patria, nomineque communi, neque hæc, inquam, identitas, vel leuiter reprobetur, nec rursus hæc maior transformatio fuisset, ac ea sit, qua idem auctor Diatribarum in hoc ipso §. nomen Petri Suauij Pseudo Historiæ Tridentini præfixum in Suauium Paulum transformauit, vbi si Paulum (qui sub larua latebat) indicare cogitabat, non Suauium tunc, sed Paulum Sarpium scribere debuisset. Verum reipsa (vt redeamus ad pensum) Ioannem Manzur à Pseudo Synodo 7. nominatum, ac repetitum in vera Synodo 7. generali actione 6. in fine tomi 6. putari eundem cum Ioanne Damasceno, notat ex Baronio ibidem Bail Parisiensis in margine, tomo 1. Conciliorum pag. 367. quem videre sufficiet. In Annalibus porro, nec vel vnum ab aduersario producitur, quod à Bzouio omissum, à Spondano subinde, aut Oderico in Dominicanorum dedecus subiunctum sit, neque vel alterũ afferri potuit assertum à Bzouio de Minoritis, quod ab ijsdem omissum fuerit, cuiusmodi sane illud de Beguardis iam supra perpensum, vel de Fratre Bertoldo, quod repetit omnino Spondanus ad annum 1344. num. 4, vlterius vocans eiusdem *tartarcum inuentum, qui*, inquit, *si rebus sacris & religionis suæ cultui tam operam dedisset, quam alienæ scientiæ, non hanc pestem in orbem inuexisset*. De morbo demum morientis subtilium Principis (me quidem iudice, educta ea fabula ex altero longe antiquiori Scoto eo modo obeunte, descriptoque à Crinito lib. 24. cap. 11.) satis olim pro Bzouio occurrebat Apologista eiusdem affixus ad calcem tomi 15, Thadæo Dermitio respondens, ac inter cætera dicens, id Bzouium retulisse (non obfirmasse) ex Paulo Iouio, ex Constantio Sarnano Minorita postea Cardinali in opere dicato Sixto V, Petro Cratepolio Minorita in vita Scoti, Thoscignano Minorita in Chronica sui Ordinis, Genebrardo in Chronologia, & alijs, quos idem Bzouius signatis locis adducit, adeo vt etiam Franciscus Macedo eiusdẽ Ordinis Scriptor nuper in prolog. tom. 1. suarũ Collationum in ipso sui eiusdem Doctoris elogio id indicare visus sit, dicens: *Accerrimus in vita disputator, etiam cum morte disceptare voluit: & mors subtilem timuit, & Scotus ambiguam reddidit: mors sibi præ metu constare non potuit; omnia Scoti, & in Scoto certa, præter vnam mortem*: Hæc ille, propter quæ tamen nec apud suos Macedo male habitus est, vti propter illa longe pauciora verba de re eadem recitata dumtaxat à Bzouio, in tomo 2. ad annum 1294. etiam à Carthagena nobili Franciscano recognito, & approbato, confingit postea Petrus à Sancto Romualdo, eidem silentium (vt à prosecutione Annalium abstineret) impositum à Paulo V. fuisse, cum tamen res vulgo comperta sit, post illum eundem secundum tomum, vsque ad septimum evulgatum tomũ processisse, nec cum exiguo Authoris elogio, quod satagentibus plerisque Patribus Purpuratis (qui in prima eiusdem præfatione ad Lectorem recensentur) & approbante eodem Paulo V. in scribenda historia ecclesiastica, inter

cæteros sui æui Scriptores, metuerit, vt Baronio succederet, designari. Hi sunt ignauissimi scriptores nostri, è quibus pro accusatione selectis obtrectator hic noster innurritum velut ineptijs, ac ignorantijs vniuersum Prædicatorum Ordinem dehonestat. *O labores* (exclamaret Hieronymus lib. 2. in Rufinum) *O labores hominum semper incertos? mortalium studia contrarios interdum fines habentia? Vnde nos putabamus benè mereri, inde in culpam vocamur ab isto, & nauseanti stomacho cibos ingerimus*. *Melius ergo* (adderet Augustinus epist. 89. ad Hilarium) *Melius exponant ista meliores, sed non isti, quorum nouimus sententias reprobandas* (quique soli ipsi putantes se esse *Deucaliones Orbis litterarij*, iuxta Hieronymi phrasim in Luciferianos cap. 9, sua sola proferrent) *sed alij, qui veraciter possunt*, vti reipsa Spondanus, & Odericus, post Bzouium, nec ab eodem discedentes, iure, & merito potuerunt.

Ad quintum de Thoma Valois simul cum Nicolao Treueth, primis (quos viderim) commentatoribus eruditissimi operis Augustini de Ciuitate Dei, *cum plenum ingenui pudoris sit confiteri, per quos profeceris*, profectò eisdem, qui glaciem in eo labore præfregerant subsequentibus, gratiæ potius referendæ erãt à proscripto Ludouico Viues, quam innectendæ dehonestationes, vt præstitit ad lib. 2. cap. 13, & 15, non minus ac irridebat in præfatione duos ex Ordine Minorum expositores eiusdem operis, Iacobum Passauanti, & Franciscũ de Mayronis, immo & Isidorum inter malos scriptores reponebat. Ex his locis, vt video, transcripsit hic Auctor Diatribarum præcipuas, quas affert, criminationes in eosdem, & licet eadem, quæ ab hoc nupero vt inepta ridentur, probata haberi in Ambrosio Calepino, in theatro Vitæ humanæ, & in Dictionario historico, à duobus è Tolosana Prouincia Apologistis præmonstratum sit, placet tamen & nobis aliqua hic saltem breuiter subnotare. Et primo quidem, quæ nostri Commentatores habent de *Aty*, ex Ouidio lib. 4. Fastorum eam narrante fabulam, præter Calepinum approbat reipsa & Viues in idem Caput dicens, *ob eam causam excisum esse Atyn &c. & virilitate diminutum, idcirco Deam & Sacerdotibus gaudere in eum modum deformatis*. Secundo, quæ de *syphoniacis* exponunt, relato Ouidio eodem lib. 4. Fastorum, & Isidoro lib. 4. Ethymologiarum, exscribit & Viues in idem caput afferens ex eodem libro Ouidij hæc Carmina

Protinus inflexo Berecinthya tibia cornu
Flabit, & Idea festa parentis erunt.

& plura nos addere possemus ex Apulæo lib. 8. metamorphosis, versus finem, vbi late hi Sacerdotes, ac cultus eiusdem Deæ Syriæ describuntur, ac inter alia de quodam eius ministro dicitur: *foris quidem circu gestantibus Deum cornu canens adambulabat*, dum scilicet, vt præmiserat, *per plateas & Oppida cymbalis, & Crotalis personantes Deam Syriam circumferebant &c. absonis vlulatibus constrepentes fanaticè &c. non nunquam morsibus suos incursantes musculos, ac postremo ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecantes*, & mox infrà, *tinnitu cymbalorum, & sonitu tympanorum, cantuque Phrygij mulcentibus modulis*, & plura alia ibidem de hac ipsa re consulenda. Licet vero Ethymon syphonis à sibilo, B. transmutata in F, in Commentatoribus nostris non reperiatur, id benè nunc lego in Calepino editionis Pazini Venetijs sub littera S. attestante similiter *Siflatores à Veteribus dictos, qui modo dicuntur sibilatores, & siflare dictum, quod*

nos

nos sibilare dicimus. *Sic Nonnius &c.* aliaque plura in hanc rem habet Thesaurus Nizzolij, de eadem voce Syphon, ex Plinio lib. 2. cap. 65. Columella lib. 3. cap. 10. Iuvenali Satyra 6. & alijs. Tertio quod *fugalia* quo ad originem nominis à fuga interpretata sint, & Viues ipse in cap. 6. hæsitabundus pro interpretanda hac eadem voce præmittit, *se non ignorare coniecturas veritate occultas bonas, eadem patefacta ridiculas plerumque esse, se tamen tentaturum &c.* & postea Varronem adducit libro de lingua Latina scribentem: *Iunio mense populi Fugia videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit Populus*; En *fugalia* & ipse dicta esse à fuga consentit; nec minus quod Comicos addant dictos *à Comis*, idest *Pagis &c.* & ipse Viues in cap. 8. assentitur dicens, *Comœdia dicta est à Vicis, Pagisque, in quibus agebatur &c,* & demum quod de *comestione* subiungũt, ex Apulæo loco citato fortasse collegerunt illis verbis: *probe disposita cœnula Balneas obeunt, ac dein lauti quemdam Rusticanum comitem Cœnæ secum adducunt etc.* Quarto quod *Germane* apud Latinos importans idem atque *sincere* è Germanorum conditione deriuatum existiment; licet ipse non laudem, cum tamen aliquis dici possit Galle Romanus ad connectendam cum fortitudine agilitatem, ita & dici potuit aliquis Germane Romanus ad designandam cum magnitudine animi & corporis firmitatem: Rursus cum ex S. Thoma p. p. q 13. ar. 2. ad 2. *In significatione nominum aliud fit quandoque à quo imponitur nomen ad significandum, & aliud ad quod significandum nomen imponitur; sicut hoc nomen lapis imponitur ab eo, quod lædit pedem, non tamen imponitur ad hoc significandum, sed ad significandam quandam speciem corporum &c.* Ita nostri Commentatores non negãtes quidem Germani vocem significare sincerum ac purum, seu vnumquodque in sua specie perfectum & excellens, id tamen ab æqualitate tum morum, tum corporum (ex Tacito) propria Germanorum, deriuatum esse putarunt (sicut & alias voces hoc modo latinæ linguæ accessisse notarunt ij, qui de origine tũ linguæ latinæ, tum Italicæ olim & nuper aliquid edidere) nisi velis potius ob propriam gentis indolem hoc nomen Germani econtra à latinis fuisse alteri genti appropriatum, vnde Tacitus opportune de moribus Germanorum aiebat: *Germani vocabulum recens & nuper additum &c. vt omnes primum à Victore ob metum, mox à se ipsis inuento nomine Germani vocarentur &c. ipse enim eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos, propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum quanquam in tanto hominum numero idem omnibus truces, & cerulei oculis, rutilæ comæ, magna corpora.* (& infra.) *in omni domo nudi ac sordidi in hos artus in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt,* (& iterum.) *Gens non astuta, nec callida aperit adhuc secreta pectoris &c.* Hæc Tacitus, è quibus, vt dixi, hi fortasse nostri arbitrati sunt vocem Germani, vel Germane, originem habuisse, non minus ac lapis *à lædendo pedem*, & sicut ridendus non esset, qui *lapidis* ethymon exponens diceret idem esse ac *lædens pedem*, licet determinatam speciem substantiæ corporeæ apud latinos importet, ita non adeo ridendi erant, qui exponentes dictarum vocum originem, à cõditione morum, aut corporum Germanorum deriuatam esse putarunt, & si nec ipsi nescirent quo ad rem significatam Latinis idem esse germanum ac sincerum vel excellens, purum vel in sua specie perfectum, quemadmodum ex Cicerone ostendebat & Viues, & lõge plura Calepinus adiungit, tum ex Cicerone, tum ex Festo, tum ex Teren-

tio

Google

tio in Adelph. inter alia dicente, *nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo*, ideſt in vtroque ſincere ſimilis, vel æqualis, qua de cauſa etiam ex eadem ſtirpe naſcentes ſolent germanorum nomine nuncupati. Quinto tandem quod ad caput 15. ly *teste Apice* interpretati ſint, pro ſcriptore aliquo Romanorum, nec putare vellem offendiſſe apud Senecam, tum in epiſtolis, tum in Conſolatione ad Albinam, eiuſdem fere nominis Romanum ſcriptorem Apicium, qui editis ſcriptis de re cibaria *ſcientiam Popinæ profeſſus diſciplina ſua ſæculum infecit*, vt loquitur Seneca eundem ponens ſub Tyberio longe anteriorem altero Heluone *Apicio ſub Traiano* memorato ab Athenæo & alijs Græcis, vt obſeruauit & Cælius lib. 5. cap. 30. quem veteriorem Apicium agendo forſan de cibis etiam in ſacrificio adhibitis, de Flaminibus, quorum erat ſacrificia offerre, tetigiſſe aliquid ſuſpicati ſunt: Adminus opinor huiuſmodi interpretes excuſabiliter ex eo deceptos eſſe, quod in textu Auguſtini (vt & nunc legitur in codice, quo ipſe vtor) cum littera A maiuſcula legeretur *Apice* tanquam perſonæ nomen, non *apice*, vti pro amictu Flaminum ſcribi alioquin debuiſſet, de quo præter adducta à Viues plura habet Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 12. inter alia dicens: *In pileo quod geſtabant Flamines, virgula oleaginea modicum lana habens in ſummo inſtar fungi inerat, & flamines quaſi filamines dicti ſunt*, & præter Flaminem ſupremum Dialem quatuordecim aliorum Flaminum inferiorum agnomina officiaque diſtinguit, (tam & ſi Auguſtinus ibidem de precipuis & priſcis loquens tres tantum flamines memorarit) Et Cerda in Virgilium 3. Æneidum ad verſum 394 ex Suetonio in libro de genere veſtimentorum addit, *Tria genera pileorum fuiſſe, quibus Sacerdotes vterentur, apicem, tutulum, & galerum, apicemque fuiſſe pileum ſubtile circa medium virga eminente; Tutulum, pileum lanatum meta figura: Galerum, pileum ex pelle hoſtiæ cæſæ*; hincque, vt putant aliqui, oues quaſdam *apicas* dictas, de quibus Plinius lib. 8. cap. 48. inquiebat: *In ipſa oue ſatis generoſitatis oſtenditur breuitate crurum ventris veſtitu; quibus nudus eſſet, apicas vocabat, damnabantque &c.* Sed ſtultus ego, qui immorer iſtis Criticorum Grammaticorumque tricis, quas deſpiciebat & Seneca Epiſt. 88. in Dydimi grammaticis libris, & licebit cuilibet experiri in vnius hiſtoriæ Cæſarum commentarijs à tribus commentatoribus editis, Grutero, Salmaſio, & Cauſabono, non ſemel inter ſe acriter dimicantibus pro appoſita ab altero in textu negandi particula, eraſa ab alio, & reſtituta à tertio, alijſque huiuſmodi diſsidijs velut pro aris ac focis adinuicem digladiantibus, cum tamen, vt Flaccus aiebat,

Nil agat interpres, qui litem lite reſoluit.

Quid ſi oſtenderem Ludouicum Viues, dum interpretis perſonam aſſumpſit in libros Auguſtini de Ciuitate Dei, ex aduerſo Auguſtinum ſæpiſſime reprobaſſe, vt locorum huiuſmodi ferme centonem efficere poſſem? Quis eum interpretis munus obijſſe defendet, dum inter cætera (omiſſis hæreſibus, quibus eiuſdem interpretatio ſcatet, vt infra afferemus q. 7. art. 1. ad 4, & indicatæ leguntur in cenſura Romana edita per Braſichelem) in libro 11. cap. 18. de quodam ibi Auguſtini dicto de anthiteſi rhetorica adhibita à Paulo, inquit, *Tolerabile eſt quia Auguſtinus dicit &c.* & lib. 15. cap. 11. *nimis*, inquit, *es ineptus Auguſtine &c*, quis hunc, obſecro, dicat Auguſtini interpretem, immo iuſtum cenſorem interpretum cæterorum? Nobis interim ſat erit de primis noſtris

duobus

duobus commentatoribus in Augustini librum de Ciuitate Dei, audire (vt alios nostros omittam) Ioannem Garzonium apud Leandrum lib. 4 dicentem, *Thomas Anglicus de Valois sacrarum litterarum Doctor scripsit super psalterium, super sententias, super Augustinum de Ciuitate Dei, tractatumque de statu animarum post mortem, & Nicolaus Treueth Anglicus egregius commentator psalterij, & nonnullorum aliorum librorum Bibliae, & librorum Augustini de Ciuitate Dei, neque his contentus laboribus scripsit nobilia commentaria in Boetium de consolatione, Item super declamationem Senecae, super problemata Aristotelis, super Valerium ad Ruffinum, cum Annalibus ab orbe condito vsque ad Christum Saluatorem cum nonnullis alijs operibus:* Haec ille, nec minus eundem indigitans (vt postea Castillus, Plodius, & Altamura designato nomine detexerunt) commendauit Spondanus ad annum 1333 num. 1. velut Apostolico spiritu resistentem errori, quem Ioannes XXII. vt priuatus Doctor ingerebat, de suspensa Beatitate Sanctorum, & prae caeteris e Societate Tirinus in tomo 3. suorum commentariorum in Scripturam, intexens cathalogum scriptorum, quibus vsus erat, aiebat: *Thomas Anglicus Walensis seu de Waleis cognomento Iorgius Angelico Doctori non absimilis, siue acumen spectes, siue stilum, siue doctrinam, siue professionem, fuit enim ex eodem Ordine Praedicatorum: huius sunt commentarij &c.* Hactenus ille, vt omittam alia, tum in Pererio è Societate eadem pag: 689 in Genesim & pag. 1673, tum in Altamura nostro legenda ad annum 1332. pag. 108. & ad annum 1311 in elogium eiusdem. Cur ergo (concluderet Nazianzenus oratione de moderatione in disputando) *cum isti rerum suarum tardi sint iudices, in alienis tamen censoriam virgulam celerrime arripiunt, citiusque alijs grauissima errata, quam nobis vel nostris leuissima concesserunt, ac licet illi rudiores atque indoctiores sint, citius tamen nobis hoc nomen impingunt, quam vt ignorationem suam accusent?* Vt video (pergeret & D. Iustinus Martyr, atque Philosophus in dialogo contra Triphonem) *Soletis certe muscae aduolare ad exulcerata, si qua inter plurima recte dicta exciderunt, et vel vnumquodque, quod aut vobis displicet, aut non intelligitis, omissis caeteris egregie dictis, reprehendere, & quantumuis pusillum sit, tanquam impietatem aliquam insectari.*

Ad sextum & postremum, tum de Cardinali Turrecremata circa reprehensionem affirmantium adesse in terris aliquas particulas Sanguinis Christi, tum de Emerico circa relatas literas Clementis VI. aduersus asserentes à Sanguine Christi in passione effuso in triduo mortis separatam fuisse Deitatem Verbi, quo ad primum respondebimus breuiter hic, quo ad secundum fusius in subsequenti articulo subiungemus. De primo igitur lego nunc Turrecrematam in 3. p. decretalium dist. 2. capite, *mutat,* videoque ibidem referre dumtaxat prolixam responsionem Ioannis de Poliaco inter alia dicentis; *Si illi, qui talem sanguinem in Ecclesijs habent, dicerent quod sanguis ille fluxerit de corpore Christi Domini, male dicerent,* videlicet si dicerent fluxisse de corpore Christi post resurrectionem, quemadmodum aliquos ante Poliacum opinatos esse obseruauit Franciscus Collius libro 4. de Sanguine Christi disp. 9. cap. 3. idque Alensi attribuit relatis eiusdem verbis, vbi potius Turrecremata ex D. Thoma quodlibeto 5. q. 3. concedit in terris particulas aliquas sanguinis Christi reperiri ante mortem egressi e Corpore Christi (de nutrimentali loquendo, vt approbarunt deinde Caietanus, Siluester, Medina, Cabrera, Nazarius, caeterique Thomistae ad 3. p. q. 54. ar. 2.) sicut idem Collius adnotauit libro 5. disp. 9.

disp. 9. cap. 1. additque eodem lib. 5. disp. 2. cap. 1. *Oppositam assertionem haud merito aliquos affigere Ioanni à Turrecremata*, & repetit disp. 9. cap. 1. & disp. 8. cap. 5. Ne dum itaque nostri nunquam censura notarunt, verum etiam suppo-suerunt vt certum particulas aliquas sanguinis vere à Corpore Christi ante mortem egressi (nutrimentalem saltem) in terris alicubi reperiri & adorari sicut certum esse notabat etiam Baronius ad annum 804, & inter alia, quæ ad hoc refert eruditè Siluester noster in Aurea Rosa tract. 3. qu. 31. (repetitque diffusius exinde Collius lib. 5. laudato disp. 8. per totam) affert etiam tum à nostris apud S. Maximinum huiusmodi sanguinem asseruari, tum per extensum litteras Pij II. Pontificis Romæ datas anno 1461. respondentis asserere, has particulas sanguinis in terris adesse, *nullatenus fidei repugnare &c.* Id itaque primum cum certum sit, nunc de secundo, quod prædistinximus, atque in postremo argumento proponebatur, in sequenti articulo fusius pro dignitate materiæ historicè saltem agendum est.

ARTICVLVS III.

Appendix historica ad postremum idem argumentum Articuli superioris circa controuersiam de sanguine Christi in triduo.

Longe ergo diuersa fuit (vt de secundo motiuo argumenti postremi dicamus) ea altera celeberrima controuersia exorta primo Barchinonæ anno 1350, & restaurata Brixiæ anno 1462. eodemque anno reuocata Romam, vbi coram Summo Pontifice Pio II. solemniter ventilata fuit, & post disputationem (vt quinquaginta post annos Siluester loquitur, vbi supra) *habitam per tres nostros sacræ paginæ professores in tota religione Prædicatorum vita, & doctrina celeberrimos, qui de hac re ex obedientia sui Ordinis coram dicto Pontifice disputauerant mandante eodem, quæ in disputatione dicta erant, scripturæ mandauerunt*; & in se de verbo ad verbum eorundem scripturam porrectam eidem Pio II. transcribit incipientem sic: *Ex mandato sanctitatis vestræ, Beatissime Pater, nos Fratres Ordinis Prædicatorum F. Iacobus de Brixia, F. Gabriel de Barchinone, & F. Vercellinus de Vercellis &c. pro causa benedicti Sanguinis Saluatoris nostri effusi in die Parasceues, redegimus in scriptis authoritates omnes, & rationes, quae in præsentia sanctitatis vestræ superioribus diebus verbo protulimus*, Et paucis interpositis subdunt: *Non intendimus loqui de totalitate sanguinis effusi, vtrum scilicet totum Christus in resurrectione reassumpserit vel non totum; nec de sanguine circumcisionis, vel aqua lateris Christi & similibus. Sed vtrum tali sanguini in die Parasceues effuso & reassumpto in die resurrectionis, in triduo mortis Christi personalitas Verbi fuerit vnita*: En in quo tota celebris ea longe diuersa (ac aliqui putent) controuersia constiterit, negantibus quidem vnitam remansisse ex vna parte Patribus tunc Sacri Ordinis Minorum, ex altera affirmantibus nostri Ordinis Professoribus, illisque pro se asserentibus Franciscum Maironem, quem è suo Ordine solum inter eos (qui semel admitterent antea in vita Saluatoris sanguinē hypostaticè Verbo vnitum fuisse) pro hac sententia tunc potuisse referri demonstrat laudatus Franciscus Collius lib. 5. disp. 1. cap. 3. per totum. Quid vero in eadem controuersia, tum Barchinonæ, tum postea Brixiæ, vel Romæ contigerit, placet hic saltem ex extraneis potius quam nostris historicè (nec quidem scholasticè

tractando

tractando materiam, quod huius loci non est, sed condigne peregit vbi supra Siluester) breuiter præsenti loco recensere.

De primo quidem Barchinonæ dissidio Gabriel Vasquez diligentissimus historiæ Ecclesiasticæ, rerumque veterum vestigator, in 3. p. disp. 36. cap. 4. proponens pro titulo *sanguinem Christi vnitum fuisse hypostatice Verbo, non solum dum viueret, sed etiam in triduo, à Sede Apostolica definitum esse*, in se id probat, tum ex verbis Clementis VI. in extrauagante, *Vnigenitus*, de pœnitentijs & remissionibus, aientis, *gutta sanguinis modica propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat*, tum ex posteriori mandato eiusdem Clementis VI. ad Inquisitorem Dominicanum (qui postea fuit Præsbyter Cardinalis tituli S. Sixti) in dicta causa Barchinonensi, quam Vasquez enarrat his verbis: *Prædictum sensum extrauagantis Clementis VI. mihi maxime probabilem efficit definitio altera eiusdem Clementis VI. missa ad Inquisitorem F. Nicolaum Rosselli Ordinis Prædicatorum in regno Catalauniæ, & est in secunda parte Directorij Inquisitorum q. 10. num. 1, qua deinde hæc nostra sententia maxime confirmatur: Cum enim quidam Theologus Barchinonæ in publica concione ad populum dixisset, Sanguinem Christi effusum in passione fuisse à diuinitate separatum, cum tamen corpus & anima vnita mansisset Verbo, prædictus Inquisitor eam doctrinam vt hæreticam condemnauit, & de mandato eiusdem Clementis VI. per litteras Apostolicas libellum* (scilicet processum inquisitionis, vt Siluester loquitur) *formauit, quem vidisse testatur Siluester tractatu illo 3. q. 31. eiusdemque damnationis meminit Ioannes Dominicus Cardinalis in suis quæstionibus* (vt Siluester hoc Cardinalis titulo nuncupat, idemque Cardinalis interfuit Concilio Constantiensi anno 1415 postea Legatus Pontificius aduersus Hussitas) *in suis*, inquam, *quæstionibus euangelicis in die Pascatis, atque de mandato eiusdem Pontificis idem Inquisitor fecit, vt prædicta propositio retractaretur in Ecclesia Cathedrali Barchinonensi*: Hæc Vasquez, addens *neque obstare quod alter Cardinalis Dominicus de Dominicis, qui paulo post tempore vixit, in libro de sanguine Christi cap. 3. in fine ad vltimum argumentum dicat* (*Decretum hoc Clementis VI. authenticum non esse*) Non obstare, inquam, tum propter *maiores momenti attestationes*, vt expendit & loquitur Vasquez, tum quia, vt interpretatus est postea Cardinalis de Lugo in tomo de Incarnatione disp. 14. sect. 7, sensus erat *non definiuisse doctrinam*, seu non fuisse *definitiuum* mandatum Clementis (quod neque nostri sub Pio II. præsumebant, idcirco pro vlteriori declaratione disputantes) atque in hoc sensu *authenticum* non fuisse, tum quia alioquin hunc eundem processum Barchinonensem cum iniuncta eadem retractatione assertionis è mandato Clementis recognitum & approbatum deinde fuisse sub Pio II. pro subsequenti renouata Brixiæ eadem controuersia, mox in eiusdem litis enarratione patebit, dũ interim, quæ de Barchinonæ actis afferebat Vasquez, legi possunt repetita similiter in Suarez tomo 2. in 3. p. dispu. 47. sect. 3. Valentia ad q. 5. disp. 1. Cabrera & alijs, vel ad q. 5. vel 54. 3. p. S. Thomæ.

Brixiæ igitur anno 1462 (vt sub hoc anno signatum inuenio hic in Conuẽtu nostro antiquissimum velut memoriæ, seu historiæ manu scriptum, vix, renitente characteris antiquitate, intelligibile, pro vt tamen intelligi potest in fronte sic habens.) *Circa F. Iacobum de Marchia Ordinis Minorum in controuersia sanguinis sub R. F. Iacobo de Petris à Brixia &c. 18. Maij 1462.* hic, inquam, reuiuiscentem denuo eandem penitus controuersiam post centum & amplius

annos à veteri Barchinonensi, sic Odericus Raynaldus Congregationis Oratorij in supplemento Baronij tomo 19. ad annum Christi 1462. num. 45. describit his verbis. *Adductum fuerat tum temporis in controuersiam, an sanguis Christi pro redimendo humano genere fusus, triduo illo, quo anima sanctissima à corpore segregata erat, hypostatice Verbo diuino coniunctus fuisset, dignusque extitisset Latriæ cultu. Mouerat eam controuersiam Brixiæ inter concionandum Iacobus Picenus Minorita celeberrimus concionator in Italia, & Hungaria, de quo à nobis actum sæpius est, ac Latriæ cultu non adorandum censuerat: Postulatus ob id hæreseos à Censore fidei Ordinis Prædicatorum tumultum auxerat, productis pluribus auctoribus dicti assertoribus: delata ad Pontificem eadem Controuersia, proximo anno coram ipso celebris theologica concertatio fuit inter vtriusque sacri Ordinis sanctissimos Viros.* Inde ad annum 1463. num. 103. de eadem causa *Brixiæ mota* sic pergit, *tuebantur eius sententiam* scilicet Iacobi Piceni, *Minoritæ triduo passionis hypostatice Verbo sanguinem coniunctum non fuisse: At Prædicatores aduersam tuebantur sententiam, addebant tamen totum Christi sanguinem in passione fusum non fuisse receptum &c.* vt ex eorundem scripto & nos supra retulimus. [Lecti sunt ex vtroque Ordine terni cum pari numero concertaturi coram Pontifice, & Cardinalium, Episcoporum, Præsulum, Doctorumque cœtu &c. Refert Gobellinus lib. 11. vtriusque partis præcipua argumenta, aitq; plures Episcopos, & Abbates scientia theologica insignes quæstionem problematicam, quæ in vtramque partem posset agitari, censuisse: maiorem tamen partem Cardinalium sensisse cum Prædicatoribus, atque etiam Pium eam tenuisse: verum quæstionis solutionem in aliud tempus extraxisse. Intereà ne ex sacrorum Ordinum contentione aliqui motus pietati contrarij orirentur, proximo anno in Turcicæ expeditionis procinctu Pontifex hæc cauit:] & hic exscribit Bullam Pij Secundi datam *Anconæ Kalendis Augusti anno Domini* 1464. quæ integra legitur in Bullario nouo num. 11. inter eiusdem Pij II. constitutiones, in qua post memoratam superioris anni disputationem, pro *pacis vnitate*, vt ibi dicitur, *donec super dubietatis huiusmodi decisione quid tenendum sit, fuerit per ipsum vel Sedem Apostolicam definitum*, interdicitur, *prædicare, vel alijs suadere, quod hæreticum, vel peccatum sit tenere, vel credere sanguinem sacratissimum, vt præmittitur, triduo passionis ab ipsa diuinitate quomodolibet fuisse vel non fuisse diuisum, vel separatum &c.* Hæc ibi de controuersia renouata Brixiæ, quam vix differentibus verbis descriptam habes apud Spondanũ ad annum 1462. præmittentem prædictum Iacobum, Marchianum Ordinis Minorum, qui idem apud Brixiam prædicauerat, quod Barchinonæ fuerat expunctum, postulatum fuisse ab Inquisitore fidei Dominicano reuocare &c. *interimque* (inquit Spondanus) *contrarium per vnum ex suis prædicari fecit:* & reipsa sic lego nunc in manuscripto Authographo memorato mox ante hanc subsequentem authenticam comprobationem, *fuisse prædicatum Brixiæ post prandium a Fratre Baptista de Fmatio Ordinis Prædicatorum in die Paschæ, qui de dicta materia dixit in dicta prædicatione. Prædicatum est quod diuinitas fuit separata à sanguine Christi fuso in Cruce; sed contra hoc videntur esse hæ rationes: & adduxit quatuor rationes in fine concludens, volo dimittere determinationem huius quæstionis sapientibus &c.* Hæc ibi, vt videas cui fundamento innitatur Spondani relatio, qui post relata verba sic pergit: *crescente contentione res ad Apostolicam Sedem remissa est*, & prosequitur enarrare disputationem eodem modo (atque ab Oderico propo-

sita

sita est) subiungens, [denique post triduum, cum partes quæcunque voluissent in medium produxissent, dissoluto Auditorio Pium cum Cardinalibus plerisque diebus rem tractasse: maiorem partem sententiam Prædicatorum approbasse, paucos cum Minoribus sensisse: Pium quoq; in maiori parte fuisse; sed non esse visum eo tempore decretum fieri declarationis ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur, ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse. Quam tamen nunquam placuit plene decidere: sed biennio post Anconæ, dum esset nauigaturus in Turcas, Kalendis Augusti anno 1464. die ante obitum decima quinta, Constitutionem edidit ad pacem &c.] vt paulo ante relatum est: hæc ille, ex quibus Lector inspiciet pro hac re nostra hucusque tres conrestes adesse maxima fide dignos, Gobellinum, Spondanum, & Odericum; Quibus antiquiorem longe adiungere licet (qui similiter ex exteris erat) Ioannem nimirum Garzonium apud Leandrum lib. 4. de Gabriele Barchinonensi disputatore 2. in eadem concertatione Romana pro nostris aientem: *Gabriel Barchinonensis optimus disputator, qui aliquando coram Pio II. cum maximis viris disputauit de materia sanguinis Christi, an videlicet diuinitas fuerit separata à sanguine Christi in Cruce effuso, & victoriam reportauerat*, videlicet attenta consultatione nobis fauorabili maioris partis, vt probatum est, licet decisio Pontificis in aliud tempus distracta, suspensaque manserit. Post istos quatuor non inutile arbitror modo & conuenientia nostrorum testimonia subiungere, nempe in primis vetustissimam Chronologiam Ordinis inchoatam à Iacobo Susato florente ad annum 1416, ac inde protractam vsque ad annum 1500, impressam Venetijs anno 1504, hæc, inquam, Chronologica historia Ordinis ad annos Pontificatus Pij II. sic habet. [Tempore huius Pontificis surrexit magna altercatio inter Fratres Prædicatores, & Minores de materia sanguinis Christi, an videlicet diuinitas fuerit separata à sanguine Christi in Cruce effuso. Fratribus Prædicatoribus asserentibus pro parte negatiua, & adducentibus rationes, & auctoritates Sanctorum Doctorum, & etiam contrariæ opinionis condemnationem factam in Ecclesia Cathedrali Barchinonensi de mãdato Domini Clementis Papæ VI; Fratribus autem Minoribus deducentibus pro parte affirmatiua opinionem Francisci Maironis. Tandem post longas disputationes conclusum, & sententiatum est] (scilicet in consultatione Cardinalium coram Pontifice) *pro opinione Fratrum Prædicatorum. Sed ad scandalum euitandum vtrique parti silentium impositum fuit*, vt testatur etiam Pius II. in Bulla biennio post Anconæ data recitata superius, dicens: *Licet alias nos ad obuiandum prædictis* (scilicet scandalis) &c. *silentium imposuerimus, ac materiam ipsam indecisam pro tunc reliquerimus &c.* vt ibi Pontifex loquitur, & reputatur hoc fuisse Breue datum Iacobo de Marchia memoratum in alio Breui dato paulo post nostro Iacobo de Brixia (vt infra referemus): sic vero chronicon pergit: [hoc tempore claruit doctissimus vir Frater Gabriel de Barchinona Magister Theologiæ, qui in dicta materia Sanguinis Christi publicè coram Pontifice disputando palmam, & victoriam est consecutus: floruerunt etiam cum eo ibidem Frater Iacobus Brixiensis Sacræ Theologiæ Doctor, & Inquisitor hæreticæ prauitatis strenuissimus, ac Magister Vercellinus de Vercellis vir apprime doctus, & eruditus, & hi omnes erant ex parte Conuentus Bononiensis ad istam dispu-

rationē transmissi;) hæc ibi, quæ superioribus relatis ex exteris cōformia sunt. Eadem tandem habet Siluester in Rosa aurea tract. 3. quæst. 30. & 31, florens paulo post, ad annum scilicet 1517. addens ne dum *Ioannem Dominici Cardinalē testatum esse in suis quæstionibus Euangelicis in die Pasche* antiquiorem illam damnationem Barchinonensem, verum & *processum eundem Barchinonæ* formatum, *fuisse de mandato Clementis VI, vt patet per litterarum copiam Domini Ioannis Cardinalis Sabinensis, quam vidi* (inquit) *& est in Archiuis Brixiæ. Vnde qui hoc prædicauerat Barchinonæ, illud reuocauit solemniter, & copia reuocationis est vbi supra. Deinde idem processus delatus est ad Curiam*, scilicet longo post tempore sub Pio II. occasione restauratæ Brixiæ eiusdem penitus Controuersiæ, *& eius discussio commissa est Domino Berardo, seu Bernardo* Cardinali *cum plena auctoritate per Pium II, qui Dominus Bernardus auctoritate Summi Pontificis dictum processum approbauit, & copia approbationis est vbi supra, & similiter processus ipse ibidem est authenticatus* & paulo infra regrediens ad eandem litem restauratam Brixiæ, post disputationem coram Pio II, vt supra, prosequitur sic: *Pius Pontifex primo mandauit nihil circa hoc debere innouari, donec per ipsum, aut Sedem Apostolicam de hoc decerneretur, vt patet in Breui quodam ad Magistrum Iacobum de Petris, cuius copia est Brixiæ &c.* hæc verbatim Siluester quæstione illa 31. citata, quem, antequam ista vulgaret, extitisse Brixiæ Inquisitorem, habes apud Fontanam ad annū 1508.

Verum quia nunc lego Franciscum Collium lib. 2. de Sanguine Christi disp. 4. cap. 3. editionis Mediolanensis 1617, parui facientem *hanc Siluestri auctoritatem, velut vnam singularem, & nudam* (vt ipse loquitur) *particularis Doctoris attestationem* insuperque addentem, *se nihil non egisse, vt de hac Clementis VI. definitione, si extaret, certior ipse fieret per litteras pijs, ac doctis hominibus Brixiæ commorantibus datas, à quibus tamen firmi nihil, certique nihil, super hoc haberi posse, non semel pronunciatum est*, & Cardinalis de Lugo disp. 14. sect. 7. (licet alioquin pro nobis Mayronis, ac sequacium sententiam reprobet, & concludat, *hodie non absque aliqua nota defendi posse*) refert tamen, nec repellit, quod idem Collius *attestatur* (vt Lugo loquitur) *se magnam operam posuisse vt illud decretum Clementis Brixiæ inueniret illius tamen nec vestigium vllum apparuisse.*

Idcirco ipse nunc operæ pretium me facturum esse arbitratus sum, si pro veritate, ac pro maiori huius historiæ luce (non ad dehonestandum celeberrimæ pietatis virum Iacobum de Marchia, cui nec propterea voluntaria in hoc aliqua culpa affingenda venit, neque ad persuadendum alicui hanc controuersiā hactenus ex Cathedra definitam esse, quod falsum esse ex Bulla Pij II. iam constat) sed solum ad ostendendum Clementis VI. mandatum, *non definitiuum*, sed pro iudicialis sententiæ executione transmissum (vti interpretatur & Lugo num. 104.) ab Eimerico præsertim & Siluestro veraciter memoratum esse, si ad hunc finem, inquam, reconditos in Brixiensi nostro Cœnobio Archiuos studiosissime perlustrarem, & veracitatem dumtaxat historiæ, vt mihi contigit, reperirem.

In manuscripto igitur velut memoriæ seu historiæ autographo memorato mox ante, existente in hoc nostro Cœnobio Brixiæ (vbi nunc scribo) exarato sub die 18. Maij 1462. saltem præter alia multa (quæ omnia exscribere nec pro personarum dignitate liceret, & sine dubio non expedit, nec mihi ipsi nūc vacat) per multiplices attestationes eo tempore habitas Soncini Bergomi, &

simul

simul hic Brixiæ recitatas ibidem, id comprobatur, à die Paschæ eiusdem anni 1462. diuulgatum fuisse in circumuicinis apud Brixiam locis ac Vrbibus, præsertim per litteras *Domini Beneuenuti de Vanno de Padua decretorum Doctoris, Canonici, Brixiensis Vicarij Generalis Reuerendissimi Domini Episcopi Brixiensis &c.* datas tunc ad Dominum Hieronymum de Brembato, Bergomi *existentem*, comprobatur, inquam, effusum fuisse rumorem Fratrem Iacobum de Marchia, non quidem *vt hæreticum expulsum fuisse è Communitate Brixiensi*, (sicut nimis falso, vt conuincitur ibi, culpabantur tres nostri concionatores in Festo Sancti Petri Martyris die 29. Aprilis evulgasse) sed solum *nouitatem quamdam excitasse Brixiæ, ac inde ortam esse litem inter ipsum, & Patrem Iacobum de Brixia Quæsitorem &c:* hæc in compendio prænarratæ ex alijs diffusius historiæ summa in hoc nostro autographo antiquo comprobata nunc legitur, quidquid sit, an fortasse (vt vereor) monumenta copiosiora perierint.

Inde adest (quem modo præ manibus habeo) authenticus Codex alter eiusdem antiquitatis, vt primus, non quidem in cartha papyracea, vt ille, sed in pellicea membrana seù pergamena scriptus, quatuordecim magnorum ex integro foliorum, subscriptione ac sigillo gemini Publici eius temporis Notarij Romæ tunc existentis in fine munitus, sub anno 1463. die 20. Augusti, & incipiens sic. [In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis &c. Nouerint vniuersi &c; quod pridem ex parte Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pij diuina Prouidentia Papæ II. Venerabilis, & Religiosus vir Frater Gabriel de Barchinona Ordinis Prædicatorum in Romana Curia dicti Ordinis Generalis Procurator, & in præfata Curia residens pro se, & nomine dicti Ordinis quandam Commissionis siue supplicationis schedulam nobis Berardo miseratione diuina tituli S. Sabinæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Spoletano vulgariter nuncupato, Iudici, & Commissario ad infrascripta à Domino nostro Papa specialiter deputato præsentauit, quam nos tunc ea, qua decuit, reuerentia, suscepimus sub tenore huiusmodi. Beatissime Pater] (erat hic supplex libellus porrectus Sanctissimo, firmatusq; per rescriptum eiusdem, quo huic Cardinali delegabatur auctoritas iudicandi, vt petebatur) [Beatissime Pater. Pro parte deuoti Oratoris vestri Fratris Gabrielis de Barchinona in Curia Romana Procuratoris Ordinis Prædicatorum, supplicatur sanctitati vestræ, quod eum quidam Fratres dicti Ordinis de partibus Aragoniæ detulerint ad Romanam Curiam certos processus factos contra nonnullos, qui prædicauerant diuinitatem fuisse triduo Mortis Christi separatam à sanguine, per Inquisitorem hæreticæ prauitatis, ac certa Consilia in Theologia, & iure Canonico peritorum, ac reuocationes factas per dictos inquisitos, & illas ex Archiuo Inquisitionis illarum partium extraxerint &c. Quare, vt dictarum scripturarum, & actorum, ac consiliorum, quæ tenentur referri ad prædicta Archiua, memoria & copia in Italia remaneat, dignetur prælibata sanctitas vestra committere Auditori Cameræ vestræ Apostolicæ, vt compellat dictos tales, qui detulerunt Scripturas huiusmodi, ad producendũ illas, quibus productis, si euidenter apparebit, illas esse antiquas &c. illas pro recognitis habeat &c. In fine verò dictę Commissionis, siue supplicationis schedulæ scripta erant de alterius, videlicet præfati Domini nostri Papæ manu propria hæc verba, scilicet: Fiat, vt petitur, coram Cardinali Spoletano.

no. Quę quidem supplicatio, seù Commissio in margine sic data reperitur videlicet: Datum Tibure 3. Kalendas Augusti anno quinto. Cuiusmodi Commissionis, siue supplicationis schedulæ vigore Nos ad Venerabilis, & Religiosi Viri Fratris Iacobi de Brixia Sacræ Theologiæ Professoris, & Inquisitoris Brixiensis, supradicti Ordinis per dictum Fratrem Gabrielem Procuratorē Ordinis substitutum (de cuius substitutionis mandato nobis extat sufficienter edoctum) instantiam, omnes, & singulos sua interesse putantes &c. eorumque Procuratores &c. ad videndum, & audiendum certos processus, vt præmittitur &c. ac testes de & super recognitione sigillorum, signorum, & manuum Notariorum Processuum, Consiliorum, & reuocationum &c.] (hic consuetæ, & prolixæ iurisformæ, & fori clausulæ interponuntur, pro citatione iuridica omnium, & ad singula, quæ petebantur recognoscenda &c.) *nostras litteras in Valuis, seù portis Cancellariæ Apostolicæ &c. iam indictas reiterari mandauimus, & fecimus.* (Inde accusata contumacia partis aduersæ non comparentis post præfixum ibidem terminum, præsentauit in actis noster Procurator, qui supra, vt subditur,) [quamdam litteram patentem Commissionis per bonæ memoriæ Ioannem miseratione diuina tituli S. Sabinæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem quondam Religioso Viro Fratri Nicolao Rosselli Ordinis Prædicatorum Sacræ Paginæ professori Prouinciali Prouinciæ Aragoniæ, tunc hæreticæ prauitatis Inquisitori, contra Prædicantes Sanguinem Christi in passione effusum à Deitate fuisse separatum, auctoritate, & de speciali, & expresso mandato felicis recordationis Clem. P.P. VI. factæ, ipsius Domini Cardinalis sigillo oblongo de cera rubea in Carta pergamena, nec non processum, Concilia, & reuocationes prædictorum in Cartis papyreis scripti diuersi, sigillis, & subscriptionibus plurium, videlicet Ioannis de Claromonte &c. coram Notario publico, & testibus facto reali, & in scriptis tenoris infrascripti exhibuit, atque produxit, illaque per nos diligenter examinari, collationari &c. instanter postulauit. Nos igitur Berardus Cardinalis Iudex, & Commissarius præfatus supradictos citatos non comparentes, neque in huius diei termino aliquam causam rationabilem, quare præmissa fieri non deberent, allegantes, licet sufficienter, & vsque horam debitam expectatos, reputauimus merito, pro vt erant, id exigente iustitia, contumaces, & in eorum contumacia attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, & consonam rationi, Visis per nos penitus, & diligenter inspectis, & examinatis, littera Commissionis, Processibus, Consilijs, & reuocationibus supradictis, eisque per Notarios publicos infrascriptos diligenter auscultatis, & collationatis; Et quia post visionem diligentem, inspectionem, & examinationem huiusmodi litteram Commissionis Domini Cardinalis prædictam, sanam, & integram, non vitiatam, non cancellatam, neque in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio, & suspicione carere, illamque veram &c. comperimus, ideirco ipsam ad præfati Fratris Iacobi Procuratoris substituti instantiam per notarium publicum atque scribam nostrum infrascriptum coram nobis personaliter constitutum transumi & exemplari, ac in hanc publicam formam redigi fecimus, & mandauimus, habitis primo sigillis & manu notarij in eisdem processibus, & reuocationibus descriptis, & imperfectis propter temporum vetustatem, vt præfertur, pro sufficienter recognitis. Volumus nihi-

nihilominus & Authoritate Apostolica iuxta præscriptæ Commissionis vim, formam, & effectum, decernimus, quod huic transumpto, seu publico instrumento vbicumque locorum & terrarum tam in iudicio quam extra illud, in Romana curia, & extra eam, detur & adhibeatur de cætero plena fides, talisque ac tanta, qualis & quanta ipsis originalibus huiusmodi processibus, consilijs & reuocationibus data fuit & adhibita, ac daretur & adhiberetur in futurum vbicumque & quotiescumque originaliter præsentarentur & producerentur. Præmissisque omnibus & singulis tanquam rite & legitime coram nobis *in* iudicio facto & celebrato nostram authoritatem Iudiciariam Authoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, interposuimus, ac tenore præsentium interponimus pariter & decernimus]

Hæc sunt, in quæ illud primum folium desinit, post quæ in fronte secundi *folij* immediate incipit *Tenor processuum, Conciliorum & reuocationum, de quibus supra fit mentio, sequitur & est talis*, & per extensum de verbo ad verbum inferuntur singula præmemorata per duodecim integra folia, quemadmodum, vt ibidem etiam præmittitur, *Tenor litteræ Commissionis de qua supra fit mentio, habetur in primo latere tertij folij*, scilicet Commissionis Clementis VI, post quæ omnia exscripta immediate in fronte folij quarti decimi concluditur sic. [In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras seu præsens transumptum & publicum instrumentum huiusmodi nostrum Decretum & authoritatem in se continens siue continentes exinde fieri & per notarium publicum & scribam nostrum infrascriptum publicari, subscribi, transumi, exemplari, & in hanc publicam formam redigi mandauimus, sigillique nostri iussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Tibure in domibus nostræ solitæ residentiæ sub anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, Indictione vndecima, die vero Sabbati vicesima mensis Augusti, Pontificatus præfati Domini nostri Domini Pij II. anno V. Præsentibus ibidem Venerabilibus Viris Dominis Ioanne de Palmerijs & Paulo de Raynaldis Tudertensis, & Nouariensis Ecclesiarum Canonicis, Camerarijs nostris, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis ✠ locus magni sigilli. Et ego Ioannes Nys &c.] & hic publicus notarius & scriba præfati Cardinalis *Spoletani vulgariter* nuncupati, se simul cum altero subscripto publico notario manu propria subscripsisse testatur præmissis supradictis, vt loquitur, *quatuordecim folijs pergamenis &c.* in quibus singillatim etiam quot lineę adsint diligenter enumerat, & similiter post istum subscribit alter Notarius publicus nomine *Wilelmus Molitoris &c.* altero suo signo subiuncto, vt tandem videas de hac Apostolica Iudiciaria recognitione atque approbatione haud amplius dubitari licere. Et cum rursus *publicum* hoc instrumentum, & *publicatum*, post iudicium in foro contentioso etiam in limine proponatur, *Nouerint Vniuersi &c.* ideo nil prohibere credimus ex eodem sequentia exscribi. Nunc ergo videamus, quę in pręmissis seu pręinsertis duodecim interiectis folijs pro re nostra habeantur.

In latere igitur primo folij secundi denunciatur summa processus antea inchoati ab antecedente Inquisitore Fratre *Pontio de Episcopali Ordinis Prædicatorum anno millesimo trecentesimo quinquagesimo contra Fratrem Franciscum Baruh Ordinis Fratrum Minorum Guardianum eorundem Barchinonensem, qui in Æde Barchi-*

none

none prædicauit Clero & populo (scilicet in die Paschæ, vt infra subditur latere secundo folij tertij) *& dixit duas propositiones sequentes, videlicet quod Christus si non fuisset tormentis interfectus, senio nunquam defecisset* (quæ postea temere iterum repetita fuit, vt id obiter dicam, à Poza in proscriptis suis libris, ex quibus verba transcribit & reprobat Grauina noster in Cherubin Paradisi lib. 5. cap. 2.) *item quod Sanguis Christi in passione effusus in triduo mortis eius fuit à diuinitate totaliter separatus, propter quod Frater Pontius prædictus hæreticæ prauitatis tunc Inquisitor ad instantiam & requisitionem Inclyti Domini Infantis Petri, & Vicarij Domini Episcopi Barchinonensis ratum & solemne consilium congregauit in Palatio dicti Domini Episcopi Barchinonensis &c.* & inde inter Consultores ibidem interuenientes, recensetur *Nicolaus Rosselli* (qui postmodum infra in Inquisitoris munere successisse refertur) *Ordinis Prædicatorum*, & post quatuor alios Theologos nominantur *Frater Antonius de Campelli Ordinis Minorum, Frater Petrus Rubba eiusdem Ordinis, Frater Bonauentura Francus Heremitanus S. Augustini, & tres alij Fratres eiusdem Ordinis. Item quatuor Fratres Ordinis B. Mariæ de Carmelo. Item Dominus Franciscus Pusata Vicarius prædictus*, & post tres alios Doctores in iure Canonico & legibus, suis nominibus designatos, additur. *Item Prior S. Annæ & Prior Beatæ Eulaliæ, & quatuor Monachi albi, & multi Medici in artibus & medicina Magistri, quibus omnibus fuit visum concorditer, quod dicti duo articuli erant erronei & hæreticales, propter quod debebat inquisitus eos totaliter reuocare. Vnus autem Frater Minor de prædictis dixit: Quod firmiter tenebat, quod alij, sed videbatur solum ad rei maiorem certitudinem, quod super secundo articulo consultaretur Dominus noster Papa, & interim quod primum reuocaret, vt omnes dicebant; quod fuit ei in fauorem Ordinis concessum, vnde fuit factum quod dictus Inquisitor misit quendam cursorem ad Curiam Romanam pro Domino Papa auscultando super secundo Articulo.* Interim subiungitur ennarratio, quomodo prędictus Inquisitus in Æde Barchinonensi prædicans finxit se reuocare primum articulum, *sed valde imperfecte*, vt ibi dicitur, vnde de eorundem Consilio ipse Inquisitor sermonem habuit contra primum articulum *in eadem Æde Barchinonensi & nihilominus posuit exhortationis sententiam, quod nullus secundum assereret articulum auditum &c.* & post prolixam extensamque narrationem istam, in fine concluditur. *Interim Cursor redijt de Curia & apportauit duas Bullas Fratri Nicolao Rosselli &c.* in quarum altera *Dominus Papa in officio Inquisitionis instituebat dictum Fratrem Nicolaum Rosselli, altera erat* (vt dicitur in latere secundo eiusdem secundi folij) *per quam eidem Fratri Nicolao mandabatur, quod contra dictum Articulum secundum tanquam omnino hæreticum procederet rigide & virtuose, quapropter dictus Frater Nicolaus Inquisitor factus processit in dictis negotijs secundum formam, quæ sequitur.*

Die Lunæ prima die Mensis Augusti anno à Natiuitate Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo (post annum scilicet clapsum ab inchoato superiori processu, vt agnoscas, quomodo secundus hic alter noster antecessori successerit) *coram Ren. & Religioso Viro Domino Fratre Nicolao Rosselli &c.* & hic narratur iuridice coram testibus prȩsentatas fuisse *litteras pergamenas Reuerendissimi in Christo Patris & Domini Domini Fratris Ioannis miseratione diuina tituli S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis sigillo, prædicti eiusdem Domini Cardinalis impendente sigillatas. Quarum litterarum tenor dignoscitur esse talis*: Et exscripta per integrum ea, qua Inquisitor instituebatur, qui postea fuit Cardinalis S. Sixti, vt

habet

habet Eimericus in directorio Inquisitorum 2. p. q. 10. num. 1. & Siluester vbi supra cum alijs; subinde in latere primo folij 3. de altera littera, quæ ad rem nostram pertinet, ita subiungitur: [Et immediate obtulit aliam litteram, cuius tenor noscitur esse talis. Frater Ioannes miseratione diuina Sacro Sanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis. Venerabili & Religioso Fratri Nicolao Rosselli Inquisitori Aragoniæ hæreticæ prauitatis, Fratrum Ordinis Prædicatorum Sacræque Theologiæ Magistro salutem in Domino sempiternam. Noueritis quod audito nouo errore, seu hæresi sine aliquo penitus fundamento, scilicet quod sanguis Christi in passione effusus in triduo à diuinitate fuerit separatus, adiuimus Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum nostrum Dominum Clementem diuina prouidentia Papam VI, Et sibi præfatam hæresim fuisse publice prædicatam explicauimus, qui valde errorem huiusmodi perhorrescens arguit, sicut plenus spiritu sapientiæ & intellectus, mirè & solide contra eum, voluitque, quod ad elidendum, & eradicandum prædictum errorem, quem dixit esse hæreticum, virtute, & modo, & forma debitis procedatis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum litteris patentibus duximus apponendum. Datum & Actum Auenione, In domo habitationis nostræ sub anno à Natiuitate Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo: Indictione quinta die vigesima Mensis Iulij Pontificatus eiusdem Domini nostri Papæ anno Decimo.

Quibus oblatis Introueniens Venerabilis & Religiosus Frater Franciscus Baruh præstitit iuramentum ad Sancta Dei Euangelia, se meram & puram dicere veritatem super articulis infrascriptis.] Et hic exscribitur integrum constitutum (vt vocant) prædicti eiusdem Inquisiti super secunda præfata propositione, & super inobedientia, & diminuta à se facta reuocatione propositionis primæ, idque prolixè per interrogationes viginti nouem iudicis & totidem responsiones eiusdem rei, inter quas extensas per integrum folium & amplius, In interrogatione quarta circa secundam propositionem de Sanguine Christi, sic dicitur: *Interrogatus à quo habuit, vel vbi dictam propositionem inuenit? Dixit, quod ex dictis Magistri Francisci de Maronis eiusdem Ordinis.* Et interrogatione septima, *Interrogatus si dictam propositionem ab aliquo alio prædicari vel demonstrari audiuit, & de quo, vel vbi audiuit? Dixit, quod non audiuit ab aliquo nisi solum à dictis illius magistri*, scilicet Maironis.

Inde habita confessione Rei cum circumstantijs &c. in latere primo folij 4. ad calcem incipit enarratio alterius consilij ab Inquis. conuocati super eamdẽ rem, & designatis plerunque Consultorum nominibus, recensentur quatuor Theologi Heremitarum D. Augustini, & quatuor alij Doctores in Theologia, Vicarius Episcopalis, quinque Canonistæ non regulares, & duo Priores aliorum ordinum S. Annæ, & S. Eulaliæ, & alter Canonicus Barchinonensis, & duo alij Theologi B. Mariæ de Carmelo, *& multi alij*, ut ibidem dicitur, & concluditur, *Visum in eodem Consilio concorditer quod dictus Guardianus deberet articulum prædictum de Sanguine in publico reuocare post sermonem dicti Inquisitoris, quem Dominica immediate sequenti debebat in Æde facere publice in vulgari, & quod ibidem cum Notario publico fieret publicum instrumentum: Excepto Fratre Benedicto Sestala Ordinis Prædicatorum*, qui ad euitandum dedecus Ordinis Minorum laudabat reuocationum fieri in priuato; [& quod postea alia die prædicaret in Æde re-

uocando dictum articulum. Eadem autem die dictus Inquisitor proposuit Domino Regi Aragoniæ, & eius Consilio, & idem fuit etiam visum, quod prædicti omnes consuluerant, vt est dictum, videlicet quod omnia fierent in publico. Sed quia hæc via non placuit Inquisitori, pro eo quod erat rigorosa, fuit meditatus sic, quod in Palatio Domini Episcopi Barchinonensis in præsentia totius Capituli & quatuor Religiosorū de statu seu Ordine quolibet, & Consiliariorum Ciuitatis, & Iuristarum reuocaret cum instrumento publico, & quod postea in Assumptione B. Virginis dictus Guardianus in eadem Æde coram populo reuocaret: Et ita factum est. Vnde Sabbato, sexta die Augusti, dictus Guardianus in omnium præsentia prædictorum reuocauit vt sequitur.

Ego Frater Franciscus Baruh &c. inter alia dixi, quod Sanguis Christi pretiosus Domini nostri Iesu Christi in passione fusus fuit à diuinitate separatus, cuius rationem assignaui, quod quia sanguis Christi tunc fuit effusus, diuinitas autem non fuit nec potest dici effusa, ideo concludebam vt supra. Dictamque propositionem inueneram in dictis cuiusdam doctoris Ordinis nostri &c. Nunc autem quia certificatus sum, quod Sanctissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Clemens diuina prouidentia Papa VI. dictam conclusionem velut erroneam, & hæreticam reputat, & condemnat, Idcirco ego Frater Frãciscus Baruh prædictus tanquam verus Catholicus & Fidelis, qui in omnibus, & per omnia fidei Catholicæ, & Domini nostri Summi Pontificis determinationi propono totaliter obedire &c. Reuoco, retracto, & annullo, & dico cum dicto Domino nostro Papa, & assero, quod dicta Conclusio est erronea, falsa, execrabilis, & hæretica, & quod ratio prædicta eam probans est nulla & non concludens &c. Data & lecta fuit hæc reuocatio, & assertio per me dictum Fratrem Franciscum &c. in Palatio Domini Episcopi Barchinonensis sexta die Augusti anno Domini 1351.}

Hæc ibi vsque ad finem folij 4, post quæ prosequitur processus contra duos alteros Fratres (Ordinem seu institutum honoris causa præterimus) qui præcedentem Inquisitorem Pontium infamauerant, & calumniati fuerant circa decem Articulos, & vlterius eorum alter contumaci rebellione inhonorauerat, ac spreuerat etiam præsentem tunc Inquisitorem Nicolaum Rosselium, ideoque examinatis articulis per vota singulorum Consultorum eidem Inquisitori in prolixis scripturis exhibita, suoque nomine, & sua singulorum manu subscripta, & constitutis subinde eisdem duobus Inquisitis, tandem & isti singula reuocarunt præsentibus Consultoribus eisdem, qui iterum his omnibus actis suo nomine singillatim, suaque manu subscripserunt, sicque per hæc omnia à folio 5. vsque ad tertium decimum, præmemoratum integrum quinternum adimpletur, addita, vt supra exscripsimus, in folio 14. recognitione & approbatione publica dicti processus, & singulorum contentorum in eodem, per Cardinalem Spoletanum sub Pio Secundo, vt supra relatum est, qua præsupposita publicatione facta in foro contentioso Romæ, supponitur etiam à nobis ista in pręsenti euulgari potuisse à tam antiquo pręsertim tempore emanata, exemplata, ac transumpta publicè etc.

Præter hæc tandem, quod vestigandum remanebat, inuenio separatum ab istis hic Brixiæ similiter Breue Pij Secundi datum Iacobo nostro de Brixia Inquisitori Brixiensi anno 1463, quod simul Siluester vbi supra dicebat visum à

se Brixiæ fuisse, illudque modo ante oculos habens in carta pergamena, prout iacet, exscribo, sigillo vlterius ac manu propria *Publici Notarij Stephanini filij Faustini de Claris* pro fide publica authenticæ publicationis Brixiæ subscriptũ anno (vt modo lego) 1463. *die prima Nouembris in Capitulo S. Dominici Brixiæ coram testibus & spectabilibus Doctoribus Domino Ambrosio de Aduocatis, Domino Laurentio de Calchagnis, Domino Iacobo de Castellis, Domino Milino de Milis, & Domino Antonio de Faustinis &c.* estque tenoris sequentis.

PIVS PAPA II.

Dilecte fili salutem & Apostolicam Benedictionem. Differentiam, quam inter te & dilectum filium Iacobum de Marchia Ordinis Minorum professorem, super pretioso Christi sanguine tempore passionis effuso suborta erat, ita putauimus sopiendam, vt nec eidem Iacobo, cui ad id litteras in forma Breuis concessimus, nec tibi aliquid exinde scandali, aut infamiæ orirertur, nec in ea re quicquam ageretur, donec à nobis, & Sede Apostolica aliter esset definitum. Quia tamen informati sumus, quosdam Ordinis Minorum formam litterarum nostrarũ eidem Iacobo concessarum excedentes suis prædicationibus tibi infamiam intulisse, asserentes te propterea officio Inquisitionis & gradu magisterij fore priuandum, et alijs etiam grauioribus pœnis puniendum. Nos indemnitati tui honoris et status prospicientes: Harum serie declaramus nullam tibi priuationis, aut alterius mulctæ pœnam propterea esse infligendam, et cum non sine causa ipsum Iacobum citaueris, ex debito tui officij, nihil tibi succensendum, aut vllam infamiam adscribendam, quandoquidem nullæ etiam à nobis litteræ emanauerint, ex quibus aliqua in parte culpari debeas, aut infamari: Et si forte per inaduertentiam emanasse comperirentur, Illas tibi non intendimus in aliquo præiudicare. Datum Tibure sub annulo Piscatoris die 26. Augusti 1463. Pontificatus nostri anno Quinto. G. de Piccolominis: à tergo. Dilecto filio Fratri Iacobo de Brixia Ordinis Prædicatorum, et Theologiæ *Professori Inquisitori hereticæ prauitatis in Prouincia Lombardiæ.*

Laus Deo, qui dedit mihi singula, quæ olim Siluester se Brixiæ vidisse attestabatur, hactenus rei psa Brixiæ reperire, atque exscribere licuisse, vt appareat, quam immerito supra relatus Franciscus Collius eiusdem nostri Siluestri oculare testimonium contempserit (tam magni factum à Vasquez disput. 36. cap. 4.) ob suam impensam frustra hic Brixiæ diligentiam, indeque perpauci alij adhærentes eidem (vt video) euasere decepti. Veruntamen vltrò videndum hic manet de tenore Breuis, quod longe antea Iacobo de Marchia concessum in hoc nostro posteriori Breui memoratur, quodque hactenus, fateor, reperire non licuit, et vbi reperiri valeat, ignoramus. Certum est de illo Siluestrum loco laudato intellexisse, dum de Pio Secundo paulo post disputationem habitam, inquit: *Pius primo mandauit nihil circa hoc debere innouari donec per ipsum, aut Sedem Apostolicam de hoc decerneretur*; en id, quod in hoc posteriori Breui nostro idem Pius commemorat, se pro *sopienda differentia* concessisse Iacobo de Marchia, *cui ad id*, inquit, *litteras in forma Breuis concessimus*, ideoque id ipsum continuo Siluester probat ex hoc eodem Breui nostro per plures mẽ-

ses posteriori dicens: *vt patet in Breui quodam ad Magistrum Iacobum de Petris existente Brixiæ &c.* Dixi autem per plures menses hoc nostrum Breue fuisse posterius illo præmemorato altero inscripto ad Iacobum de Marchia, quia post illud primum constat (vt dicitur in hoc eodem Breui posteriori) *quosdam Ordinis Minorum formas earundem litterarum concessarum eidem Iacobo de Marchia excedentes suis prædicationibus infamiam intulisse* eidem Iacobo nostro Brixiensi, qui propterea coactus fuit procurare, ac impetrare ab eodem sanctissimo Breue hoc, quod ideo per plures aliquos menses necessario fuisse posterius asserebamus, licet eodem anno emanatum 1463, quo contigit disputatio. Quia vero disputatio sine dubio audita est Romæ ineunte eodem anno 1463. circa mensem Ianuarij, *dum gelu omnia rigerent, disputantes vero sudore maderent* (vt cum Gobellino loquitur Odericus, simul atque Spondanus repetit eodem loco recitato superius) non potuit proinde Breue concessum Iacobo de Marchia, post disputationem simul, et subsequutam non breuem Sacræ Congregationis Cardinalium consultationem (in qua, vt Spondanus ait, *idem Pius plerisque diebus rem hanc tractabat*) non potuit, inquam, emanare illud nisi circa Quadragesimam eiusdem anni, quo eodem anno in æstate postea delata è partibus Aragoniæ comparuerunt Romæ singula mox ante recitata acta Barchinonensis processus, pro quibus *tertio Kalendas Augusti Pontificatus anno V*, scilicet 1463. rescriptum fauorabile Pij emanauit pro recognoscendis actis, atque approbandis eisdem, vti reipsa recognita, & approbata fuere eodem anno 1463. *die 20. Augusti*, quemadmodum ex authentico quinterno pergameno mox ante per singula ostensum est.

Quomodo ergo subsistere modò poterit, quod primus (quem ego viderim, ipseque non sine hæsitatione fatetur) Franciscus Collius euulgauit? in tenore Breuis adscripti Iacobo de Marchia, Pontificē eundem Pium recognouisse, aut memorasse eandem approbationem actorum Barchinonensium (etsi hoc etiam nostræ profecto sententiæ faueret) ac ita scripsisse, vt refert Franciscus Collius. *Quod vero attinet ad authenticationem illius sententiæ, seù processus Barchinonæ celebrati factam per Prælatum illum, cui ea res à nobis commissa fuit, scias eam non ideo factam, vt per ipsam fides, aut auctoritas adduceretur eiusdem sententiæ, seu processus, sed vt testimonium quoddam esset rei gestæ &c. Cum enim pro parte Fratrum Prædicatorum nobis fuerit supplicatum, vt eas authenticari facere vellemus, negare non potuimus, quin causam committeremus. Non turbetur ergo cor tuum, neque formidet, sed sis animo quieto.* Hæc (quæcunque illa sint adhuc fauentia nobis, cum nec ipsi dicamus, nec nostri contenderint, ex mandato Clementis VI, seù Barchinonensi sententia, rem illam definitam fuisse) hæc, inquam, Franciscus Collius lib. 5. de Sanguine Christi disp. 4. cap. 3. pag. 804. Mediolani euulgauit anno 1617. dicens: *sic memini me legisse apud solum Cardinalem S. Petri ad vincula veritate vltima sui tractatus, quem ad Paulum II. Pontificem maximum legendum transmisit;* cum tamen idem iste Collius pag. 192. tam parui faceret in Siluestro *simplicem, & nudam particularis Doctoris attestationem*, & præsciuisset vlterius hunc sub Paulo Secundo Cardinalem S. Petri ad vincula (qui postea etiam euasit Summus Pontifex Sixtus hoc nomine IV.) dum istum tractatum scriberet sub Pio II, fuisse in disputatione præcipuum, è tribus disputatoribus ex parte Ordinis Minorum, nuncupatum Fratrem Franciscum de la Roue-

Rouere Minoritam. Sed quid plura? nunc video Eminentissimum de Lugo in tomo de Incarnatione disp. 14. sect. 7. de hac materia tractantem, ac numero 104. confitentem, vtique alia verba, quæ mox referemus, ex eodem Francisco de la Rouere circa authenticationem processus Barchinonensis haberi, non tamen ista, relata à Collio, *haberi in manuscripto* (vt Lugo loquitur) *Bibliothecæ Societatis Collegij Romani, quod compositum fuit ab ipso sub Pio II.* His stantibus fateor de præscripto tenore Breuis ad Iacobum de Marchia (vt præfertur à Collio) ex præsupposito manuscripto eiusdem de la Rouere postea sub Paulo Secundo Cardinalis, vix me audere quid aliud addere, aut iudicare.

Vtique refert & Lugo ex prælaudato autographo manuscripto eiusdem Francisci de la Rouere Romæ existente circa præcitatam à nobis Barchinonensis processus approbationem hæc ipsum Frãciscum addidisse pro suorum responsione (seu pro turanda immuni à Cẽsura hæreseos sententia sua in hac re non adhuc definita, vt fatebantur & nostri) pro responsione, inquam, vel suorũ vel sua, dum in Minoribus esset, ista verba scripsisse; *tales scilicet Barchinonenses processus esse valde suspectos, tum quia ille Inquisitor fuit de Ordine Prædicatorum, tum quia in illis processibus nulla apparet littera, seu determinatio illius Pontificis Clementis, quam, si extitisset, Fratres Prædicatores non omisissent.* Verum hæ duæ obiectiones, ex sola præmissa recitatione nostra processus, in cineres, seu in auras euanescunt, cum clare constiterit, tria in ea reconsilia tot Sapientum extraneorum ab Ordine nostro cum dicto nostro Inquisitore (qui postea Cardinalis fuit, vt vidimus, & compertum est) cum dicto, inquam, Inquisitore nostro potius temperante rigorem aliorum, cæteros omnes concorditer pronunciasse, eamque sententiam vt erroneam damnauisse, & rursus authenticæ litteræ patentes Ioannis tunc Cardinalis Sabinensis continentes expressum, & speciale mandatum Pontificis Clementis VI. ibidem iuridicè coram testibus presentatæ, ac recitatæ leguntur, tametsi vtique, vt sæpe monuimus, res è Cathedra definita non fuerit, vt etiam Pius Secundus in sua Bulla non adhuc rem definitam esse professus est, & Cardinalis Dominicus noster de Dominicis paulo post fatebatur.

Despumantur exinde & ea, quæ Collius in re præsenti Rhetoricatus amplificabat libro 5. disp. 4. cap. 2. ab exemplo Francisci de la Rouere (ea non obstante Barchinonensi sententia) sustinentis cum suis Minoribus vt probabilem eandem prædamnatam assertionem, adhuc dum scriberet sub Pio Secundo, idque postea ad Paulum Secundum transmitteret, à quo eodem Paulo Secundo supponit Collius pag. 189. lectum fuisse & exinde approbatum ad se transmissum ab eodem de la Rouere tunc Cardinali S. Petri ad Vincula opusculum; ex his, inquam, pag. 807. Collius idem concludebat, *nimis audacter Capreolum in 4. distinc. 11. quæst. 1. ar. 3. ad 5. contra primam conclus. sibi contrariã opinionem criminatum esse vt falsam, erroneam, atque sanæ doctrinæ oppositam*; & pag. 804. idem Collius reprehendebat Bartholomæum Medinam 3. p. q. 5. in expositione 2. articuli in fine quæstionis *Capreoli vestigijs insistentem atque scribentem, asseri non posse sine magno errore sanguinem Christi tempore Passionis effusum Verbo diuino vnitum non fuisse; eo quod non tantum à Clemente VI. sed etiam a duobus alijs Pontificibus, videlicet* (vt de suo interpretatur Collius) *videlicet Pio, & Paulo II. sancitum fuerit sanguini effuso per triduum adiunctã fuisse diuinitatem,* cum tamẽ, inquit

inquit Collius, interdixerit Pius Secundus in Bulla alterutrius partis censuram, *donec à se, aut à Sede Apostolica id definiretur.* Desiliunt, inquam, & ista, quia sicut chronologiæ imperitum (inter alia) manifeste se prodit Collius pagina 813. arbitratus *Pium II. proxime ad Pontificatus apicem ascendisse post Clementem Sextum,* cum tamen à Clemente Sexto obeunte sub anno 1355. ad initiū Pontificatus Pij Secundi, anni 1458, centum, ac tres anni intercesserint, ita & non minus ex prætermissa eadem Chronologia non vidit ipse Capreolum florentem ad annum 1410. (iuxta Bellarminum) longe præcessisse Bullā Pij Secundi editam anno 1463. per quinquaginta & amplius annos, neque exinde reprehendi potuisse de inobseruata Bulla eadem, dum solum attenta iudiciali sententia Barchinonensi de mandato Clementis VI. sæculo ante Capreolum superiori sequuta, idem Capreolus reputauit oppositam illam aduersariorum sententiam, non quidem definitiue damnatam hæreseos, sed Theologicea saltem, ac iudiciali erroris censura condigne fuisse notatam: Bartholomæus vero Medina florescens, ac scribens ad annum 1581. longe post Synodum Tridentinam, iam viderat illud, quod & Lugo in re præsenti obseruauit, scilicet in sessione 14. Tridentini Canone 3. longe quid maius, post Pium II, nostræ fauens Dominicanæ sententiæ accessisse, & ex alia parte perpēdit, & olim Pium II. in Bulla vtique interdixisse Censuram alterutrius partis, sub hac tamen explicita limitatione, vt à Pontifice addebatur, *donec super dubietatis huiusmodi decisione &c.* aliud adderetur *per ipsum, aut Apostolicam Sedem &c.* Quid mirum itaque, si non quidem definitiue damnatam adhuc sententiam aduersam sed solum censura dignam arbitratus est? tum ex authentico mandato, vt vidimus, Clementis Sexti, tum ex approbatione processus Barchinonensis de mandato etiam eiusdem Pij Secundi, tum ex recognita nec reprobata approbatione eiusdem processus Barchinonensis à Paulo Secundo in opusculo ad se transmisso à Cardinali S. Petri ad Vincula, qui eandem Barchinonensis processus approbationem, vt ex Lugo vidimus, referebat; tum quia tandem *id ipsum definiunt seu approbant duo alij Summi Pontifices post longam deliberationem, vt auctor est Siluester loco citato:* sic noster ipse Medina loquitur, post adductam auctoritatem Clementis Sexti, nullibi vero nominat Paulum Secundum (vt ipsi imponit Collius) intelligens potius in his verbis tum de Pio Secundo, de cujus mandato approbatus fuit processus Barchinonensis (vt exponit & Lugo post numerum 104) tum de Innocentio Tertio libro de misterijs missæ cap. 30, vt etiam Collius pag. 848 referebat. Quid rursus, obsecro, Collius diceret de pluribus alijs extraneis à nostra Schola, qui rigidiores quam nostri, eandem aduersariorum sententiam nigro theta notarunt? quid de Gabriele Vasquez scribente similiter post Tridentinum, atque in tertiam partem disp. 36. cap. 4. proponente sic titulum; *Sanguinem Christi vnitum fuisse hypostatice Verbo non solum dum viueret, sed etiam in triduo, à Sede Apostolica definitum est.* Quid præter alios, (vt claudam protractam nimis, vt video, hanc nostram historicam concertationem) de Eminentissimo Cardinali de Lugo, qui etsi non pauca ab eodem Francisco Collio in hac re mutuatus esse videatur, disput. tamen 14. laudata sect. 7. pro nostra tandem ac Thomistarum sententia, sic de aduersaria concludit: *cæterum licet ex his fundamentis non possit nota inuri illi sententiæ aduersariæ, adhuc crediderim hodie absque aliqua nota defendi non posse, propter verba Tridentini*

timi sejs. 14. *Canone* 3, vt idem ipse verba eadem ad institutum hoc nostrum accuratè, & me quidem iudice, concludenter expendit: nobisque interim (fauente Deo reperris, & fundamentis illis prioribus, de quibus fidens ex parte Francisco Collio, idem Lugo dubitabat) ostendisse sufficiet iniuste nimis, & immerito, tum Siluestrum à Collio, tum Eimericum ab auctore Diatribarum accusatos esse, de ficto mandato Clementis VI, atque ab hoc etiam præsertim experimento in sequēti lucescet, iniuste eodem modo nostrorum aliquos (qui ingenuè quædam non ita de facili nūnc reperibilia, citarunt) præcipitante nimis Censura mendacij, aut imposturæ expostulari solere, quemadmodum audacter, & calumniose (vt solet) Diatribista in sequenti Diatriba 6. prosequitur.

QVÆSTIO SEXTA.

De Attributis mendacijs, & Imposturis.

SI aliquis (inquit Chrysostomus hom. 25. de diuersis) *si aliquis*, inquam, *claudere voluerit aqua meatum, dum ex vna parte clausa fuerit aqua violentia, aliunde sibi semitam rumpit, sic & malignitas ex vna parte confusa, alium sibi aditum reperit, aut aperit.* Ita & iste Diatribarum auctor Diatriba 6. præsenti, post præclusas hucusque criminationes de ineprijs, atque ignorantijs, erumpit ad subsannandos eosdem Doctores nostros velut Archirectos mendacij, atque imposturæ, celeberrimus ipse impostor, aurhorque mendacij, vt hactenus vtique euidenter, vt arbitror, præ monstratum est, nec minus iterum in præsenti videbimus, in duos Articulos quæstionem nostram distribuentes, primum quidem circa attributa nostris mendacia in fingendis miraculis, seù sanctitatis indicijs, secūndum circa imposturas affictas eisdem in imponēdis, vel adulterandis scriptis aliorum, omissis illis, quæ idem hic habet, tum § 97, & 100; cum sint depulsa superius quæstione prima huius libri 4; tum §. 103, cui libro superiori, quæstione 4. respondimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nostri aliqua miracula finxerint, ceù circa B. Pium Quintum, D. Catharinam, B. Albertum Magnum, Vicentinum, Lemos, ac circa Bernenses, opponitur.

VIdetur sic planè esse Diatribarum Auctori in præsenti Diatriba 6; qui primo circa B. Pium V. ac D. Senensem id probare contendit; quandoquidem, inquit, dum vrgeretur Beatificatio Pij V, *nescio quis* Dominicanus pro augendo splendore operum eiusdem suppleuit pro Costa carnem (sic ipse loquitur, neque quid hic dessignet, exponit) *ita vt*, addit, *hac sutela detecta, intercta sit negotio remora &c.* nec minus, subdit, confictam à Dominicanis reuelationem (circa Deiparam &c.) factam Sanctæ Catharinæ Senensi, cuincit Delrio lib. 4. disquisit. Mag. quæst. 3. sec. 4. post Catharinum lib. 3, vt eam scilicet reuelationem obijcerent reuelationi D. Birgittæ circa id ipsum aduersæ.

Secundò de B. Alberto Magno, apud quem constat, inquit, legi commenta multa, tum lib. 3. de motu Animalium asserendo se vidisse duos pueros, quorum

rum

tum vni, si deferreretur iuxta ostia clausa, aperiebantur, si dextrorsum sita essent, sicut alteri contingebat quoad ostia clausa sinistrorsum, (vt Pomponatium adducit in hac re innixum Alberto, relatumque ac reprobatum ab Antonio Bernardo Caserrano lib. 29. euersionis singularis Certaminis sect. 2.) tum quæ de Capite æreo apud eundem Albertum responsa dante, & per Diu. Thomam confracto iactantur, tum quæ de Vere, media hyeme, in gratiam Imperatoris inducto, *Commenta sunt*, inquit, *si non Alberti, saltem interpolatorum Operum Alberti, aut otiosorum domesticorum, qui in hoc genere admodum nani sunt.*

Tertiò, Frater Ioannes Vicentinus Ordinis Prædicatorum, quomodo dementata per confictas reuelationes plebecula, in Ciuitatis Bononiensis dominatum se insinuauerit, & septus armis ciues pro libito ex vrbe pepulerit, vel in ea retinuerit, narrat Baptista Fulgosius lib. 1. titulo de Religioso cultu, cap. 1. ex Guidone Bonaro res sui temporis describente, præter Hieronymum Sauonarolam Florentiæ ab eodem Fulgosio adiunctum in eandem rem, simul & à Delrio cap. 5. Q. mag. q. 3. sect. 6.

Quartò, Hiacynthus Coquetius libro suo de visceribus maternis B. Virginis erga Ordinem Prædicatorum, commentus est, Thomam Lemos, quoties adiret Pontificem pro causa disputationis de Gratia, præfetulisse faciem radijs micantem, ex narratione Vrbani VIII. tum triennio ante mortem, quoties ad altare accederet celebraturus, solitum fuisse visum recuperare, quo alioquin orbatus erat, tum anno 1628. defunctum, dum eiusdem Cadauer iaceret in templo Sanctæ Mariæ super Mineruam, accurrente densissima multitudine, aduenienti Ricardio suimet discipulo brachium ad osculum porrexisse; hic Lemos, concludit obijciens, est ille *assertor prædeterminationum ineluctabilium, & monstrorum contra robustissimam Bellantium gratiam Hercules*, scilicet in disputatione Romana de Gratia, aduersus Valentiam, atque Vastidam propugnatores Molinæ, strenuissimus disputator.

Quintò, vt his omnibus coronidem adornaret, & hoc Reuclini proscripti hominis, ac iurati Dominicanorum hostis Commentum adiungit, videlicet, inquit, Frater inter Dominicanos Laicus, Ioannes Vetzer Zurzaco oriundus, professione sartor, implanatus est à quatuor primarijs Bernensis Cœnobij Patribus ad confingendum miraculum circa Deiparam: sed veritate retecta Bernenses nondum tunc Zuingliano mæro inebriati, egerunt apud Iulium Secundum Romanum Pontificẽ, vt Lausanensis Episcopus in eos inquireret: Quod cum Episcopus ex iuris præscripto fecisset, quatuor Primarij Dominicani (vt inquit sic loqui Surium) degradati sunt, posteaque flammis absumpti, *ob falsa miracula ad falsitatem asserendam conficta.* Sic Fabularum Sectator iste adglomerat in testes pro eadem re à Reuclino falsario deceptos, præter Surium prælaudatum, etiam Trithemium, Basellium, Petrum Martyrem (etsi inter hæreticos recognoscat) Anglerium, Spondanum, atq; vt addit sequenti §. 99. Eleutherium Bizenum in Apologia metrica pro Reuclino (veriùs Reuclinum ipsũ seù Ioannem Capnionem, qui idem erat, eo nomine sub larua latentem aduersus nostros sui ipsius Damnatores) in Apologia, inquam, inscripta, *Triumphus Capnionis*, in qua, præter hanc ipsam *Bernensem Stropham* (vt tandem appellat, & Auctor Diatribarum) adiungit & aliam de quodam Plebeio, fictè mortuo,

fictèque

fictèque per quemdam (vt supponit) è nostris, nec nominatum ab eodem, restituto ad vitam, vt malis his artibus Lutetiæ populus alliceretur, sicut Reuclinus ibidem fabulabatur, & aiebat: *Iam vetus historia est &c.* quæ tamen ficta ab eodem sine vllo vel nuncupato conteste, manifeste fabula reputata fuit: hæc itaque iste, Reuclinû, seù Capnionem hominem perditissimum adorans, noster nunc Auctor Diatribarum exosculatur, atque ex eodem exscribit, nec his contentus, inferius Diatriba 8. §. 135, eundem *Ioannem Capnionem aliàs Reuclinum*, vt ipse loquitur, similem sine dubio sibi ipsi, ne dum per Ioannem Pfesfertori iure merito reprehensum, verum etiam à nostro Censore fidei Hogostrano reprobatum, velut *Thalmudicorum Librorum*, pro quibus ille egerat, Idololatram, ipse Auctor Diatribarum (laudata eiusdem proscripta Apologia aduersus nostros) supremis adornat encomijs, vocans *primum hebraicæ linguæ apud Germanos Professorem laudatissimum, magnumque litterarum Lumen*, quod à Dominicanis, *nisi Cæsar, & validi Magnates prohibuissent, fuisset extinctum &c.* & demum concludit referri etiam in addit. 2. ad Librum Trithemij, *Petrum Galatinum Ordinis Minorum opus suum, de Arcanis, idcirco emisisse, vt constaret, quam inanis esset excitata in Reuclinum tempestas.* Hucusque, vt nostros velut mendaciorum artifices infamaret, subsannator hic noster damnatum etiam iustissimè Reuclinum, velut è tripode pronunciaturus, absoluit, decernitque vniuersim, hoc eodem §. 98, *non fuisse parcos huiusmodi mercium adulterinarum Dominicanos &c.*

In oppositum tamen est, quod si par pari referre vellemus aut iure quidem tam falso accusatori vetiores longe redargutiones apponere niteremur, remittere tantum in præsenti possemus Lectores, aut ad Nerembergium, & Cōstantinum Caietanum, pro huiusmodi suspectis mercibus exquirendis, seù excutiendis, aut ad Grauinam nostrum p. p. lib. 1. de visionibus cap. 6. referentem consimiles fictarum reuelationum Architectos delaruatos fuisse, tum anno 1570. in Extremadura à nostro Alphonso de Fonte, ex Gonzalez 3. historiæ Salmantinæ cap. 28, tum anno 1623. in Hyspalensi ciuitate, ex Stephano Falces Archiepiscopo Brundusino tomo 2. tract. 8. cap. 11. tum Romæ alterum (è cuius Schola reticemus) ibidem anno 1615. 12. Iulij abiurantem (vt pag. 136. idem Grauina describit Gnosticam ab eodem spurcissimam hæresim exsuscitatam ennarrans) præter alium duodecim solum abhinc annis (cuius institutum honoris causa præterimus) in eadem Romana Vrbe mulctatum ob fictum in sacri celebratione miraculum, & præter alios quosdam (non quidem ab Ecclesia recognitos) sed prædicatos priuatim ab alijs alicubi, vt circumfertur, tanquam extinctos pro fide Athletas in dissitis noui regionibus Orbis, qui superstites postea, ne dicam Apostatæ, visi fuisse dicuntur: Hæc omnia, vt dixi, pro indemnitate honoris cæterorum, & si seruato moderamine inculpatæ tutelæ possemus, haud reponere cogitamus: *ecce enim* (aiebat Augustinus lib. 2. in Petilianum cap. 32.) *ecce dicerem Circumcelliones vestros, non crepitantibus, sed præcipitantibus flammis furoris ardere. Si responderis, quid ad nos? cur & tu eum obiiceris, quos volueris, non vicissim audies, & nos nescimus? Si responderis, non probatis: cur non tibi Orbis terrarum respondeat vicissim, nec vos probatis? Paciscamur ergo, si placet, vt nec tu nobis malos obijcias, quos putas nostros, nec vobis ego vestros: ita videbis hoc pacto tam iusto placito, atque firmato, nihil te quod obijcias,*

Digitized by Google

habere: solumq; interim, perlectis à nobis ex aduerso contra nostros huiusmodi strophis, ingenuum saltem censorem, atque Lectorem arbitrumve pro veritate causæ interpellabimus (responsuri deinde ad singula) illis Basilij verbis epist. 77 ad Episcoporum Concilium aientis: *hoc tantum oramus, vt si quos admiseritis, qui nos traducunt ac vituperant, in conspectum vestrum coram vestra pietate constituantur; nos enim, si conuincamur, peccatum nostrum agnoscemus &c. Si vero antequam conuincamur, nos condemnaueritis, nos quidem inde nihil dispendij accipiemus &c, vos autem & hoc ipsum nobis amissis patiemini, & Euangelio repugnare videbimini dicenti: num Lex nostra iudicat hominem, nisi primum audierit, cognoueritque quid fecerit? Qui calumnias nobis quidem offundit, non autem probat, quæ dicit, profecto videbitur sibi ipsi mali nominis asserere appellationem, ex eo quod verbis iniquè & absurdè vtitur &c. Nec vos ergo auditores sitis conuitiorum, sed redargutionum probatores &c.*

Respondeo non nostro dumtaxat Ordini Prædicatorum (adeo à Pontificibus supremis laudibus commendato, vt supra vidimus) iniustissimam nunc procreari calumniam, in præfata asserendo, verum etiam vlterius simul intolerabilem iniuriam inferri vniuersis Christianorum populis, qui huius eiusdẽ Sacri Ordinis Professores tamquam in Pastores sacros, atque Doctores venerati sunt, tum plerisque Orbis Christiani Principibus, qui eosdem in Præceptores, aut à Confessionibus habuere, tum summis Ecclesiæ Pontificibus, qui his præ alijs vt suis administris (sicut vsque in hanc diem inspicimus) vsi sunt, tum OEcumenicis demum successiue Concilijs, quæ post exortum Ordinem eiusdem Ordinis Alumnos pro suis Theologis, Consiliarijs, ac Patribus semper amplexata sunt; his, inquam, omnibus ijsque singulis (& ne dum nobis) præallatis ab accusatore calumnijs immanis vtique iniuria indicitur, ac procreatur, velut hi omnes tam cœci fuerint, vt populi quidem pro Pastoribus, Rectoribusque eosdem suspexerint, pro Præceptoribus ac Confessarijs Principes, pro suis administris Pontifices, pro suis Consiliarijs Generales Ecclesiæ Cœtus huiusmodi mendaciorum artifices, atq; architectos allicere, commendare, cumulare honoribus præ cæteris maluissent. Sic planè (vt dicam ingenue) quidam nostros impudenter adeo infamantes (vt aiebat in simili Augustinus lib. 4. in Iulianum cap. 8.) *non videntur cogitasse cum hominibus se agere, sed prorsus quasi pecora essent &c; sic abusi sunt imperitia prædictorum omnium, & tarditate ingenij, vel potius animi cæcitate.* Anno igitur 1215. (audiant hæc calumniatores, quæ ex vno è quatuor indicatis fontibus, scilicet Conciliorũ serie, omissis tribus cæteris, nunc deriuamus, & retusi toties, vel resipiscant, vel taceant, aut reuereantur, aut confundantur) Anno, inquam, 1215, mox ante confirmatum Ordinem, in Concilio Lateranensi priori sub Innocentio Tertio, Romæ celebrato, B. Patriarcha Dominicus præter eximiam vitæ sanctitatem singulari etiam Theologiæ cognitione eruditus, vtpote in Palentina Hyspaniarum tum temporis florentissima Accademia magistrali laurea decoratus, in confutandis Ioachimi erroribus, & explodendis Almerici insanijs, eruditionis plurimæ in publico Patrum consessu specimen dedit, ac comprobauit. Anno 1245 Innocentius Quartus Generale Concilium Lugdunense primum indixit, in quo cæterorum nostrorũ summus ac primus Ordinis Cardinalis F. Hugo de San. Theodorico errores plurimos cuiusdam Petri Vineæ

Ca-

Capuani, circa Summi Pontificis authoritatem, eruditis disputationibus cōfutauit; inter cæteros vero nostros ibidem præcipui nominatim descripti leguntur ab Altamura ad huncannum tres Archiepiscopi, & totidem Episcopi præter quatuor Theologos absoluto concilio transmissos seu delegatos ad conuersionem Tartarorum. Anno 1274 celebratum est secundum Lugdunense Concilium sub Gregorio X, ad quod euocatus D. Thomas Aquinas in itinere ad patriam cęlestem sublatus est, accesserunt vero atque adstiterunt è nostris tres Cardinales, & triginta tres Archiepiscopali vel Episcopali infula decorati, quorum singulorum infulatorum nomina habet Altamura ad eundem annum, Cardinalium vero hæc nomina sunt, F. Robertus Archiepiscopus Canthuariensis tunc Cardinalis Portuensis, F. Hugo Gallicus simul Archiepiscopus Lugdunensis, & F. Petrus à Tarantasia Cardinalis Ostiensis, qui postmodum Pontifex Maximus Innocentius V. electus est, ac præter quam plurimos ibidem doctissimos nostros simul cum Ioanne Vercellensi tunc Ordinis Magistro Generali celebrantes ibidem comitia ac concilij decreta suo ordine digerentes, Beatus quoq; Albertus Magnus in publico Concilij congressu simul & prælaudatus doctissimus Petrus à Tarantasia Doctores Græcos de suis erroribus conuicerunt, & ad vnionem tandem cum Romana Ecclesia redigerunt. Anno 1312 Viennense Concilium sub Clemente V. legitur celebratum, in quo è nostro instituto fuerunt, & confutauerunt errores Beguardorum & Beguinarum, F. Berengarius de Prouincia Tolosana tunc Magister Generalis Ordinis, postea sub Ioan. XXII. Archiepiscopus Compostellanus, F. Gulielmus Durandus Mimatensis Episcopus, qui iussu Pontificis eruditissimū librum edidit de rebus in eodem concilio decernendis, & prę cæteris alijs Theologiæ Magistris F. Nicolaus Farinula & F. Nicolaus Pratensis ambo tūc Cardinales, F. Thomas Anglicus postea Cardinalis S. Sabinæ, & F. Gulielmus Petri Barbacensis prius Sacri Palatij Magister postmodum similiter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, & quinque Archiepiscopi, pluresque Episcopi è nostra familia assumpti, quos nominatim ac singillatim descriptos habes in Bibliotheca Ambrosij de Altamura ad eundem annum 1312. Anno 1409 pro reddenda pace Ecclesiæ habitum est Concilium Generale Pisanum, & si non ita Patrum numero plenum, interuenientibus tamen è nostris Cardinali vno, Archiepiscopo altero, quinque Episcopis alijsque Theologis septem cum Thoma de Firmo Magistro Ordinis Generali, ex scriptoribus alijs ab Altamura citatis. Anno 1414 Sigismundi Imperatoris diligentia pro eadem Ecclesiæ pace inchoatum est Concilium Constantiense ad Schysma trium Pontificum Ioannis XXIII, Gregorij XII, & Benedicti X. extinguendum, in quo quidem opere potissimus & validus propugnator extitit, tum Illustrissimus Archiepiscopus F. Ioannes Dominici Cardinalis S. Sixti, doctissimus plurium, nobiliumque librorum scriptor, post sublatum schysma, ac damnatos errores Ioannis Hus & Wicleffi, inter electores Martini V. delectus, & mox ab eodem Pontifice Legatus missus in Hungariam aduersus Hussitas eosdem, tum D. Vincentius Ferrerius ex datis ad ipsum ex eodem Concilio epistolis, vt inter cæteros fatetur Gerson (qui eidem Concilio interfuit) folio mihi 123, latiusque de vtroque Altamura cum alijs id probat, addens præterea è nostris interfuisse eidem Concilio F. Iacobum de Balardis Laudensem post Magisterium Sacri

Palatij Episcopum Laudę, F. Antonium Ponticoronam Panormitanum Siciliæ Quæsitorem fidei ac Ferdinandi Primi Confessarium,& postea Episcopum Cephalenitanum, F. Martinum Poscum Senonensem tunc Ioannis Ducis Burgundiæ ac Flandriæ Confessarium eiusdemque Oratorem ad Concilium, & Martini V. electorem, & demum Episcopum Atrebatensem, F. Dominicum de Florentia Archiepiscopum Tolosanum, F. Petrum de Riga Archiepiscopum Corinthium, Fr. Ludouicum Valisoletanum, Antonium à Costa Lusitanum, Ioannem Nucibo Illemum, Ioannem Constantinopolitanum, Nicolaum Inquerium Flandrum, Andream de Pisis cum Leonardo Statio de Datis à Florentia Magistro Generali Ordinis, & ex Prouincijs, quæ sequebantur partes Benedicti, plures alios doctissimos Hispanos & Gallos cum altero Magistro Generali F. Ioanne de Podio Nucis, & ne longior sim, præter prænominatos antea Episcopos,& Archiepiscopos, duodecim insuper alios Episcopos, quorum singulorum nomina, patriam & insignia habet superabunde idē Altamura ad eundem annum 1414 omnino legendus. Anno 1423 sub Martino V. indictum prius Papiæ, postea Senis Concilium inchoatum est, cui præter alios è nostris *multos Archiepiscopos, atque Episcopos, necnon Theologos præstantissimos interuenientes*, vt loquitur idem Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana ad eundem annum 1433, inter Pontificios Præsidentes Concilij aderat noster prælaudatus Magister Ordinis F. Leonardus Statius de Datis Florentinus, sed peractis aliquibus sessionibus dissolutum est. Anno 1431 sub eodem Martino V. inchoatum est Concilium Basiliense, legitime quidem congregatum, sed sub Eugenio IV. à visibili Ecclesiæ capite deficiens in conciliabulum transuersum est, cum antea interfuissent eidem Concilio è nostris quinque præcipui nominati ad eundem annum ab Altamura Episcopi, Archiepiscopi alij, & Cardinalis Turrecremata, præter Ioannem Capreolum, Ioannem Nider, Bartholomæum Tetzerium Generalem Ordinis, Ioannem de Ragusio Procuratorem eiusdem Ordinis, Henricum Kaltisen, aliosque plurimos Theologos strenue ibidem pro authoritate Summi Pontificis decertantes, vt probat idem Altamura, ex quo non mirum, si (decedentibus istis subinde post citatum temereque reprobatum Eugenium IV. à paucis illis in conciliabolo remanentibus) vti testatur Pius II. in Bulla retractationum, mox ijdem relicti à nostris aduersam, hac etiam de causa, eisdem nostris Dominicanis sententiam tanquam articulum fidei in subsequenti immediate sessione proposuere, ac in reliqua iam nota, & reprobata ab Ecclesia inconuenientia prolapsi sunt, vbi nec vllus è nostris inter illos triginta duos electores ibidem Amadei in Antipapam repertus fuit, nec Fratres nostri Basiliensis Cœnobij (in quo plures antea legitimi Concilij sessiones celebratæ fuerant) deinceps congregationem illam schysmaticam admittere voluerunt, quapropter cum Cochlæo, Fernandez, Lucarino, & alijs Altamura concludit, *nostros postea plura mala perpessos esse, iuisseque gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro fidelitate in Apostolicam Sedem contumeliam pati*; Hæc ille cum alijs, ex quibus vides, quam falso, ac temere P. Alua in suis proscriptis nodis folio secundæ editionis 537 *se scire* dixerit, *quod quando Concilium istud Basiliense decessit à suo capite Eugenio IV. propter illam propositionem, Concilium est supra Papam, Ioannes de Turrecremata extraxit ex S. Thoma, & tradidit Concilio omnia, quæ habebat in suis*

operibus pro illa opinione, quam falso, inquam, hæc effutiuerit, cum immo, necdum illi propositioni schysmaticæ tota quanta est S.Thomæ doctrina aduersetur, verum & contra illam ex proposito & robustissime egerit idem Turrecremata in tunc edito Opusculo septuaginta trium resolutionum (vt adhuc legere est) ex S. Thomæ doctrina aduersus Ioannem de Segobia præcipuum Basileæ pro eadem propositione Anthagonistam, vt exscribit de verbo ad verbū nouissime idem opusculum Bail Parisiensis tomo 1.Conciliorum pag.83.anno 1439.Sub eodem Eugenio IV, cum superiori anno inchoatum fuisset Ferrariæ aduersus prædictum conciliabulum Basileæ dimissum, celebratum est Generale Concilium Florentiæ præsertim pro vnione Græcorum, ibique adstiterunt è nostris D. Antoninus paulo post Archiepiscopus Florentinus, Cardinalis Turrecremata, Bartholomæus Lapatius prælaudatus mox ante, Andreas Archiepiscopus Colossensis, & præ cęteris acerrimus disputator ac victor Ioannes de Montenigro nostræ Prouinciæ Lombardiæ Prouincialis, *præter alios plurimos ex eodem Ordine nostro Archiepiscopos, Episcopos, ac Theologos*, vt loquitur idē Altamura ad annum 1438 circa medium, & nos supra lib. 2. de hac re alia plurima adiungebamus. Anno 1511 coactum est Pisis conciliabulum renitente summo Pontifice, eodemque damnante anno sequenti Romæ die 19. Aprilis: Sed contra Apologeticos, atque Schysmaticos pro eodem conciliabulo libros, scripsit postea Thomas noster de Vio Caietanus tunc Ordinis Generalis Magister, tribus nostris præcipuis Pisas de legatis iussu Pontificis pro reprimendis ibidem schysmaticis, quorum delegatorum nomina fuere, F. Augustinus Nallius Ragusinus postea Mercantensis Episcopus, Matthæus de Lulmo Prouincialis Lombardiæ deinde Laodicenus Episcopus, & Bartholomæus Rondaninus à Fauentia, hisque animati nostri ibidem Pisani Cœnobij Religiosi homines aduentantibus Schysmaticis (vt templum nostrum solemniter ingrederentur) templi fores constantissime occluserunt, vti in memorabilis fortitudinis monumentum eædem Ecclesiæ fores proprio euulsæ loco in anteriori facie templi repositæ, per centum & amplius annos vsque ad nostra tempora marcidę perstiterunt, atque historiam eandem cum nostrorum laude descripserunt F. Thomas Nerius Florentinus ex Chronico Zenobij Acciaioli sub Leone X. Bibliothecarij Vaticani, & cum eisdem alij. Anno 1512 congregatur sub Iulio II. Concilium Generale Lateranense V. ac vltimum, postea completum sub Leone X. 1517, cui adstitere e nostra familia, præ cæteris præcipue Episcopi septem ab Altamura sub anno 1511 descripti, & prælaudatus Caietanus tunc Magister Generalis Ordinis, postea Cardinalis, simul cum Nicolao Sciumbergo, tunc Procuratore Generali eiusdem Ordinis, cum altero F. Augustino Viro doctissimo & cum alijs Theologis laudatissimis Ordinis Prædicatorum. Quid tandem de celeberrima omnium, licet postrema omnium, Generali Synodo Tridentina dicemus, in qua effulsere præsertim tot nobilissimi nostri Doctores Ordinis, tum nomine summi Pontificis, tum aliorum Regum, ac Principum Theologi, aut Oratores, tum Archiepiscopi sex, quadraginta Episcopi, tum tot alij supra quadragenos Theologos simul cum nostris successiue Generalibus Magistris Ordinis? Quid præter à nobis expensa superius in hanc rem lib. 3. q. 3. in præsenti necesse erit exscribere plura ex eodem sæpe hic laudato Altamura, tum in Bibliotheca,

ca, tum iterum in Appendice sub anno 1544, quinque per extensum paginis id percurrente, designatis & ijs nominatim nostris, qui demandante Concilio, aut successiue præcipiente Pontifice, vel decreta Concilij disposuerunt, vel editioni reformatæ Missalis, atque Breuiarij præsiderunt, vel Romanum Catechismum lucubrarunt, vel Indicem librorum prohibitorum ediderũt, sparsimque non semel ab Eminentissimo Cardinali Pallauicino in historia eiusdẽ Tridentini Concilij commendati leguntur. Quid demum reliquum est, vt vltro præsenti hoc loco probemus, his stantibus, iniuriam inferre non quidem nostris duntaxar, sed potius Ecclesiæ Ordini, illos, qui vbique adhibitos ac commendatos tam splendidos Prædicatorum Ordinis professores cum hæterodoxis infamare non desinunt, velut mendaciorum propopolas, aut fictarum reuelationum pro implanandis, seu dementandis populis administros? Hos ergo fraudum detectores (repeteret Tertullianus, quæ in Marcionistas, ac Valentinianos olim aicbat) *hos liberanda veritas expectabat? Interim tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa? O Christe pientissime* (verba sunt eiusdem Tertulliani lib. 1. in Marcionem cap. 20) *O Christe pientissime, qui tot annis interuersionem prædicationis* (in Prædicatorum Ordine) *sustinuisti, donec scilicet hic tibi Marcion subueniret!*

Ad primum ergo de Beato Pio V. & Diua Senensi, quo ad primum quidem quod dicitur, *nescio quem* (vt obijciens loquitur) *suppleuisse pro costa carnem*, quo ad secundum quod additur, intrusam esse in eius scriptis reuelationem, quæ obijceretur contrariæ *reuelationi S. Birgittæ*; Si opponens nescit, & nos quid ipse loquatur aut intellexerit, ignoramus. *O præclara argumenta!* (vel Apuleius ipse irridendo exclamaret in apologia) *O præclara argumenta, & aperte criminis reuincentia! hoc fuit, quoniam quid fuerit ignoras: Solus repertus es, Æmiliane, qui scias etiam illa, quæ nescis. Aut calumniaris, aut nescis, quid loquaris* (hic diceret Augustinus lib. 1. operis imperfecti in Iulianum cap. 42. adderetque Hieronymus ea sua verba in Vigilantium) *Quid sit illud nescio quid, seu quis sit ille nescio quis, scire desidero, expone manifestius, vt tota libertate blasphemes*, (seu vt Sanctissimum Pontificem iam solemni ritu ab Ecclesia Beatorum albo adscriptum impudẽtissimè hac fabella dehonestes) circa quam (pergeret idem Hieronymus lib. 2. in Rufinum) *sicut non possumus nos excusare de eo, quod quale sit nescimus, ita ne accusari quidem possumus de eo, quod vel si fit penitus ignoramus*; satque nobis est, tum ex Spondano ad annum 1572. num. 5. inclusum in Sepulcro Beati Cadauer post quindecim annos illæsum à Sixto V. in marmoreum Mausolæum solemniter translatum esse, *ne fingeretur* (vt de Iudæis aiebat Tertullianus lib. de spectaculis) *hortulanum detraxisse, ne lactuca suæ commeantium frequentia læderentur*, tum eiusdem B. Pij V. in cælites inscriptionem contigisse, cui tu *remotam iniectam esse* fabulabaris, mox inde re ipsa à nobis, Deo fauente, impetratam, ac in toto Christiano orbe (ringente vtique futela huiusmodi, defatuata, aut despumata calumnia) celebratam esse. Nec minus altera ob fictam à nobis reuelationem Senensis obiectio despuenda venit, si perpendatur (omissis cæteris, quæ singillatim cuidam alteri, in suo proscripto libro, impugnatori eiusdem reuelationis, si locus hic ferret, adiungeremus) si perpendatur, inquam, tum ex vna parte Diuæ Birgittæ reuelationes non prius fuisse permissas

Digitized by Google

sas, vt ederentur, quam à Cardinali nostro Turrecremata in Basiliensi Concilio (cuius vltima Sessio contigit anno 1448) recognitæ fuerint, ac approbatæ, tum ex altera parte D. Antoninum nostrum (qui obijt anno 1459) scribentem proinde aliquibus antea annis in p. p. suæ summæ titulo 8. cap. 2, circa idem tempus aut paulo post annum eundem, quo Turrecremata illas D. Birgittæ reuelationes approbarat, testatum esse iam antea vt notam & istam reuelationem D. Senensis inter eiusdem reuelationes adfuisse, dum inquit: *Si dicatur, aliquos Sanctos habuisse reuelationem de huiusmodi, vt S. Birgitta: sciendum quod alia Sancta claruerunt miraculis, vt B. Catharina de Senis, habuerunt reuelationem de contrario, & cum etiam veri Prophetæ aliquando putent se ex reuelatione Spiritus Sancti aliquid habere, quod ex se dicunt, non est inconueniens dicere, quod tales reuelationes non fuerint à Deo:* Hæc D. Antoninus (quem mentitum esse nefas est affirmare vel credere) innixus alioquin in suis posthumis verbis etiam Doctrinæ S. Thomæ 2. 2. q. 171. ar. 5. immo Augustini, & Gregorij citatorum ibidem à S. Thoma. Quomodo ergo, vel vnus è nostris suismet scriptis de eadem re contrariam illam D. Birgittæ reuelationem, vt vulgaretur, approbasset, si postea nostri aliam eidem contrariam in D. Senensis libros intrudere cogitassent? vel quomodo hæc D. Senensi reuelatio à nostris affixa fuit, vt obijceretur (iuxta arguentem) contrariæ illi tunc alteri evulgatæ, si ante eiusdem evulgationem in libris D. Senensis iā manifestam extitisse D. Antoninus circa idem tempus evulgationis testatus est? Quomodo rursus, cum hinc ante annum 1459, quo D. Antoninus obijt, extaret iam inter D. Catherinæ reuelationes & ista, deinde in examine pro Canonismo eiusdem, tum quo ad doctrinæ libros eiusdem, tum quo ad sanctitatem, etiam in Bulla Pij II. cita subsequenter ad annum 1461, ne dum ea reuelatio expuncta non fuit, verum etiam vniuersim eiusdem reuelationes ac scripta indiscriminatim in Bulla eadem *doctrina infusa non acquisita* appellata sunt? Hæc, fateor, adeo euidentia, me quidem consule, sunt, vt reluctantem his ipsis, ac nobis aduersum Martinum Delrio pro subterfugio transuersum egerint, in splendentissimum Anacronismum temetamque ex aduerso nostri Ioannis de Neapoli criminationem, aiendo nimirum (lib. 4. quæstionum magicarum q. 3. sectione 4) *se non magni facere hoc dictum Antonini, quo ad solutionem argumenti pro tempore vsus est, eo quod Ioannis de Neapoli alia solutio, quam ibi refert, ei merito nimis imprudens videbatur*, dum scilicet *Ioannes de Neapoli dicebat*, vt refert, immediate ante verba à nobis recitata, Antoninus, *quod sunt visiones phantasticæ, quibus non est credendum*, proinde hic Martinus Delrio supponit his verbis Ioannem de Neapoli spectauisse contrarietatem inter vtramque reuelationem D. Birgittæ, ac D. Senensis, atque eo modo huiusmodi reuelationes *impudenter* aspernatum esse. Et tamen (proh pudor?) Anactonismum attende. Cum Ioannes de Neapoli vix attigerit annum 1323. (quo D. Thomas Sanctorum numero adscriptus est) vt probatur in vita eiusdem Scriptoris affixa vulgato eiusdem operi, Diua vero Senensis obijerit anno 1380, planè res exploratissima est, non potuisse Neapolitanum Ioannem vel somniare aliquid de D. Senensi, nec rursus ea verba de reuelatione etiam D. Birgittæ pronunciare, quæ immo protulisse testatur idem Antoninus ibidem *de altera reuelatione, seu de visione Bernardi*, vt Diu. Antoninus loquitur, qua, vt mox ante retulerat eodem cap. 2.

quidam

quidam simplices dicebant, quod in visione apparuit D. Bernardus cum macula in pectore, eo quod hoc dixerat &c. Hæc Antoninus, ex quibus vides, quam manifeste soleant hallucinari, qui res nostras tam longa sæculorum serie probatas, atque firmatas nimio nunc ardore pessundare student, vel labefactare, vel saltem sub lite reponere; licet tandem & ipse Delrius fortasse præuidens, quam debili, ac falso fundamento inniteretur, ibidem saltem pro compensanda dedecoris falsitate, in hæc verba concludat, *sibi probabilius videri, ea quæ hoc ab Ordine falso conficta, qui tum sit sanctissimus tale crimen in se non admisisset &c.* Hæc ille, quæ simul cum præallatis ex Bullæ verbis istum quoque scriptorem Diatribarum compescere potuissent.

Ad secundum de Beato Alberto Magno expostulato quoad tria, magicam scilicet duorum puerorum fabulam, Æreum caput, ac inductum in hyeme Ver; de primo ipse pertractat lib. 1. tract. 4. cap. 3. inquirens in titulo, *an anima per solum intellectum, aut imaginationem possit ad nutum mouere corpora separata*, & pro affirmatiua, obijciendo contra suam mox apponendam conclusionem, fabellam illam proponit ac refert illis verbis, *certissimum, inquiunt, est quosdam sic nasci vt mira faciant &c. Exempli causa &c*, & refert commentum illud *duorum puerorum &c.* Contra quæ tamen productis validis ex aduerso rationibus ipse concludit: *propter hæc igitur & multa alia similia dicimus falsa esse omnia, quæ adducta sunt: præter hoc solum, quod intellectus & imaginatio mouent corpora sibi coniuncta & vnita per formam intellectus vel imaginationis, sicut in scientia de anima dictum est*: Hæc Albertus, conuincentia nostrum accusatorem relapsum in crimen illud, cuius reum expostulabat superius §. 87, ignotum que n[illegible] Albertum Vaquerium accipientem pro assertione auctoris Libelli de appulsu S. Mariæ Magdalenæ Massiliam aduersus Launoyum, *argumentationes ab eodem pro parte contraria propositas*, aut verius euius hallucinationis, seù criminis, expostulatus fuit à censura Accademiæ Louaniensis sub titulo *Vulpes capta* etiam ipse Ripalda, velut obiectiones relatas à D. Prospero, ac refutatas in carmine de Ingratis, sub Prosperi nomine retulisset; vt omittam tres similes lapsus circa tria similiter Augustini loca notatos in grauioribus alijs eiusdem instituti scriptoribus à Iansenio lib. de gratia primi hominis cap. 17. & lib. 2. de gratia Christi Saluatoris cap. 30. *Non quasi igitur ipsius sint verba* (vt in simili loquebatur Athanasius in libro de Decretis) *aut quasi ipse ita sentiret, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt, accipienda erant, post quæ statim ista, quæ propria ipsius sunt, subinculit &c.* vti mox ante relatum est. Quo ad caput æreum vel æneum voces emittens, aliud sanè est loqui de capite huiusmodi sic fabrefacto, vt dispositis introrsum rotis, aut instrumentis, adinstar horologij, statuto tempore determinati sonitus emitterentur, aliud est de eodem indiscriminatim ad interrogationes quandocunque propositas responsa præbente: hoc secundo modo, vt mox subiungemus, fabella fuit, cum nisi per Magiam dæmoniacam illicite id fieri queat, vel si licite, non nisi miraculose superhumana ac diuina virtute præstari id possit; primo vero modo naturali etiam facultati possibile fuisse demonstrant, tum quæ Tibure in hortis Cardinalis Estensis à Clauoio olim facta ac reputata miracula, modo fere communia Romæ in viridarijs Principum, præcipue Tusculi, inspiciuntur, & ipsi vidimus, vbi aquarum leni, ac placido illapsu æneæ auiculæ motu, voce, cantu ad noctuæ ad-

aduentum opportunè intermisso, ad eiusque decessum repetito opportunius, ita imitantur veras, vt nimis creduli si decipiantur, excusandi etiam non immerito videantur, tum quod Strabo lib. 17. Geographiæ de Memnonio Colosso summo mane vocali, atque à se viso, & audito, testatus est dicens, *sibi in mentem venisse velut è sic compositis lapidibus strepitus emitteretur*, de quo & Plinius lib. 36. cap. 7. & Tacitus lib. 2. Annalium legi queunt, tum quod Theodoricus Italiæ Rex in Epistola ad D. Seuerinum Boetium de similibus omnino ab eodem artefactis aiebat. *tuæ artis ingenio metalla mugiunt, æneus anguis insibilat, aues simulata sunt, & quæ vocem propriam habere nesciunt, dulcedinem cantibus probantur emittere*, tum quod in hunc modum similiter potuisse à B. Alberto vocale illud caput ex ære fabrefieri sustinet Turreblancha de Magia lib. 2. cap. 2. atque in hoc sensu accipiendos esse Gulielmum Parisiensem lib. de *Vniuerso*, & Michaelem Medinam de recta in Deum fide lib. 2. cap. 7. vti & prosequitur eruditissimus quoque Maluenda noster lib. 7. de Antichristo cap. 19. dum veram fuisse supponunt hanc de Alberto narrationem, & cum eisdem nuper Alassius tomo 1. de potestate Angelica distinct. 2. quæst. 1. ar. 5. §. *posset autem concedi*, scilicet in præexplicato mox sensu primo. Posteriori vero modo, non Alberti planè sed longe antiquorum Magorum vocale caput æneum fuit (vt ex quodam antiquiori Ægidio historiographo Hyspano recenset ac loquitur Abulensis tum in paradoxo 5. cap. 31, tum in caput 21. Numerorum quæst. 9.) *Astrologicum*, inquam, *caput in quodam loco Territorij Numantini scilicet Ciuitatis Zammorræ fuit, in loco, qui Tanara dicitur, quod ad hoc specialiter positum erat, ut Iudæos, cum in eodem loco essent, proderet. Vnde, si aliquando Iudæorum aliquis ibi erat, quamquam à nemine agnitus foret, caput ipsum per se clamabat dicens, Iudæum in loco esse, & sæpius hoc frequentabat, nunquam ab hoc clamore desistens, quousque Iudæus de loco egrederetur. Hoc autem Oppidanorum imperitia confractum est &c.* Hæc apud Abulensem antiqua narratio legitur, ex qua non mirum si Alberto Coloniæ docenti D. Thomam, velut priori modo vocale caput efformanti (vt scientissimus in omnibus erat) hoc posteriori etiam modo caput magicum, crescente in vulgus fama, affictum est, sicut & alter liber de Magia eidem falso impositus fuit, & alia huiusmodi fabulose supposita sunt, vt notat, ac probat Castillus par. 1. Historiæ lib. 3. cap. 46, atque ideo in hoc posteriori sensu vt fabulam vtrique hoc idem caput vocale Alberti non immerito exsibilarunt è nostris Raphael à Turre 2. 2. quæst. 96. ar. 2. disp. 4. §. vltimo, Castillus vbi mox, Alassius loco laudato, Ferrariensis 3. contra gentes cap. 104. ex Doctrina San. Thomæ ibidem, & alij, antequam à Delrio lib. 1. cap. 4, aut ab isto Diatribarum Scriptore, nulla facta distinctione, vt debebat, supercilliosa censura, vt solet, irrideretur. Nec minori certè imprudentia ridetur, seu commentum nominatur, postremum illud de Vere inducto in media Hyeme &c. quod ex aduerso Spondanus emunctæ naris scriptor ad annum 1247. num. 3. ab hæreticorum calumnia defendit de B. Alberto dicens, *hæc Albertum vel Philosophia naturali, vel etiam virtute supernaturali sibi communicata præstare, vt erat sanctitate iuxta & Doctrina præditus, potuisse:* vt vero obiter refellamus & Aluam aspernantem titulum *Magni* attributum eidem Beato, audiendus est, tum idem Spondanus mox infra ad annum 1259. num. 16. ex Auentino etiam lib. 7. appellans eum *Varronem longeque Varrone doctiorem*, &

cum Bergomensi lib. 15. dicens, *tantæ eum fuisse Doctrinæ, vt non solum nemo ei anteponendus sit, sed nec quidem æquiparandus*, tum Trithemius consentiens his verbis; *non surrexit post eum Vir similis ei, qui in omnibus litteris, scientijs & rebus tam doctus, eruditus, & expertus fuerit*, tum Labbeus Societatis scriptor hoc ei elogium adscribens; *Albertus Deiparæ Philosophus, impleuit Orbem octingentis libris, satis vnus omnibus Bibliothecis; nec mirum si omnibus sufficit, qui Thomæ discipulo satis fuit: modum posuit artibus curiosis, ne vltra pergerent, ostendit vbi desineret natura, vnde inciperet gratia*; tum demum consulendæ sunt Galliarum gentes, cur vsque ad hæc tempora nostra Parisijs Platea quædam, in qua pro exundanti Auditorum frequentia Albertus legere coactus fuit, nunc appelletur *Place Maubert*, nisi quia ab eodem Alberto *Platea magni Alberti* parum abbreuiatis vocibus denominata fuit.

Ad tertium de Ioanne Vicentino: Nec Fulgosius quid aliud refert, quam Bonati verba, nec Guido Bonatus (si adhuc ipsi fidendum esset) quid aliud habet, quam *Vicentinum hanc de se in hominum animis opinionem confirmasse, vt cum eo Deus loqui videretur, & in eius verbo mortui suscitarentur, hincque in Bononiensis Ciuitatis dominatum se insinuasse &c. vt in Vrbe manerent, eaque pellerentur, quos ipse Leo aut gratos, aut inuisos, tamquam diuinitus moneretur, affirmaret*; nullibi vero ait, vt accusator imponit, à Vicentino eodem *dementatam fuisse per confictas reuelationes plebeculam*. Immo non irrationabilem, dolove inductam hanc de eiusdem probitate opinionem in hominum animis fuisse testantur (omissis nostris, Taegio, Plodio, Bzouio & alijs) ac laudant tum Spondanus ad annum 1233. num. 6. describens inter cæteros in Italia Ecclesiæ paci ac Gregorij Papæ IX. tunc regnantis auctoritati feliciter insudantes, *integritate præstantes*, vt loquitur, *præcipuum fuisse Ioannem Vicetinum Ordinis Prædicat. quod summam eius eloquentiam, atque incredibilem apud Populos authoritatem, mira Doctrinæ & sanctitatis specie, nec non miraculorum editione conciliatam accepisset, Bononiæ singulorum Ciuibus ipsoque Episcopo, in eius arbitrio sese proficentibus &c. destinatum a Gregorio Legatum &c. facile omnes ad concordiam ineundam adduxisse*, cooperantibus simul alijs duobus nostris, scilicet Bartholomæo Vicētino, & Petro Veronensi in alijs Italiæ partibus strenue pro eadem Apostolica Sede cum incredibili tunc populorum applausu laborantibus, ibidem similiter à Spondano descriptis, ac summis laudibus cumulatis; tum infra idem Spondanus num. 10 repetens simul cum Thoma Cantipratensi, eundem Ioannem Vicetinum *alia miracula edidisse vsque ad septem mortuorum suscitationem*, vindicansque eundem à calumnia Matthæi Parisij Angli hæretici iurati hostis Ecclesiæ simul ac Dominicanorum, cæterorumque Ordinum, tunc pro Ecclesia laborantium (vt monuerat ad eundem annum idem Spondanus num. 7. ac repetit ad annum 1225. num. 6.) ac vltro concludens, *potuisse etiam Parisium hæc audiuisse ex falsis aliquibus rumoribus in Vicetinum concitatis &c.* tum Marianus in Historia Vincentiæ, tum Sigonius in Descriptione Italiæ egregijs eundem encomijs concelebrant; tum Odericus Rainaldus Congregationis Oratorij in supplemento Baronij tomo 13. ad annum 1233. pag. 445, num. 31. prosequutus longe diffusius eiusdem Vicetini laudes exscriptis etiam tunc regnātis Gregorij IX. Pontificijs litteris ad eundem (vt ipse loquitur) *spectatæ sanctitatis virum, miraculisque editis conspicuum*, in quibus idem summus Pontifex ob egregie

præ-

præstitam operam gratulatur, ac laudat velut *libertate Spiritus Domini donatum*, vt ait Pontifex, & *per vnctionem eius de omnibus edoctum*, *per eiusque ministerium* agnoscit *languentium multitudinem respirare*, & Legatum instituit, & Bononienses hortatur, vt eidem obtemperent, elargitus illis, *qui sacris eiusdem concionibus interessent*, *viginti dierum indulgentiam*, & tandem consolatur in ferendis pro Christo maleuolorum calumnijs, *ne erubesceret* (eiusdem Pontificis verba sunt) *gloriosum Crucis opprobrium cum hac ad eius probationem dispensatio diuina sustineret, ne esset discipulus supra magistrum &c. ac inde, si Dominum vocauerunt Beelzebub, non mirandum, si de domesticis Christi dicerent, & facerent &c.* hæc & plura alia Summus Pontifex ibi, vt Odericus exscribit, pro *ingenti sanctitatis fama, quam Vicetinus sibi apud populos comparaerat*, etsi, inquit, *Arcano Consilio permiserit numen exercendæ ipsius probandæque virtutis gratia, per aliquos maleuolentia in eum suffusos famam ipsius tactis contumelijs lacerari*, quibus sane hic auctor Diatribarum poterit accenseri. An vero hoc ipsum infortunium Hieronymo Sauonarolæ contigerit (cum alioquin certum sit non ob ficta miracula aliquid passum esse, & Delrij obiectio aduersus quamdam eiusdem prædictionem, ex Doctrina S. Thomæ 2. 2. qu. 171. ar. 5. soluatur) malim ipse Lectores dimittere, aut ad editas olim pro eodem defensiones Pici Mirandulani, Marsilij Ficini, & aliorum nobilium illius ætatis scriptorum (qui rem ipsam viderant, suisque manibus contrectauerunt) aut ad Petrum Malpæum in palma fidei pro eodem plura scribentem, aut ad Altamuram nostrum in Bibliotheca Dominicana ad annum 1498. describentem eundem, aut ad Guicciardinum tunc Florentiæ degentem, ac lib. 3. in fine egregie eiusdem laudes prosequentem, aut ad Philippum Comineum in sua historia pro eodem plura subdentem, aut ad Spondanum post laudatos eiusdem Sauonarolæ domesticos, innumerosque discipulos celeberrimos, quos inter nobilem Nicolaum Scombergum postea Cardinalem, post laudatos hos, inquam, addentem, *grauissima nihilominus in eum a maleuolis coniuratione facta &c.* aut ad Fontanã in *monumentis Dominicanis* anno 1496. & sequenti, plura ex eodem Spondano & alijs de Sauonarola eum laude repetentem, aut demum ad Vicentium Tolosanum lib. 4. sec. 2. ar. 4. §. 1. narrantem tum D. Franciscum à Paula arcta cum eodem necessitudine iunctum, in Epist. ad amicum, prælaudata eiusdem vita, simul infortunatum eiusdem exitum prænunciasse, tum D. Philippum Nerium, vt refert Bzouius ex processu Canonizationis eiusdem Nerij, ardenti in eundem affectu simul cum sua nobilissima Florentina familia propensum, in magna eundem veneratione habuisse. Ad hos itaque malim Lectores remittere, potius quam in huiusmodi Quæstionibus facti (in quibus iuxta Theologos, ac iuxta verba Innocentij III. in cap. *à nobis* de sententia excommunicationis, *Iudicium Dei sequitur veritatem, quæ non fallit, nec fallitur, iudicium autem Ecclesiæ nonnunqua n sequitur veritatem, quam & fallere sæpe contingit, & falli*), malim, inquam, ad prælaudatos tot ante Scriptores Lectorem remittere, quam ausim ipse quid amplius subnotare, aut forsitan temere iudicare. Cum longe certiora præsertim extraneorum quorumdam (cum quibus, vel de quibus agimus) infortunia Romæ quoque noscantur etiam ætate hac nostra vt ante retulimus, & ne dum in fine sæculi superioris, quo Criminosissimus ille Scriptor *de Republica Christiana* hæresiarcha, & ne dum Apostata, prodijt, adeo vt valeamus hic tandem

cum Augustino concludere lib. 2. in Petilianum cap. 23. *Ex me ista dicere videar, si non tacito nomine agnoscitur de quo dicam. Quæ si vera sunt, sicut ad vos ista non pertinent, ita nec quidquid dicis, ad nos, etiamsi vera diceres. Si autem falsa fama de altero aliquo Collega vestro, iusto & innocente mentita est, nullo modo etiam famæ credendum est, quæ de Innocentibus fortasse nostris mentita est. Huc accedit, quod ego illum commemoro, qui vobiscum vixit &c. tu autem illos nobis obijcis, cum quibus non viximus, quorum faciem non vidimus, quorumque ætate nec dum nati eramus. Quæ est ista tanta peruersitas, velle nobis imponere sarcinas ignotorum, cum vos portare nolitis amicorum &c? an vos tales non estis, qualem illum fuisse gens tota conclamat? Nec nos ergo tales sumus, quales illos, quos nobis obijcitis, vel veritas fortasse probat, vel error vester suspicatur, vel furor infamat.* Verum nec ista insuper à nobis dicta sic accipi volumus, vt mali aliquid cæteris improperetur. *Servum enim Domini non oportet litigare* (vt cum Apostolo subdit eodem lib. Augustinus cap. 52.) *sed esse mitem ad omnes, docibilem, in modestia corripientem diuersa sentientes. Si ergo vobis obijcimus eos, qui mala apud vos perpetrarunt, inepte litigamus, alios ex alijs accusantes. Si autem vos admonemus, vt sicut illa vobis non vultis obijci, sic nobis non obijciatis vel aliena vel falsa, in modestia vtique vos corripimus, si qui aliquando resipiscatis:* Hæc Augustinus, quæ tum pro præsenti argumento, quod soluimus, tum pro postremo, quod infra soluemus, nobis accommode liceat adaptari.

Ad quartum de Thoma Lemos laudato à Coquerio, extat iam nuper impressa Venerabilis eiusdem vita descripta à commendabili Scriptore Marchesio in Diario Dominicano in tomo Mensis Augusti ad diem 23. eiusdem Mensis, cum iuratis attestationibus, grauibusque hominum fide dignorum testimonijs, ad quæ Lectorem remittimus. Quidquid vero sit an Coquerius vel scripserit, vel intellexerit tantum, sic dicti Lemos Venerandam coram Pontifice faciem apparuisse, vt radios (quos non etiam emitteret) saltem emittere videretur, aut simili modo visum esse pro deuotione in sacri celebratione reassumere magis purgatos oculos, quibus alioquin plerunque notabiliter laborabat, aut in eodem sensu simile alterum apparuisse, quod reipsa fuisse (nisi ab Ecclesia probetur) ipse in præsenti non ausim affirmare: non ne (adhuc diceret fortasse aliquis) intelligi fortasse id potuit eo modo, quo quædam apparent, licet reipsa complete non adsint, & tamen pro vulgari saltem loquendi modo, ac si ita essent, enunciata leguntur? quemadmodum probat & noster Cano libro 2. locorum cap. 14. in hoc sensu defendens illud Saluatoris dictum apud Matthæum 24, *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem:* Etenim, inquit, *Quamquam fulgur non pertingit ab Oriente vsque in Occidentem, si ad philosophiæ rationem expendas, sed ad exprimendum subitum & inexpectatum quidem, sed conspicuum omnium oculis aduentum Christi, satis est accomodassetia, quod oculis nostris apparet. Alioquin etiam arguatur Moyses tamquam Astronomiæ imperitus, qui duo luminaria magna posuit, seu nuncupauit, cum sint alia multo n.atora: sed sensui nostro illa tiuo maxima apparent. Nec alienum est à sacris scripturæ auctoribus sese populo ruai attemperare, tiquique, vt vulgus solet. Hisce vero rebus exempla plura ego adiungerem, nici de hoc argumento satis superque esset dictum. Heliu certe iuxta hanc rationem illud dixit. (ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus). Iob 37. Ad eundem moaum Propheta ait. (qui fundauit terram*

super

super aquas) quasi aquæ inferiores sint, cum tamen emineant, vt decimo tertio libro ostendemus. Simili quoque lege tres Angeli, qui Patriarchæ apparuerunt, comedisse dicuntur &c. Hæc Cano. Verum quia nimium fortasse ab alijs coextendi huiuscemodi interpretatio valeret, supponimus ipsi Coquetium (iuxta Vrbani VIII. Decretum) quæ de Lemos referebat, non adhuc ab Ecclesia recognita, sub consueta protestatione, vt innixa dumtaxat humanæ fidei retulisse, vti, *vir grauis* (inquit teipsa de haceadem re pag. 327) *nobis retulit*, iuxta quā fidem humanam si à præexplicato priori mox sensu, crescente, vt solet, in vulgus fama, audita narratio ampliorem in sensum coextensa fuisset, quid quæso aliud Coquetius idem offendisset, quam eam excusabilem saltem in antiquissimis ijsque sanctissimis Vitis deceptionis sortem, seù, potius dixeris, infelicitatem, non vero vnquam culpabilem decipiendi voluntatem, vel malam artē, vt excusabat in simili prædictus Cano lib. 11. cap. 6. sacros eosdem viros tegula 2, per totam, vbi ne dum in Beluacensi nostro, ac D. Antonino, sed etiam in Beda, ac Gregorio Magno, quo ad vnam aut alteram in eorundem libris extantem de rebus dubijs historiam, id excusandnm esse monebat, inter cætera dicens, *se negare non posse Viros alioquin grauissimos in Diuorum præsertim prodigijs describendis sparsos rumores & excipisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse &c.* vt ipse adiungete excusationis motiua non præterit, confiteturque id ipsum Gregorius lib. 1. Dialogi cap. 4. dicens: *quid miraris, quia fallimur, qui homines sumus? Quid mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus?* Cur ergo noster Sapientissimus Lemos ironico illo agnomine *Herculis* dehonestari præsumitur, qui reipsa, vt fuit, dum viueret, ac coram Pontifice disputaret, ita quoque post mortem in quatuor robustissimis tomis de Gratia (antea, ignota nobis causa, delitescentibus, nunc tandem, dum ista imprimimus, posthumis licet, magno cum Orbis litterarij incremento vulgatis) monstrorum vtique (vti ab Auerroe apposite *monstra* 3. de Anima Commento 36. *opiniones falsæ* appellatæ sunt) triumphator apparet, cum quo congredi quicunque exinde molietur, necesse habebit, vt reor, vt prius sudet & algeat, & victus tandem proijciat & hastam; adeo vt, si daretur adhuc in allatis ab eodem Coquetio fuisse excessiue laudatum eūdem, iam cum Augustino epist. 32. ad Paulinum nunc pro se ipso idem Lemos respondere valeret his verbis: *sensi & istum non mentiendi studio, sed amandi propensione falli iudicantem, in his*, vt præmiserat, *quæ familiaris amicus meus de me forsan dixerit laudando &c.* Ad quid vero, præter hic dicta, de illius rursus disputationis Romanæ materia vel aduersarij libro (qui tandem ad minus in prolixa periodo ex integro abrasa castigatus fuit) recoquit iste tot vicibus crambem? tum mox supra §. 54. falso supponens Valdensem tomo 1. doctrinali cap. 28. reprehendentem, sine Auctorum nomine, quosdam detorquentes S. Thomæ doctrinam in suum erroneum sensum *de fatali quadam necessitate ex prouidentia diuina*, Thomistas nostros exinde intellexisse, cum tamen planum sit abutentes San. Thomæ, & Augustini doctrina, prænotatos ibidem ab ipso Valdensi, ac reprobatos, fuisse Wicleffum, & Hussitas, vt legenti patebit, & probant Salmaticenses in nupero tomo 6. de Gratia disp. 7. de Gratia efficaci dub. 4. num. 194, monebatque simul Franciscus Annatus Societatis Scriptor disp. 4. de Scientia media §. 2. Mox §. 65. hic idem auctor Diatribarum in hac re carpit Ban-

nesium

nesium nostrum (de quo supra respondimus) mox §. 93. vniuersos Dominicanos velut delatores sibi aduersæ sententiæ denunciat (cum tamen à Louaniensibus Iessium prius exagitatum fuisse iam supra probatum sit) mox §. 94. de Scriptione nostrorum in eandem rem licet pro eo tempore vtrique parti interdicta, conqueritur, (cum tamen vtriusque partis repetita opera, tum circa præscientiam, tum circa decreta, simul cum posthumo contra negatam edendi facultatem edito tomo 2. Suarez iam vulgo legantur, vt probant Salmanticenses superius); mox §. 140. supradicta nunc dissoluta reuoluit, mox §. 113. exultat de proscriptione historiæ rem ennarrantis editæ à Francisco Penna extraneo Scriptore Hyspano, laudato vel vltro à Sebastiano Salelles è Societate in prologo Operis de Origine Inquisitionis num. 7. (cum tamen, quo ad proscriptionem, Caramuel ipse in Theologia fundamentali fundamento 5. titulo 20. & 23. ab exemplis ostendat, *aliud esse pro bono pacis alioue malo vitando interdicere, aliud librum de falsitate damnare* sicut etiam, inquit, *Biblia sacra in lingua vernacula interdicta sunt, non quia mala, sed quia mali illis abuti solent*) mox §. 114. contra incognitum nobis sub nomine *Piscatoris* inuehitur, & §. 115. contra Reginaldum nostrum veluti eandem ennarrantes historiam, (quam fusius denuo repetit Bail Parisiensis tomo 2. Conciliorum) huncque Reginaldum velut de falsitate conuictum infamat ex sola attestatione Arubalis (qua sola Gabriel de Ennao in Apologetica historia pro suis contra nos vtebatur) atque (vt dixerat supra §. 33.) Roma profugum, post Iansenij causam, clam pœnæ subductum) cum tamen Reginaldus post proscriptas Romæ quinque Iansenij propositiones, quatuor adhuc mensibus Romę permanserit, & discessurus, pro gerenda præfectura in Prouincia Occitana, qua die 9 Kalendas Augusti eiusdem anni insignitus erat, mense sequenti in Festo D. Augustini à Legato Domino de Valencè ad pedum oscula Innocentij X. perductus, discesserit inde quatro Kalendas Octobris simul Benedictione Pontificia, ac quarumdam Indulgentiarum copia donatus, via Lauretana Bononiam, & Bononia Florentiam, indeque nec suspicatus mulctæ formidinem tuta semita, regressus in Galliam). Hæc, inquam, vbique parerga, ad quid obsecro, de re eadem disputata per Lemos, tot vicibus frustra, nec sine commentis, recocta crambe, repetita reponit? *An quæris* (vt contra Iulianum aiebat Augustinus lib. 3. Operis imperfecti cap. 20.) *vbi spatieris vagabunda loquacitate, non copiosus, sed odiosus est, qui rebus inhærentes superflua verba contemnunt?* Si ita est (adderet idem lib. eodem cap. 36.) *toties dicere vera me piget, cum toties te dicere vana non pudeat.*

Ad quintum de Bernensi Stropha, vti vel ab ipso tandem opponente vocatur, in communi prius responsuri præmittimus detestandi criminis fingendi miracula magis illos putari posse suspectos, quibus vera compertaque desint, quam illos, quibus maior longe ac notorum copia miraculorum exuberat. Pro Dominicanis vero quis nesciat haud deesse tot parrata à tot simul veteribus, atque recentibus celeberrimis sui Ordinis Sanctis ingentia, ac repetita miracula, ne dum claudorum, cœcorum, aut cæterorum huius generis incurabilium ægritudines subita, atque admirabili curatione depulsas, verum etiā mansuefactas & feras, obsequentes & Dæmones, famulantes Angelos, peragrata siccis pedibus æquora, vim comburendi in medio flammarum sublatam

incen-

incendijs, obtemperantia vel suis nutibus elementa, mortuosque restitutos ad vitam? Quis tot portenta perennantia in dies ignorat, quæ Suriani ad imaginem Sancti Dominici, tota Italia spectante, vel ad illius imaginis exemplaria vbique terrarum appensis tot Populorum, tot Principum donarijs, aut pro voto tabellis aspicimus? Quis non audit, aut experitur frequentia adeo precibus D. Hiacynthi per totam Europam, maxime in Gallia, & Polonia, miracula, vt Hiacynthus sit nomen Alexiaci & omnium malorum depulsoris? Quid dicam curatas febres haustu pulueris perennis è sepulcro D. Raymundi, qui per totum Orbem defertur in huiusmodi remedium? Quid beneficio S. Petri Martyris in aqua, aut ramis eius nomine benedictis à malis liberatos homines, à grandine seruatas segetes? Quid ope Sancti Telmi nauigantium sideris & Patroni sedatas tempestates? Quid Cereis Agnis à B. Pio V. benedictis mira patrata vbique terrarum, adeo vt ab omnibus, & Principibus quoque, & à Regibus illi Agni diligentissime velut thesauri seruentur, aut non habiti perquirantur? Quid D. Rosæ, non solum in Indijs, vnde regius hic primus eximiæ sanctitatis flosculus in nostrum Orbem delatus est, verum etiã in tota iam Europa innumera adeo miracula ac singularia ætate nostra conspicimus, vt fere iam nomen Thaumaturgæ adepta sit? Hęc cum copiosa adeo Ordini nostro non desint, quis quæso vel potuit suspicari verisimilem eam fabulam esse de ficto à nostris miraculo Bernæ, eisque propterea capitali pœna mulctatis? Ista in communi consideranti proinde, pro responsione etiam in singulari subiungimus (quæ recto ordine probanda nunc manent) hæc tria, nimirum primum, etsi daremus sic ibi è nostris aliquem peccauisse, non Ordini adhuc infamiam aliquam procreari, vt eidem nunc auctor Diatribarum affingit velut *in hoc genere admodum nauis*, seu *non parcis huiusmodi mercium adulterinarum*, vt loquebatur impudens, ac calumniosus obijciens: secundum est, etsi daremus iterum è nostris aliquem Bernæ coniuratis aduersus nostros Bernensibus tunc (vt mox ostendemus) ne dum auersis à nostris fidei Quæsitoribus, verum etiam auerti incipientibus ab obsequio in Ecclesiã, etsi, inquam, daremus tunc è nostris aliquem in huiusmodi rerum conditione fuisse addictum morti, non sequuturum adhuc eundem insontem, ob testium fraudes, non potuisse damnari: tertium demum à Reuclino Capnione damnato homine ac perditissimo iuratoque hoste Dominicanorum ante omnes tunc primũ fabellãm istam ex integro fuisse emissam in vulgus, indeque aliquos posteriores Scriptores incaute deceptos ab illo hoc repetijsse commẽtum, quos Diatribarum hic auctor congerebat. Et primum quidem euincerent vel sola verba Hieronymi in epist. 4. ad Rusticum, vbi recitaturus de Monachis contra se obiectionem, *quosdam etiam Dæmonum contra se pugnantium portenta finxisse, vt apud imperitos & vulgi homines miraculum sui facerent, & exinde lucra sectarentur*, e vestigio præoccupabat obiectionem his verbis: *Quæ culpa Christiani est nominis, si simulator Religionis in vitio sit?* quæ certe verba Hieronymi Erasmus, mordax de more, & impius, in Com mentario eiusdem epistolæ aduertere debuisset, ne carpta exinde occasione maledicendi subiungeret, *hodie quoque esse præsertim inter eos, qui solitariam agunt vitam, qui visiones & Dæmonum infestationes (an fingant nescio) certe narrant &c*: Debuisset iterum Erasmus, & cum eo id genus hominum, aduertisse validissimam in eosdem intortam argumen-

mentationem D. Augustini Epist. 137. aientis: *ad nihil aliud*, inquit, *student neque quid aliud captant, nisi vt quisque vel Clericus vel Monachus ceciderit, omnes tales esse credant: Et tamen ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas &c.* Debuisset simul his attendere auctor Diatribarum, ne dehonestans propterea Ordines Religiosorum Erasmo hæretico eiusdemque furfuris alijs arma subministrare voluisse in catholicos reputaretur, cum iuxta prætacta in argumento contraria, repetere possemus & nos, nobis accommodando ea verba Hieronymi lib. 2. in Rufinum. *Possemus & nos vestris vos coloribus pingere, & insanire contra insanientes, & dicere quidquid scimus, vel nescimus, vel audimus &c. vt & nos loqui, & vos audire puderet.* Neque enim olim, sed nostra ætate, non in hæreticorum, aut Barbarorum Prouincijs, sed in Orbis capite Roma spectanteque Orbe contigit &c. Sed *præstat motos componere fluctus*: Et facti instituti decori (quod iste non præstitit) parcere, ac reticere per integrum expedit, quod contigisse iam superstites homines non suspicantur quidem, sed probatissime norunt: *Quid tu interim* (vt loquebatur idem Hieronymus epist. 48) *quid neglecto vulnere proprio alios niteris infamare? An malorum tuorum putas solatium, si multos tui similes habeas? hæc idcirco retuli immo vix indicaui, vt totam tibi Scenam tuorum &c. in breui depingerem tabella, & gesta ante oculos tuos ponerem, ne nimiam clementiam materiã existimes delictorum.* Ad secundum proinde vt transeamus, in huiusmodi quæstionibus facti (vbi & Censuras Librorum in quæst. de iure Auctor iste Diatribarum Diatriba 9. contemnit) in quæstionibus, inquam, facti, ne dum inferiores iudices, verum etiam supremos, si semel homines sint, falli posse, præsertim ob coniuratorum adinuicem testificantium dolos & artes, negabit nemo, qui legerit vel paulo ante citata verba Innocentij III. in cap. *a nobis* de sententia excommunicationis, vel Nicolai similia in epist. 3. ad Michaelem distinc. 37. cap. 6. vel Alexandri III. cap. *si quando* de Rescriptis, vel Zosimi epist. 3. & aliorum Pontificum, tum Baronium in Annalibus sæpe, præsertim ad annum 1064; ab exemplo probantem, *In his, quæ contentiosi fori sunt, perfacile esse quempiam decipi, & falsis accusationibus, & subreptionibus exagitari innocentem*, vt ipse loquitur, tum eum Cano alijsque Theologis nouissime Vincentium Ferre tract. de fide quæst. 13. §. 11, Gonetum, Contenzonium & alios de fallibilitate in quæstionibus facti id prosequentes: Porro mox ante ea tempora, quibus accidisse, siue vere siue falso supponitur Bernæ illud quorundam nostrorum infortunium (anno scil. 1509, vt post Munsterum hæreticum refert ex Basselio Delrius) Bernenses iam aliorum hæreticorum *mero inebriari* cepisse (licet non adhuc tam manifeste Zuinglius Heluetiam inuasisset, cuius virus erupit anno 1516, vt probat Pallauicinus lib. 1. cap. 19.) me quidem iudice, certum est, ne dum quia iam anno 1448. terminato Basileæ parum à Berna distantis, Sathanico illo paucorum ibidem manentiũ Conciliabulo, aduersus Apostolicam Sedem, ac proinde aduersus nostros discedentes Dominicanos pro Apostolica Sede constantes, vulgatoque ab eisdem schysmaticis circa Deiparam placito tamquam articulo fidei, Bernenses etiam pro schysmate Basiliensi perstiterunt (ex Munstero lib. 3. in Bello Armeniaco pag. 413, & iterum pag. 424.) nec inde mirum Nicolaum Baselium Hirsaugiensem in referendo præsertim Bernensem Stropham, scripsisse eos nostros *Bernæ vt hæreti-*

cos

eos mulctatos esse, nempe, vt interpretatur, licet nobis aduersus in hac re, Delrius pag. mihi 373; *quia fieri potuit*, inquit, *vt Baselius fultus Concilij Basiliensis auctoritate habuerit illum circa Deiparam pro Articulo fidei, quamquã pro libera vtriusque partis defensione iam Sixtus IV. decretum edidisset;* non solum, inquam, id certum assero ob dictam causam, quæ sola adhuc sine dubio sufficeret, verum etiam vlterius ex eo, quod antecedenter ad suppositum euentum Bernæ à Baselio cum Munstero locatum ad annum 1509, iam vltro ante scripserat ad annum 1505. (vt Caluisus etiam Germanus hæreticus attestatur in Chronico) Erasmus Lutheri præcursor, ac Reuclini Collega, librum inscriptum, *Moria*, in quo, teste Alberto Pighio, Euangelium fabulam nuncupabat, & Christum velut stultitiæ affinem putentissime pessumdabat, nec minus Reuclinus confœderatus eidem, anterius longe ad annum 1497. (eodem attestante Caluiso) Comœdias primus in Germania ediderat, qui postea ad annum 1505. mandante Summo Pontifice, ob Thalmudicorum librorum restauratas ac defensatas insanias, Theologica, ac iudiciali Censura perculsus fuit, agente nostro pro Officij munere fidei Inquisitore Coloniensi Iacobo Hostrarano, vt præter alios Altamura describit V. *Iacobus*, num. 1527. Fuisse vero hæc tria venefica capita, Reuclinum, Erasmum, atque Lutherum, trifaucis veluti Tartarei tunc in Germania Cerberi in vno fœderis coniuncta corpore spumantia aduersus Apostolicam Sedem, atque in defensores eiusdem (cuiusmodi strenue Dominicani apud Germanos ea præsertim tempestate fuere) ex eo sine dubio conuincitur, tum quod de Erasmo in ordine ad Lutherum, præter adducta à Pallauicino lib. 1. cap. 23, non minus Posseuinus V. *Erasmus*, aduertit, commune tunc fuisse proloquium: *Erasmus innuit, Lutherus irruit, Erasmus dubitat Lutherus asseuerat; Erasmus parit Oua, Lutherus excludit Pullos; vel Lutherus Erasmizat, vel Erasmus Lutherizat;* tum quod de eodem Erasmo confœderato cum Reuclino testatur Erasmus ipse in libro Colloquiorum pag. 157. vocans *Incomparabilem Heroem Reuclinum in Diuorum numerum relatum*, vti & Theodorus Beza hæresiarcha inter imagines præcipuorum restauratorum Ecclesiæ Heterodoxæ singulari Icone, ac magnificè Reuclinum insigniuit; Nec minus laudauit eundẽ Gesnerus Tigurinus hæreticus in Bibliotheca V. *Ioannes Reuclinus*, etsi eundẽ exscribat aiẽtem, *se de Vniuersis nominibus egisse, quibus sapientes homines, & miraculosis operationibus præditi vtebantur*, & infra, *de virtutibus verborũ & figurarum, de Arcanis operationibus et mysterijs signaculorum &c*, quod sane est damnatissimam Cabalam è libris Thalmudicis Hebræorum iterum euocasse ac defendisse, vt bene vidit, tum Genebrardus lib. 2. Chronologiæ addens similia olim conatos alios hæreticos esse apud Irenæum lib. 1. cap. 9. & 10. repetitque Dominicus à S. Trinitate libro 4. sect. 7. cap. 9. tum Spondanus ad annum 1491. num. 12. de Reuclino dicens, *Linguæ hebraicæ mysteria Cabalisticis nugamentis maculasse*, tum Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ V. Traditiones, & V. *Esdras*, inde etiam reprehẽdens Galatinum quędam ex eisdem damnatis libris mutuantem, vt repetit etiam, & accusat eundem Posseuinus V. *Galatinus, quod quædam exstantia Romæ in Bibliotheca in Ara Cæli de Ioanne Capnione, seù Reuclino scripserit Galatinus*, & V. *Ioannes Reuclinus*, concludit huius Reuclini libros prænotatos (*speculum oculare, de Verbo mirifico, de Arte cabalistica*) *prohibitos esse in Romano indice*: Et vere sic est, nam cum Thalmudicas istas exsuscitatas insa-

nias Inquisitores nostri, præsertim Coloniæ, compescere niterentur, Reuclinus appellauit ad Cæsarem Maximilianum, qui pro tempore quodam suspendi voluit librorum comburium, malè exinde audiens, vt testatur Conradus Brunus lib. 6. de Hæreticis cap. 6, verum re delata ad Pontificem, Pontifex censuram Coloniensem comprobauit, exustionemque operi mandari præcepit, sicut tandem Coloniæ facta est (& narrauit deinde Reuclinus idem in subdola epist. ad Leonem X. anno 1517. conquestus se inde quinquennale bellum pertulisse) cum antea (referente prædicto Gesnero hæretico vbi suprà) ad initium controuersiæ seù ad initium eiusdem sæculi Reuclinus euulgasset, *Defensionem contra Calumniatores suos Colonienses*, verius ipse Calumniator ac nebulo, vt comprobauit euentus, repetente Paulo IV. ad annum 1559 condemnationem eandem comburendarum iterum Thalmudicarum lucubrationum, vti & postea Clemens VIII. in Romano indice renouauit. Hinc ergo non mirum hos Lutheri præcursores (qui Lutherus erupit mox ad annum 1516) ijs opportune temporibus ad rem nostram ad initium sęculi 1500, Reuclinum scilicet, & Erasmum, confœderatos ad inuicem, ac cum Luthero, vt ostēdimus, turbas delitescentium adhuc hæreticorum ac sectariorum, tum in Germania tota, tum Bernæ præcipue, in odium nostrorum Quæsitorum fidei excitasse, vt testatus est etiam Pallauicinus lib. 1. historiæ Tridentini cap. 23. num. 6. dicens, *Humanistarum tunc odia (quæ communia in scholasticos erant) aduersus Dominicanos speciatiora fuisse, eo quod Dominicani fungentes munere Quæsitorum fidei, sæpe humanistis huiusmodi editionem quorundam scriptorum suorum præpediebant &c.* vt narratum est: Fatebatur immo & ipse Erasmus lib. 19. epist. 13. ad Ioannem à Lasco Gesnensem, congaudens postea de morte eiusdem nostri Coloniensis Inquisitoris Iacobi Hocstratani, quem inter hostes sui ac confęderatorum sibimet hæreticisque aduersum appellabat *huius tragœdiæ coripheum*, & mox antequam idem Inquisitor moriretur, Hermannus Comes Nuenarius è comitijs Francofurtensibus scribens anno 1519 ad Carolum Austriacum tunc ad Imperium Romanorum euectum, pro effræniori Lutheri sui ac confęderatorum libertate perorans aduersus Regulares omnes stantes pro Apostolica Sede, præsertim aduersus nostros Quæsitores, aiebat: *Fraterculos quosdam magnis titulis insanientes iube suorum Cœnobiorum curam gerere &c. Vnica, crede mihi, pestis est in Germania Iacobus Hocstratanus &c*, scilicet exquirebat egregius hic noster encomiastes pro fide Catholica consiliarius, *canes mutos esse & non valentes latrare* pro grege Ecclesiæ in lupos immanes tunc erumpentes, quemadmodum postea (heu nimia) illata ab eisdem damna vel ijdē Germani Proceres forsan antea nimis desides inspexerunt. Verum (vt aiebat Augustinus lib. 3. operis imperfecti in Iulianum cap. 18.) *Nos quando pro Catholica fide ab hæreticis contumelias audimus pro laudibus habemus. Ista enim sunt machinæ hæreticorum* (iuxta verba Hieronymi lib. 3. in Rufinum) *vt conuicti de perfidia ad maledicta se conferant. Sic Eusthatius Antiochenus Episcopus filios dum nescit inuenit; sic Athanasius Alexandrinæ Vrbis Pontifex, tertiam Arsenij amputauit manum, duas enim qui mortuus prius fingebatur, viuens postea habere Arsenius monstratus est.* Sic Hocstratano nostro proportione seruata contigisse res incomperto est, ne dum ex commendatis eiusdem operibus atque inter hæc laudata præsertim *Apologia in destructionem Cabalæ, seu Cabalisticæ perfidiæ aduersus Ioannem Reuclinum Leoni X. Ponti-*

Digitized by Google

Pontifici Maximo dicata anno 1518, *& iterum altera contra Dialogum de causa Reuchlini & alijs aliquot apologijs contra eundem Reuclinum*, agnitis postea cum alijs pluribus apud Altamuram, verum etiam præsertim ex his, quæ habet Miræus in lib. de scriptoribus sæculi 16. cap. 34. inter alias eximias ac plurimas eiusdem nostri Hochstratani laudes addens, *Hochstratanum Ecclesiasticæ disciplinæ in fugandis arcendisque hæreticis tunc nascentibus vique irrumpentibus plurimis annis vigili cura, atque indefesso studio præfuisse. Quo factum est, vt & hæreticorum & hæreseos nouitati fauentium acerbissimum in se odium concitarit &c.* Hæc ille. Quid mirum igitur inde, si adhuc admitteremus Bernæ aliquos nostros per coniuratos testes turbida ea tempestate accusatos, ad annum (vt Baselius refert apud Delrium, & Munsterus cum alijs) 1509 periclitatos esse. Quid mirum, inquam, hoc dato, agentibus tunc iniquissimis fautoribus Reuclini mox ante proscripti à nostris, & Erasmi simul confœderati eidem, ac tunc vltro nascentibus Lutheri sectatijs, hinc apud Bernates per Sycophantas huiusmodi testes aliquot falsos reperiri potuisse, vt iuxta allegata & probata (si daretur & istud) insontes adhuc damnari potuissent? Desuntne forsan vbique terrarum vulgata exempla, illaque quam plura, de innocentibus te ipsa damnatis (non ob iudicum quidem semper iniquitatem aut imperitiam) sed seruato præscripto iuris ob testium adinuicem colludentium, aut cæterorum aliunde coniuratorum perfidiam? Num ne huiusmodi non agnouit excusauitque Augustinus & ipse lib. 1. in Parmenianum cap. 4. inter aliorum exempla simul de magno illo sui temporis Osio sic habens? *Magis credibile est, si Osius ab Hyspanis damnatus est, sic fieri potuisse, vt falsis criminibus Hyspani circumuenti, & callida insidiarum fraude decepti, & contra innocentem sententiam ferrent &c.* Nonne poterimus & nos (vt prosequebatur idem Augustinus in lib. subsequenti primo in Petilianum cap. 27) prædictorum hæterodoxorum *in fronte hoc vnum configere, hoc eos ad comprimendas dolosas linguas & ora coarctare, hoc tanquam tridenti telo velut tricipitem bestiam eorundem calumniam trucidare?* Quænam exinde fides habenda erat, aut erit, Reuclino iam hosti detecto Dominicanorum, primo tunc ista narranti, ex quo cum cæteris ab illo deceptis Baselius quoque transcripsit & dixit *nostros velut hæreticos damnatos esse*, ob negatum nimirum Schysmaticorũ Basiliensium articulum circa Deiparam, vt ex Delrio ita glosante retulimus. Munsterus verò Lutheranus & ipse hæreticus non conueniens testimonium adiunxit pag. 425 scribens eos vt hæreticos damnatos esse, *quia plurima in Eucharistia Sacramento, atque sculptis imaginibus tentauerant &c*, vt ille loquitur & imponit, nisi fortasse dicere velit, quia contra nascentem tunc Lutheri hæresim de Eucharistia, & de non adorandis imaginibus, Catholicè nobis nostri, hæreticè solis Lutheranis, locuti sunt. Sicut enim aiebat Augustinus lib. 3. cõtra litteras Petiliani cap. 2, *Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti fidendum*, vnde & inimicus ad ferendum testimonium aduersus alterum à foro repellitur, nam *dolus an virtus (vt* alter aiebat) *quis in hoste requirat?* Hinc pertransimus ad tertium, illudque postremum (quod ostendendum esse præmisimus) nempe à tam suspecto iam prædescripti Ioannis Reuclini Capnionis testimonio, ne dum communis Ecclesiæ, verum & peculiaris Dominicanorum iurati hostis, primo hanc strophram primordialiter exortam esse, in libro illo metrico ab eodem scriptore latente sub nomine Eleutherij Bizeni in-

scripto *Triumphus Capnionis*, quemadmodum & dialogum alterum (cui præcitatam supra Epistolam ad Leonem X. impudentissime pro præfatione præfixit) aduersus Regulares ac nostros homines anno 1517 inscripsit *Capnionem*, sicut Gesnerus Hæreticus confitetur, & apud Gesnerum eundem consentit Conradus Leontorius *Capnionem eundem carmina multa conscripsisse &c*, & demũ dialogo mox ante citato Reuclinus ipse lib. 3. de Cabala eundem *Capnionis Triumphum* recognoscebat vt suum. Inde post hæc scribentem Reuclinum ad annum 1517, si semel obijcienti credamus, à Trithemio alicubi hanc Bernensem cantilenam recitari, constat sine dubio Trithemium ex eodem Reuclino exscripsisse, cum verbo *Ioannes Capnion* eiusdem Reuclini præcitatum dialogũ recognoscat *inscriptum Capnionem, libros tres*, in quorum tertio, vt diximus, Capnion hæc enarrabat: A fortiori Baselius post Trithemium manifeste conscribens, ex horum alterutro eadem mutuatus est, seu vt Delrius loquitur, *ex libello Moguntiæ tunc existente in Bibliotheca Societatis amplissima* de hac re, scilicet metrico Reuclini inscripto, *Triumphus Capnionis*, quem, inquit Delrius, *compendio complexus fuit Nicolaus Baselius*; ex his Petrus Martyr hæreticus, Mũsterus hæreticus, Anglerius similiter, postea ab eisdem deceptus Surius, & pro liuore in Bzouium Wadingus, & ex Wadingo (quem in margine citat) Henricus Spondanus, Delrius, & alij pauci longe posteriores eisdem secuti sunt; vbi non sic decipi voluerunt cæteri, qui id velut anilem fabulam dimiserunt, diligentissimi alioquin rerum gestarum illius temporis vestigatores, vt Genebrardus Archiepiscopus Aquensis non longe à Bernensi Vrbe, immo ad annum 1508 eximie Dominicanos collaudans, Caluisus etiam chronologicus licet hæreticus scriptor, Sleidanus similiter hæreticus eodem illo tempore in Germania scribens, & vt omittam cæteros, etiam Gualterius è Societate Chronologice texens historias eiusdem ætatis, nec nostro profecto (vbi occasio se offert) etiam Ordini parciturus vel parcens. Vnus ergo (vt concludamus) qui decepit cæteros id attingentes, Sycophanta Reuclinus fuit, hic vnus, vt cum Cyrillo loquamur lib. 7. de adoratione pag. 183, *Scriptor locum fodit, nec imposuit operculum, vnde lapsi asini* (de hæreticis hic intelligimus) *damnum sustinuerunt*, qui in fabulam scilicet ab illo velut poeta in metrico libro confictam prolapsi sunt. *Ita enim* (vt Tertullianus concludebat in apologetico cap. 6) *Modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet ne primus mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.*

ARTICVLVS II.

An Dominicani Imposuerint vel adulterarint scripta aliquorum.

Videtur sic esse tum præcipue Petro Valclusino in hac Diatriba 6. rursus Petro de Alua & Astorga nodo 10. §. 1. eximie laudanti hunc ipsum Petrum in hac parte ac vocanti eundem *sibi amicum ac notum*, cum nos quinam fuerit potius nescire gaudeamus. Et primo Valclusinus id probat §. 106. & 129 vtrobique aduersus Eimericum nostrum, quia ne dum, inquit, Eimericus conuincitur finxisse Bullam Clementis V. circa sanguinis Christi controuersiam, velut definitam in fauorem Ordinis Prædicatorum &c, quod aper-

apertam esse Eimerici imposturã liquere dicit ex diplomare Pij II.&c.(de quo nos supra respondimus) verum etiam eundem in secunda parte Directorij q. 26. confinxisse diploma sub nomine Gregorij XI. contra Raymundum Lullũ, suadent (inquit) quæ proferunt Vasquez par.p. disp. 133. cap. 4. Dermitius Thadæus in Bzouio expostulato ad annum 1315, & Lucas Wadingus ad eundem annum à num. 10, vt obijciens reperit §. 129. addens articulos in Decretali confictà ab Eimerico, velut Lulli damnatos, nec Raymundi Lulli fuisse, sed ab ipso Eimerico maligne deprauato textu &c. *Cum Raymundi Lulli memoria* (concludit) *apud Baleares in benedictione sit, Domino cooperante, & famam eius, vt referunt, confirmante frequentibus signis.*

Secundò (vt idem ait) F. Ioannes Annius Ordinis Prædicatorum confinxit libros, quos nomine Berosi, Metasthenis, atque Philonis Biblici emisit, scatentes erroribus contra scripturas & sæculares historias, ideoque Annium quantumuis iuratum assertorem antiquitatis illorum codicum, e quibus suam editionem adornauit, suppositorum illis antiquis suorum commentorum arguerunt Volaterranus lib. 14, Cano lib. 11. cap. 6. Posseuinus in Bibliotheca lib. 16. sect. 4. Antonius Augustinus dialogo 11 & Pineda lib. 7. de Salomone cap. 15, præter Petrum Iammi curatorem recentis editionis librorum Alberti Magni, de quo, an aliqua Alberto suppositus fuerit, inquit, *se nolle definire*, & bene fecit, cum huiuscemodi insusurrationi responderit iam noster Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum 1280 probans immo remanere & alios codices eiusdem Alberti imprimendos, qui post illam Turcicam editionem, seu Marinam, reperti sunt.

Tertiò Libellum Athanasij (forte iunioris) de sanguine, qui Beryti manauit ex imagine Saluatoris trans fixa, adulteratum recenter esse per Dominicanos, apposito in calce libelli assumento, iste probat §. 117 ex eo (vt ipse loquitur) quod neque est in græcis codicibus, neque in antiqua libelli versione Latina adornata ab Anastasio Bibliothecario, hocque assumentum esse notarunt Baronius in Martyrologium Romanum ad 9. Nouembris, & in Annalibus ad annum 765, Bellarminus libro de scriptoribus in Athanasio, ac Martinus Brescceius lib. 6. de Conscientia cap. 22. quidquid in aduersum tueatur Combefisius in notis ad orationem *de imagine in puteum mersa*, nempe illum libellum esse Athanasij, *de quo*, inquit obijciens, *nos non sumus solliciti, sed tantum dicimus limbum libelli habere assumentum appositum à Dominicanis, quorum intererat.*

Quartò, vt probet non minus factas fuisse à nostris varias falsationes, & adulterationes Scriptorum S. Thomæ, tria apponit §. 109, tum Patrem Lemos in Romana editione iussu B. Pij V. facta, adulterasse textum S. Thomæ, p. 2. q. 102. ar. 4 ad 6 apponendo *Propitiatorium fuisse ligneum*, cum S. Thomas scripsisset *fuisse lapideum*, licet, inquit, *contra Scripturam*, tum rursus constare textum in 3. p. q. 27. ar. 2. corruptum esse (vt olim Pozam & postea Pinedam in cap. 7. Ecclesiaste, præter hoc, alia loca falsata obseruasse, ait) dum nil de prima animatione Deiparæ, vt par erat, ibidem habetur, & tamen de eodem loco referebat S. Thomæ verba Bromiardus in summa Prædicantium verbo *Maria* ar. 2. qui ex Chronico Ordinis florebat ad annum 1260; tum demum addit recentius hoc sæculo nostrum Cosmam Morelles in noua editione Antuerpiensi, cui præsidebat anno 1613, falsasse textum eiusdem S. Thomæ in

in primo dist. 44. quæst. vnica ar. 3. ad 3. affingendo ibidem S. Thomæ placitum Thomistarum circa Deiparam, cuius oppositum ibidem antea hactenus lectum est; ex quibus, & hoc postremo præsertim, mirum est quantum in præsenti obijciens velut de capta præda, ac diuidens spolia ceu triumphator exultet.

Quintò & postremo in auxilium eiusdem accurrit & alter Petrus ab Alua in suis proscriptis nodis pagina mihi 699. tria alia loca S. Thomæ, vt supponit, à nostris adulterata subiungens, primum nempe in Commentarijs Diui Thomæ in epistolam ad Galatas cap. 3. lectione 6. ad ea verba: *Virum de mille vnum*, vbi inquit Alua, *cum prius in decem impressionibus extaret simul exceptiua &c. in editionibus modernis expunxerunt exceptionem, excipitur purissima &c.* Secundum addit ex commentarijs eiusdem S. Doctoris in epistolam ad Romanos cap. 3, vbi similiter eandem clausulam exceptiuam adfuisse testatus est Adornus dicens, se ita vidisse in manuscripto sub nomine S. Thomæ in Bibliotheca Sfortiana, & ex Adorno postea Franciscus Bonespei, & Nierëbergius retulerunt: Tertium demum est & præcipuum in tertio dist. 3. qu. 1. ar. 1. quæstiuncula 2, vbi contendit Alua affictam fuisse ex aduerso clausulam inclusiuã per illa verba, *sed nec etiam in ipso instanti infusionis &c.* tanquam verba S. Thomæ citata à quibusdam nostris ex eodem loco, cum tamen nec vere antiquitus adfuisse supponat Alua, & absq; vlla fraude postea in recentioribus aliquibus editionibus prætermissa fuisse, adstipulante præsertim Caietano 3. p. q. 27. ar. 2. fatente, *illius mediæ opinionis non meminisse S. Thomam* in eo loco 3. p. quem exponebat Caietanus, *quia tempore suo non erat adinuenta &c.* vt omittam falsas alias criminationes in nostros de suppositis S. Thomæ operibus, quas ex proposito supra lib. 2. q. 7. ar. 2. discussimus, ac plene dedimus dissolutas, hisque duobus tantummodo criminatoribus hic remanet respondẽdum, concludentibus tandem ex præadductis, *Suppositiones fictitias, falsationes, & adulterationes alienarum scriptionum Dominicanis fuisse non infrequentes.*

In oppositum tamen est, quod merito vtique dignum risu, simul & acri reprehensione videbatur Ruffino inuectiua prima, aliquem de delicto conuictũ, insontem de eodem reatu velle alterum criminari, *Quasi*, inquit, *si qua meretrix vna se nocte aut duabus à scortando contineat, debeat continuo leges de pudicitia scribere fœminarum.* Hic vero apposite insontes nostri, vt mox apparebit, de falsatis scriptis aliorum accusantur ab istis, quorum alter, scilicet Alua, vel in ipsa epigraphe libri suorum nodorum manifeste falsauit verba psalmi 57 addens particulam *omnes* ad versum (*errauerunt ab vtero*) quæ in textu non adest, præter tot alia, quæ in successu libri corrupit falsove citauit, vt supra lib. 3. ostensum est; alter verò, scilicet Valclusinus hic, (vt alia cuncta iam falsitatis hucusque deprehensa dimittam) vel in hac sola Diatriba manifestissime falsarius apparet, tum §. 108. dicens nostros addidisse libris Alberti in 3. Sententiarum ar. 4. hæc verba, *quia contraxit &c.* ad ea certa & admissa ab arguente Alberti verba, *esse sanctificatam Mariam ante animationem, conclusum fuit hæresim esse in Parisiensi Gymnasio*, & tamen nunc etiam in Lugdunensi editione postrema, ad hæc certa Alberti verba, illa alia dubia nec addita esse, nec reperiri iam liquet; tum §. 110. inquit, *Cum Bandellus ex quomodolibet corruptis Patrum libris plenos aggeres protulisset, Capreolum in 3. dist. 3. eam molem ad quadragenam restrinxisse,*

uisse, velut Capreolus scripta Bandelli, quæ restringeret, præuidisset, cum tamen Bandellus sine dubio Magister Generalis Ordinis ac Senex fuerit ad annum 1501, Capreolus vero per centum ferme annos anterior, ex Bellarmino, floruerit ad annum 1410; tum §. 117 Bartholomæo Spinæ Pisano Sacri Palatij Magistro (cuius egregias meritasque laudes ex alijs exeurrit Altamura ad annum 1546) huic, inquam, hæc verba imponit, velut extantia in præfatione scripta ab eodem atque præfixa operi Cardinalis Turrecrematæ sui præceptoris *inscripto de Conceptione*, nimirum (*in Concilio Tridentino non fuisse doctos Theologos, sed homines audaces & vanos*), cum tamen ne dum falsum sit ibi temeraria illa verba inueniri, verum & illa præfatio Alberti Duimij de Cathano non vero nostri Spinæ Pisani aut nominetur aut sit. Hi igitur, vt iam apparet, falsarij sunt, qui nostros insontes, vt mox apparebit, de falsatis è contra aliorum scriptis accusant.

Respondeo Dominicani Ordinis Professores, ne dum procul ab hoc crimine esse, verum & vltro non semel collatis codicibus agnouisse Doctorum suorum, ac Patrum libros apparuisse corruptos, ab eorum genere, qui modo suo non contenti reatu è contra hoc dedecus detorquere conantur in nostros. Hic enim Ordo Prædicatorum idem ille *Ordo Veritatis* est, qui, vt apud Fontanam ad annum 1324 loquebatur Ioannes XXII. *super venit vt testimonium perhiberet veritati*, & cuius ideo Professores tempore eiusdem Ioannis XXII, cum Ludouicus Bauarus authoritati Summi Pontificis acri simultate reluctaretur, adeo pro authoritate Apostolicæ Sedis infracto animo perstiterunt, vt inde à Bauaro plurima mala perpessi sint, ac inde in eiusdem ditionibus aliquam vix sedem habere potuerint, aut retinere: Ex altera parte cum Auinione Ioannes idem XXII. vt priuatus Doctor opinionem erroneam insinuaret, de suspensa Sanctorum visione beatifica vsque ad finem mundi, etiam si beneficijs amplissimis obærati eidem: tum tribus nostris assumptis ad purpuram, tum relato S. Thoma inter Sanctos, tum toti Ordini his duobus verbis *Lucere & Ardere* in insigne datis, his non obstantibus beneficijs, sicut olim Paulus Petro, ita isti Ioanni vt priuato Doctori libertate Apostolica restiterunt, neque metu carceris, quo noster inde Waldensis iniectus fuit, deterreri (quousque destitit ab opinione) ingenui ac intrepidi homines potuerunt; vt Spondanus describit ad annum 1333 num. 6, adeo vt tandem Bauarus, cum antea suspicaretur Dominicanos sibi infensos Sedique Apostolicæ addictos præmiorum spe, vbi hanc resciuit ingenuam eorundem fortitudinem, exclamauit. *Iam video Ordinem istum esse re vera ordinem veritatis*. Sic ille & sic alij, *qui*, vt loquitur Ferrarius de rebus Hungaricis p. 3. lib. 2. cap. 1. *Veritatis ordinem dixere*, concinitque Orlandinus celebris Societatis historicus vocans lib. 1. *Dominicanos perpetuos veritatis custodes*, & super omnes Clemens IV. in datis Perusij 6. Kal. Martij anno 1266 ad nostros aiebat. *Ordo vester verosimiliter Vrbem fortitudinis repræsentat, quam iusta gens apertis portis ingreditur custodiens veritatem*. Hic ille idem despiciens sua pro sola veritate Ordo est, de quo Thomas Nerius Florentinus (apud Altamuram ad annum 1511) exscribens ex Zenobio Acciaiolo Bibliothecario sub Leone X. hæc referebat: *Patres Conciliabuli Pisani* (inquit) *videntes Ordinum aliorum Religiones id facturos esse, quod F. F. Prædicatores in hac re præstitissent, Conuentum eorundem adeunt S. Catharinæ dicatum &c. ab illo*

con-

ẽ nsensum extorquere conantur, vnde cæterorum assensus pendebat, celebrandi concilia-buli. Eisd m promittebant Schysmatici, si assentiri volebant eorum petitioni, in Collegium Cardinalium, futurum Pontificem cooptaturum ipsum (scilicet eiusdem Conuentus Præsidem F. Bartholomæum Rondaninum &c.) *In fauorem quoque Dominicanorum sententiam Conceptionis Deiparæ determinaturum &c. Quid ille cum Fratribus suis? se esse filios Ecclesiæ professi sunt, quam etiam proprio cruore defenderent, & defendere parati erant. Qua responsione adeo pudefacti sunt Schysmatici, vt confusi discederent, & illa Synagoga Satanæ dissoluta est.* Hæc ibi, vt videas iterum elogium Bauari comprobatum, despectis scilicet sui Ordinis rebus, *hunc reuera Ordinem veritatis esse.* Hic ille idem Ordo est, de cuius professoribus soli veritati addictis, memorabile etiam scriptisque mandatum nunc legitur dictum felicissimæ memoriæ Summi Pontificis Vrbani VIII. auditum, ac sua attestatione probatum ab Eminentissimo Albitio (apud Vincentium Tolosanum lib. p. sect. 3. pag. mihi 311) *nempe si quis Dominicanorum à fide in Deum vel Summos Pontifices vel minimum deflecteret, nullos habere, qui se prius vel acrius, ipsismet Dominicanis, ad pœnas deposcerent.* Hic ille idem Ordo est, quem inde, pro recognito in eisdem ingenuo semper & ardente studio veritatis eiusdem (vt prælaudatus idem Scriptor enarrat altero lib. 5. sect. 4. pag. 222) propterea Paulus V. Summus itidem Pontifex, & Franciscus Galliæ Rex eius nominis I, honestare dignati sunt elogio adeo eximio, vt vix modestia recensere permittat. Equidem Paulus V. Patri Sicco Magistro Generali Ordinis se ad efflagitandam benedictionem adeunti, ante discessum proximum in Hyspaniam, ad Comitia Vlyssipone anno 1618. obeunda, *sospitet*, inquit, *te Deus, & cui Præfectus es, familiam seruet, & augeat, vt sit imposterum, sicut hactenus fuit, Ecclesiæ loco dexteræ, & validi præsidij.* Nec à sapientissimi Pontificis mente aberat Franciscus I. in quo regiarum dotum nihil desiderabatur præter felicitatem virtuti ac fortitudini parem: is humanissimus, & liberalissimus Princeps Comitia nostra Lugduni anno 1534 celebrata dignatus est sua præsentia, & cum tribus Cardinalibus assiduus concertationibus scholasticis interfuit auditor, assedit mēsæ communi, & tandem comprobata in nostrorum disputationibus eruditione, in sanctionibus sapientia & pietate, amplitudine in Religiosorū ex omnibus Orbis partibus aduentu, illustrissimo testimonio familiam nostrā ornauit, quod fere in Pauli V. elogium recidit, nisi quod addiderit, *nostrum Ordinem ne dum Ecclesiæ Catholicæ, sed etiam sui Regni inuictum esse propugnaculum.* Nunc vero veraces ijdem isti seu eiusdem Ordinis Professores sunt (si opponenti credimus) imposturarum, ac falsationum egregij artifices, fabrique nec desides, nec infrequentes. Euge (si falsa veris retundere licet) nostri illi sane non fuerunt, quos in epistola 15. & 16. Montaltius (licet nec laudandus à nobis) productis pluribus de recenti exemplis, calumniarum artifices exhibebat. Nostri similiter non fuerunt, quos Iulius Clemens Scotus emendatione indigere circa eandem rem supponebat in opere de potestate Pontificis pag. 291. num. 5. & pag. 385. num. 24. Nostri non fuerunt, qui aduersus studium veritatis tutati sunt atque evulgarunt absurdas opiniones (quibus eorū aliqui innutriti adhærebant fortasse etiam in praxi) hac nostra ætate damnatas de effræni vsu æquiuocationum, ne mendaciorum dicam, nempe inter damnatas à Domino nostro Innocentio XI. die 2. Martij 1679 *tamquam scandalosas*

losas

losas, & in praxi perniciosas, vigesima quarta erat in ordine, *quod vocare Deum in testem mendacij leuis, non est tanta irreuerentia, propter quam velit Deus, aut possit damnare hominem,* & num. 26. *Si quis vel solus vel coram alijs, siue interrogatus, siue propria sponte, siue recreationis causa, siue quocunque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus:* & num. 27. *Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc iure expediens & studiosa:* & num. 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentũ, quod de mandato Regis à talibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis:* Hucusque isti (quos licet nec nominemus, nec inquiramus, sanè non esse nostros prae alijs ostendit tum Auctor notarum in Epistolas Montaltij, praeter integras eiusdem Epistolas, tum syllabus auctorum earundem Propositionũ impressus Coloniae typis Egmonciacis eodem anno 1679) haec, inquam, isti sequentes in hac ipsa defensione mendaciorum simul Cassianum Collatione 17. cap. 17. & Faustum Semipelagianum lib. 2. de libero arbitrio cap. vltimo, non aduertentes ne dum exinde omnium in Orbe commercia perturbari, verum etiam cum praedamnato Macchiauelli Politeismo restaurari ea impia Ethnicorum effata, tum Plinij lib. 8. Epist. 5, *decipere pro moribus temporum prudentia est,* tum Salustij in Orat. Lepidi, *omnia obtinendae dominationis gratia honesta esse,* tum Euphemi apud Thucididem *Principi nihil esse iniustum, quod fructuosum sit,* tum Athei illius apud Senecam in Thieste, *vbicunque tantum honesta dominanti licent, precario regnatur;* cui ex aduerso respondebant ea Senecae verba ibidem, *Vbi non est pudor & cura iuris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est,* & ante Senecam Tullius ipse licet ethnicus similiter in lib. 3. de Officijs collaudabat Athenienses, *quod cum honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt.* Rursus non nostri erant illi, de quibus velut Corruptoribus Operum S. Thomae conquestus fuit olim noster Wielmius Episcopus Argolicensis lib. 2. de scriptis D. Thomae dicens: *eius scriptis alicubi adulterina quaedam inseruerunt, cuius rei causa Stephanus Vsusmaris, Generalis Magister Ordinis Praedicatorum prudentissimus & doctissimus, me auctore, publico iudicio Venetijs coram Archinto Episcopo Saluciarum & Nuncio Apostolico, Typographum quemdam semel conuenit, vt alibi rem totam pando:* Haec ille. Nostri non fuerunt, quos (mox ab illius tempore) Cardinalis Iustinianus, tempore Pij V. & Apostolici Palatij Magister alter iussu eiusdem Summi Pontificis praesidentes editioni Romanae operum S. Thomae, indigitabant adulteratores eorundem Operum S. Thomae, in praefat. eiusdem editionis his verbis: *restituimus locos quamplurimos tam in textu, quam in Commentarijs, qui alias aut inter imprimendum irrepserant &c. aut falsariorum perfidia prodigiose corrupti fuerant,* seu, vt infra subdunt, *quos falsariorum & perfidia temerauerat,* inter quos etiam Commentariorum locos manifeste duos in praxi ostendit Altamura in Bibliotheca Dominicana pag. 262. Nostri non fuerunt, qui modo sub nomine Sixti Quinti, modo sub nomine eius Nuncij falso vulgarunt quarundam Thesium Louanij approbationem, vt probat Philalethes Eupistinus opusc. 1. secundae editionis in Corolario per totum, & Le-

mos tomo 1. pag. 127. Nostri non fuerunt, qui Bellarmini opera contra auctoris mentem permutata edidere, vt testantur & probant Fuligatius, & Siluester Petrasancta, & Louanienses, & alij apud nostrum Vincentium Ferre tomo 2. tract. 6. q. 1. §. 7. repetitque Franciscus Macedo Minorita de non minus adulteratis operibus Vasquez, in tomo 1. suarum Collationum, Collat. 11. difficultate 1. sect. 5. & de libris Salmeronis Oliuera Carmelitanus apud eundem Ferre eodem §. 7. & de lib. 3. Toleti pro Instructione Sacerdotum cap. 4. & de libr. 9. Sanchez de Matrim. disp. 46. num. 7. adulteratis similiter in posterioribus editionibus obseruarunt, tum Salmaticenses, tum cum eisdem Carolus ab Assumptione in suo Thomistarum Triumpho firmato cap. 2. num. 128. Nostri non erant, quos denunciabat Paulus Nazarius in tomo suorum Opusculorum ad finem opusculi 10, falsantes scilicet, ne dum S. Thomæ, sed etiam cæterorum Sanctorum Patrum libros, sic dicens: *experimento certissimum est eas omnes Patrum sententias, quas nostrates allegant pro defensione Doctrinæ Sanc. Thomæ, in antiquis exemplaribus Bibliothecæ nostræ Bononiensis integras & allegationibus conformes inueniri, recentiora vero volumina ab aduersarijs fuisse corrupta, & plane constat ex scripturis ante annos viginti ex hoc Conuentu Bononiensi Romam transmissis, quæ in Archiuo Conuentus S. Mariæ super Mineruam conseruantur.* Hæc ipse Nazarius, qui ineunte præsenti hoc sæculo Bononiæ ista scribebat. Nostri non fuerunt illi, *qui* (inquit recentior noster Magister Martinus Harnæi in epist. apologetica ad Aluam pag. 61) *ipsum Ordinis Prædicat. Breuiarium anno 1642. Parisijs imprimi curauerunt, & eulgarunt impressum apud Gabrielem Clopeian & Sebastianum Hure, eique Officium S. Claræ intruserunt.* Nostri non fuerunt, qui (vt expendit Vincentius Tolosanus tomo 2. pag. 67) in textu Magistri sententiarum 3. sententiarum distinct. 3. littera C. vbi vsque ad editionem Parisiensem anni 1542. prælegebatur *in Maria*, postea transmutatum est, *in Materia*, quod & textui repugnat, & nihil significare compertum est. Nostri non sunt illi, quibus cum immo nostri non semel in Commentarijs S. Thomæ expostulare coguntur ob relatas ab illis truncatas eiusdem S. Thomæ auctoritates, aut alio modo falsatas, quibus propterea ipse D. Thomas placida illa Diui Augustini verba replicaret lib. 3. Operis imperfecti in Iulianum cap. 110. *Non accuso furem, ablata similiter repeto, redde verba mea, & nihil valebunt tua.* Nostri nec illi sunt, quos nuper accusat Magister Gonet, tum in proœmio sui Clypei thomistici Canone 13. laudum S. Thomæ, de abraso è disputatione præambulari Iacobi Granadi integro capite tertio exstante in prima editione eiusdem inscripto, *de S. Thoma Aquinatis ingenio atque Doctrina mirabili*, & tamen in posterioribus impressionibus expuncto imprudenter adeo, vt in istarum indice adhuc saltem eiusdem Capitis titulus perlegatur, tum in tomo 4. eiusdem Clypei disp. 2. ar. 1. §. 9. de corrupto textu D. Augustini lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 19. mutata coniunctione *&* in particulam *scilicet*, ex qua contrarius longe Augustini sensus inferebatur, vt Pater Lemos coram Summo Pontifice Clemente VIII. aduocato Codice è Vaticani Bibliotheca monstrauit, repetitque idem Lemos in posthumo tomo 1. tract. 5. cap. 18. de alia falso apposita adnotatione marginali ad decretalem epistolam Cælestini editam Venetijs 1591. & de alijs alibi. Tandem nec nostri fuerunt illi, qui nuper eam inuehebant historiolam de Deipara inspirante institutionem adeo anti-

antiquam Rosarij, duobus sui Ordinis Sanctis fundati vix ab vno sæculo cum dimidio, merito proinde damnatam Romæ die 9. Februarij 1683. De quibus & nobis hic contra arguentem repetere liceat cum Augustino lib. 1. in Petilianum cap. 14, *non vetera solum arcana discutimus, non antiqua armaria ventilamus, non ad longinquas terras nostram probationem transmittimus, sed sequestramus omnia nostrorum documenta maiorum, deserimusque testimonia toto terrarum Orbe clamantia*, & lib. 3. in Parmenianum ad finem: *vellem scire quid ad hæc dicant, tam manifesta, tam publica, tam recentia, qui nobis antiquas calumnias suas quasi crimina nostra obijciunt*. Non nostros profecto (vt claudam) vel earum aliquas falsationum, de quibus è conuerso ab hoc duplici Petro nunc accusantur, commisisse, vlterius modo respondendo ad singula obiecta patebit.

Ad primum igitur de Eimerico, quo ad mandatum Clementis VI. circa sanguinem Christi datum Nicolao Rossello, iam in quæstione superiori art. 3. per totum respondimus, neque hic venit aliud in hanc rem addendum, nisi superciliosum hunc Criminatorem omnium splendide hic hallucinatum esse, tum transmutando Clementem VI. in V. (qui per annos triginta septem antea obijt, scilicet anno 1314, antequam mandatum prædicto Rossello daretur à subsequente Clemente VI. anno 1351.) tum asserendo Bullam Pij II. Anconæ datam fuisse biduo ante mortem eiusdem, cum ex Spondano per dies quindecim Pij II. obitum antecesserit; vt videas quanta fides in alijs huic nostro Critico habenda sit, & quam longe magis etiam exinde fidendum sit Eimerico referenti diploma Gregorij XI. in Lulli errores velut datum sub anno 6. Pontificatus eiusdem (etsi autographum delitescat) sicut & supradictum mandatum Clementis VI, eo quod hactenus delitescebat, à quibusdam paucis negabatur, cum tamen eiusdem authenticum à nobis, vt supra vidimus, repertum sit; & eo magis quo ad secundum Eimerici attestatio præferenda est, quo minus verisimile putari debet eundem suo scripto vulgare potuisse diploma Pontificis, velut eo tempore datum, quo Eimericus ipse scribebat, ex quo proinde, si verum non fuisset, ab aduersa Lulli parte, eaque ardentissima, falsitatis conuinci continuo potuisset, addito etiam pro certo eundem Gregorium XI. antea duo alia diplomata edidisse anno primo, & quarto sui Pontificatus, exscripta de verbo ad verbum à Bzouio & alijs, in quibus Pontifex ad se mitti eiusdem Lulli articulos præcipiebat; ac propterea congruentius apparet eisdem prioribus iam certis Breuibus, postea anno 6. resolutorium de eisdem Articulis diploma alterum emisisse. Quid vero mirum, huius anni 6. postremum diploma hoc forsitan perijsse, cum constet & cæteras alias communes expeditiones ac præcipuas eiusdem sexti anni Gregoriani deperditas reputari, postquam Sedes Apostolica Auenione, vbi degebat Gregorius, Romam translata est, quarum aliquarum, hoc non obstante, certissimus testis est (simul & nostri diplomatis) Diagus lib. 1. Prouinciæ Aragoniæ cap. 25. attestatus in Archiuo regio Ciuitatis Barchinonensis se vidisse Epistolas Regis ad Pontificem, & Pontificis ad Regem de eadem materia, *& in quibus, inquit, expressa fit mentio præfati rescripti seu Bullæ contra Lullum &c.* ? Quid porro iuuat Lullistas, eis transactis temporibus, ob non exhibitum Gregorij diploma, postea *Bernardum Episcopum Castelli* (vt loquitur Altamura in Bibliotheca pag. 495) *mandatis Dominicanis protulisse Decretum contrarium*, dum, iuxta

Diui Bernardi verba epist. 1. *non fuit qui refelleret, nec contradictor expectatur est; iudicatum de parte, abiudicatum absentibus*; quid iuvat, inquam, obiectio hæc (cui innitebatur & Vasquez) si, vt habet Spondanus ad annum 1372. num. 12, agentibus exinde Lullistis tum sub Gregorio XIII. tum Sixto V. (qui ex Ordine Minorum assumptus erat) vt damnatio propterea doctrinæ Lulli abrogaretur, nullum novum Decretum fauorabile Lullo impetratum est? Immo iterum deinde sub Paulo IV. in Indice Librorum prohibitorum Lulli omnia opera reposita sunt. Quid sub eodem Gregorio XIII. poterat amplius expectari, nisi quod reimprimendo Eimerici Operi inscripto, *Directorium Inquisitorum*, & recognito & illustrato Commentarijs Francisci Pennæ (in quo Opere notum erat adesse recitatum quoque prædictum Gregorij XI. diploma aduersus Lullum) quid, inquam, amplius expectari poterat, nisi quod adderetur approbatio etiam eiusdem Pontificis Gregorij XIII, quemadmodum reipsa operi præfixa legitur, *vt nemini liceret eidem Libro quicquam addere, detrahere vel immutare?* An non erit fortasse credibile hoc Gregorij XIII. tempore contigisse, quod narrat loco laudato Altamura, scilicet *Codicem membranum in Pluteis interioribus Vaticanæ Bibliothecæ repertum esse, in quo pluri ma erant eorum temporum, quæ proxime præcesserant Eimericum, seu Eimerici obitum, eodem pene ordine, & verborum serie concepta, quibus Eimericus in Directorio fuerat vsus, vt probabile sit, visum olim fuisse ab Eimerico, eo magis, quod coniectura non deest, eum librum, qui manet in Vaticano, Auenione Romam cum plerisque alijs allatum fuisse?* Sane præter hæc omnia, & præter eximias Eimerici laudes, quas habet Penna in præfatione suorum Commentariorum in eundem, Salelles etiam Societatis scriptor prolegomeno 4. de Origine & progressu Tribunalium fidei num. 7. *In primis*, inquit, *summis laudibus efferendus Eimericus &c. qui officium Generalis fidei Quæsitoris in Regnis Aragoniæ &c. per quadraginta annos valde laudabiliter & fortiter contra fidei hostes exercuit, & edidit Directorium &c, quo non solum vt face valde accensa, sed etiam vt lucidissimo Sole diriguntur Ministri, atque Officiales Sancti Officij*; & vltro in speciali ab hac ipsa impostura de ficto Gregorij diplomate aduersus Lullum, eundem vendicant Eimericum, præter Bzouij Apologistam & omnes scriptores nostros, inter exteros etiam idem Penna in notis ad eundem locum Eimerici, Mariana lib. 15. cap. 4, Myrhæus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 393. ad annum 1290, &, quem præ cæteris summopere facio, ipse Odericus Rainaldus Congregationis Oratorij in supplemento Baronij tomo 16, ad annum 1372. num. 35. inter alia sic dicens: *Hæc Lullistæ conficta ab Eimerico, vel subreptitium esse diploma contendunt: at Virum grauem egregie de Religione catholica meritum, nullius vtilitatis illecebris pellectum id facinus perfricta fronte ausum vix credi potest, cum facillime coargui mendacij potuisset*, vti & nos paulo ante arguebamus. Ex aduerso de Lulli erroribus antiquus testis, & nullo modo suspectus, adest ipsemet Gerson Cancellarius Parisiensis in Alphabeto 16. littera D. dicens: *nuper actum est Parisijs per sacram Theologiæ facultatem aduersus illos, qui doctrinam quamdam Raymundi Lulli conabantur inducere &c. ipsa edicto publico repudiata prohibitaque est*: & licet quoad vitæ mores Petauius Societatis Iesu libro 9. Rationalis temporum de Lullo in hæc verba concludat, *Lullus Maioricensis circa annum 1290. in ea Insula floruit ambigua fama*, neque proinde nostrum sit certius id scire, sed Dei idque Ecclesiæ reuelare: quoad scripta ta-

men ab ipso certum est (quidquid obclangat opponens) tum ex eius libris centum Articulos notatos hæreseos in posteriori parte Directorij Inquisitorum descriptos, à Petro etiam Tarraconensi Episcopo sub eadem nota vulgatos esse, tum Vasquez ab arguente relatum & ipsum in primam partem disp. 133. confiteri, ex discursu Lulli (quo temerè Lullus præsumebat naturaliter demonstrare supremum Triadis mysterium) potentissimam potius hanc hæresim deriuari, scilicet quinque esse Trinitatis Personas, tum inde Lullum inter Hæreticos locatum esse, ne dum à Bernardo Lucemburgensi, verum etiam à Prateolo V. Raymundus, à Petro Galizardo in Tabula, à Iacobo Gilterio recente scriptore Societatis eundem appellante *Histrionem* ad annum 1260, vti & apud Genebrardum fere id scriptum habetur, & apud alios; cujuscunque postea instituti fuerit, cum eum fuisse *Eremitam* supponant Auctor additionis ad Trithemium V. Ray mundus Lullus, Mariana lib. 15. de rebus Hyspaniæ cap. 4, Iodochus Coccius in Indice, Posseuinus in apparatu V. Raymundus Lullus, Eimericus vero *Mercatorem* appellat, & Penna Laicum, ipseque Lullus solitus vagari per Orbem, in præfatione libri de secretis naturæ, testatur se librum illum scripsisse *Pisis in Monasterio S. Dominici*, vt videas etiam, quam longe aberret opponens in accusando Eimericū nostrum, aut Bzouium velut dehonestantes Lullum æstu aliquo actos in alienum institutum eiusdem. Sed præstat vtrumque horum ex nostris, scilicet Bzouium, & Eimericum cum Hieronymo præfatione in Iob (quæ inter epistolas est num. 114) opportunè concludere. *Si aut fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus solicita mente pertractarem, tum nullus morderet, nemo reprehenderet; nunc autem quia iuxta sententiam Saluatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam viam sentibus, virgultisque purgare, error mihi geminus infligitur, & Corrector vitiorum, falsarius dicor &c.*

Ad secundum de Annio nostro Viterbiensi, licet ingenua nostrorum indoles, ac pro veritate claresceat in Cano, qui (aduersario fatente) vix editos ab Annio antiquos codices non à se, sed ab alio, (cui Annius credidit) adinuentos, ac sibi traditos, cum Canus de eorundem falsitate suspicaretur, eiuestigio impugnauit eosdem (impugnatos postea etiam luculentius à quodam Vigiliensi nostro in historia Orbis laudata ab Altamura) quemadmodum & aliqua, in quibus referendis D. Antoninum, aut Beluacensem nostros deceptos esse arbitratus est idem Cano, suæ vesti non parcens velut dubia indicare non destitit: Annium tamen & si fortasse ex parte deceptum, non tamen deceptorem fuisse (vt accusator imponit) erudite præ cæteris nouissime Thomas Mazza noster euicit, olim Genuensis postea Bononiensis fidei Quæsitor, nunc Generalis eiusdem officij Commissarius Romæ integro de hac re opusculo edito, & apologetico successiue subiuncto, in quo præsertim laudatum eundem cum eisdem suis scriptis Annium ostendit ac probat summopere commendatum, tum ab Hyspanis scriptoribus, Floriano è Campo in sua Chronica Hyspanica, Ioanne Pineda in sua monarchia Ecclesiastica ab initio, Garibaio in historia Hyspanica, Beluterio Valentino in historia similiter Hyspana, Gueuarra Episcopo in Habacuch, Francisco Tarafa Barchinonensi in origine Regum Hyspaniarum, Vasco in Chronico Hyspaniæ, Maldonato in Chronologia, Elia Antonio Nebricensi in historia Regum Catholicorum, Hie-

Hieronymo de Romanis in libro de Republica, Michaele de Medina libro de recta in Deum fide, Ioanne à Ponte in consensu monarchiæ Catholicæ & Ecclesiasticæ,& Antonio Sousa in sua Lusitania liberata; tum à scriptoribus Gallis, & Germanis, Ioanne Driedone, & Ioanne Nauclero in suis Chronicis, Ioanne Lucido in emendatione temporum, Ioanne Bodeno in methodo historiarum, Christiano Massæo in Chronologia multiplicis historiæ, Dionysio Gotrefrido relato à Vossio, Petro Tolosate in Syntagmate iuris, Cęlio Curione Commentario in orationes Ciceronis, Ioanne Lamantio de ratione temporum, Ioanne Sleidano in pessimo licet libro de Monarchijs, Alberto Krantio in historia Vandalica, Dauide Chitereo in compendio historiarum, Ioanne Carione in epitome Chronicorum, Conrado Gesnero in Bibliotheca, Ausonio Popma in notis ad fragmenta Catonis de originibus, & præter duos nostros Tolosanos apologistas, à Martino Hanchio de Romanarum rerum scriptoribus, tum demum ab authoribus Italis, Leandro Alberto in descriptione Italiæ, Sixto Senensi in Bibliotheca Sāctà, Raphaele Regio in Commentarijs ad primum Metamorph. Lilio Grisaldo in historia Deorum, Ioanne Scoppa Neapolitano relato à Vossio lib. 1. de historicis latinis, Torellio Saraina in historia Veronæ, Chrysostomo Zanchio In origine Orobiorum, Ioanne Laurentio de Anagnia in fabrica mundi, Bartholomæo Fano in Opusculo Chronologico, Ioanne Maria de Tolosanis in Breuiloquio temporum, Seraphino Razzio in dialogis, Ioanne Bernardo Veneroso in Genio Ligure, & nouissime ab Ambrosio Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum 1502, exscribente ex alijs eiusdem Ioannis Annij (non Nannij vt ipse vocat) Sacri Palatij Magistri *Doctissimi* encomia, innumerosque conscriptos libros & vindicante cum Pineda eundem à calumnia, vt repetit etiam in Appendice ad eundem annum pro eodem addens Augustinum Eugubinum, & alios, concludensque decipi potuisse, neutiquam decipere voluisse, vt tandem concludit & Mazza, qui plerosque mox præallatos, vna pag. 43. sui eruditissimi apologetici inscripti *Aucupium Ibidis* aduersus Doctorem Sparauerium Veronensem, congerebat; adeo vt Lector quilibet intelligere queat, quam multa alia pro eodem Annio in duobus suis ex integro libris (ad compescendam hanc authoris Diatribarum criminationem) superabunde adornarit, nec nobis vltro vel superaddendum aliquid videatur, nisi vel Cardinalem Baronium (vt loquitur Casaubonus exercit. 1. in Apparatum num. 22.) *sæpe Annum Viterbiensem laudauisse.*

Ad tertium de interpolato Athanasio quo ad libellum de sanguine emanato Beryti ex imagine Saluatoris; alia sane quæstio est, an assuta Athanasio pars libelli sit, alia quæstio (quam iste cum prima confundit, immò solus iste pertentat) an semel hoc datum assumentum alicui Dominicanorum affingendum sit: De prima quæstione Baronius nil habet quidem in Martyrologium Romanum ad diem nonam Nouembris (vt imponit obijciens) historiam narrans ibidem, non vero dubitans de libello; bene in Annalibus ad annum 787 num. 23. (non ad annum 765, vt obijciens iterum hallucinatur) vbi post multa tandem num. 28. in hæc verba concludit: *hactenus historia de imagine Crucifixi Beryti ex Athanasij versione, at vero quæ plura his inueniuntur in vulgata, decurtes, vtpote addita ab eo, qui exscripsit admiscens veris profanas* Hæc Baronius, quæ in

in re non solum satis erant, sed neque nobis necessaria erant pro sarta tectaque seruanda doctrina S. Thomæ 3.p.q.54.ar.1. ad 3, dum præter historiam istam (quam ibi S. Thomas nec nominat) indubitatam antiquitus in Synodo 7. Generali Actione 4, & deinde probatam etiam à Francisco Collio in opere integro de Sanguine Christi lib. 5. disp. 8, præter hanc, inquam, aliæ quam plures huiusmodi historiæ post Siluestrum nostrum eruditè congeruntur, atq; probantur ab eodem Collio ibidem. De eadem vero ex Athanasio historia Spondanus in eiusdem Baronij supplemento ad annum 765 sic habet: *quæ quidem ab Athanasio huius temporis Episcopo diligenter conscripta, integre recitata habentur in Actis Nicænæ Synodi, posterioris Actione 4. Quam tu tamen ex eiusdem Synodi perantiqua Athanatij versione suspicies, quod* (Audi expendeque quæso) *in vulgata Suriana admixta quædam habeantur apocripha*: hucusque Spondanus iam indicans Surium (nisi Surio antiquior longe Simon Metaphrastes culpetur, quo vsus est Surius) in translatione è Græco in Latinum huius opificem assumenti, cum nullus profectò nostrorum illius versionis author supponatur. Quomodo ergo (vt ad secundam hinc transeamus quæstionem, quæ sola ad rem nostram pertinere potest), quomodo, inquam, permisso vel dubio in priori quæstione (de qua adhuc iste concludit, *de hoc se non esse solicitum*) pessima inde consecutione subinfert, præsuppositum *libelli assumentum appositum à Dominicanis fuisse?* Quod vel in Surianam versionem, vt Spondanus aiebat, vel in Metaphrastem institutione nostri Ordinis antiquiorem, quemque sequitur Surius, iuxta aliorum sententiam, referendum est? *Inaniter certe* (repeteret Augustinus lib. 4. in Iulianum operis imperfecti cap. 119.) *Inaniter omnino laborasti, vt ad istam conclusionem falsam, atque ridiculam longis & tortuosis, fallacibus & fugacibus anfractibus peruenires.*

Ad Quartum de falsificatis tribus S. Thomæ locis, Bone Deus, quam falsus econtra in hac eadem accusatione ipse accusator existit! Falsus primo in supponendo editioni Romanæ præsedisse Patrem Lemos, cum priori Romanæ factæ tempore B. Pij V. præfederit Cardinalis Iustinianus cum Thoma Menrique Apostolici Palatij Magistro (vt in diplomate præfixo ipsemet Pius enarrat) & postremę repetitę in parua forma anno 1619 prędederit Magister Donatus, nulla vero vel tempore vel cura P. Thomæ Lemos vnquam facta sit. Falsus secundo in referendo apud S. Thomam in p. 2.q. 102. ar. 4. ad 6. editionis Romanæ legi *tabulam ligneam*, cum adhuc *lapidea* perlegatur, vt intuenti clarescet. Falsus tertio in asserendo sic affingendo (vt ipse supponit) textui S. Thomæ illam particulam *ligneam*, loco lapideæ, vt mendosè antea legebatur, adhuc *mentiendo dixisse verum*, veluti verum foret iuxta argumentum, tabulam propitiatorij re ipsa *ligneam* fuisse, cum tamen fuisse *auream* de fide sit ex scriptura Exodi cap. 25 & 37: nisi forte nouus iste scholiastes exuscitare vellet antiquam eam opinionem recitatam à Tostato in cap. 25. Exodi q. 17. & ab Azorio tomo 1. lib. 6. cap. 31. & alijs, aliam scilicet fuisse tabulam, qua superius operiebatur arca, aliam tabulam auream propitiatorij (quam iuxta versionem hebræam iussus est Moyses *superne ponere super arcam*) velut vmbraculum, & ita vellet hic author de vtraque S. Thomam intellexisse, sic detorquendo verba eiusdem (*& erat super arcam tabula quædam lignea, quæque dicebatur propitiatorium super alas Cherubim*) idest alia ab illa. Sed hæc opinio

nio legitur reprobata à prædictis & à Maluenda nostro in idem caput ex Philone &c. Falsus quarto hic author est in opinando S. Thomam vtique antea & errauisse, & scripsisse tabulam propitiatorij fuisse *lapideam* (sicut in prælatis Romanis etiam editionibus, ob præcedentem errorem amanuensium, aut Typographorum, sic vltro legi permissum fuit) Falsum, inquam, hoc postremum est, nam iamdiu noster Medina obseruarat ad illum locum p. 2. in breui expositione quæstionis 102, *In partibus D. Thomæ, quæ manuscriptæ sunt in Bibliotheca Salmantina sic haberi textum D. Thomæ in solutione sexti (& super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium) nec haberi quod propitiatorium erat tabula lapidea, vnde illa dictio (lapidea) ex errore librariorum adiecta est:* idem testatus est Vasquez in commentario eiusdem articuli ex eodem codice Salmantino, quem Hyspanus & ipse videre potuit: idem & robustius etiam id probauit similiter in Hyspania scribens Suarez lib. 9. de legibus Cap. 4. num. 25. subiungens: *existimo errorem irrepsisse in textum S. Thomæ: nam constat Exodi 25. fuisse tabulam auream, quod D. Thomas non ignorauit, immo id scripsit ad Hebræos 9. lec. 1.* Hæc Suarez, quæ repetit Siluius, & quibus congruit ante omnes Petrus Bergomensis florens ad annum 1470, & in suo indice aureo citans ex eodem loco p. 2. hæc verba *(erat autem tabula super alas Cherubin)*, non vero de illa particula addititia, scilicet *lapidea*, aliquid habet, addit Grauina, in libro de sacro deposito Cap. 24, in vetustis etiam Vaticani codicibus similiter ita legi, *(& super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium)*, licet in manuscripto Coloniensi vlterius ita legatur *(& super arcam erat quædam tabula aurea)*. Lucarinus quoque commemorat, *Esse in Conuentu Ordinis S. Luciæ de Alcaniz Textum S. Thomæ manuscriptum, & postillatum manu S. Vicentij Ferrerij, in quo non legitur illud (Lapidea)*; Idem præter Donatum, ex alio antiquo manuscripto Parisijs ostẽdit ac repetit Ioannes Nicolai, in eundem locum, & vno verbo, ne dum nostri, sed extranei omnes, vt video, consenserunt, particulam illam addititiam *lapidea* à sciolo aliquo appositam in margine ad manuscriptũ S. Thomæ (pro exprimenda propitiatorij materia, quam S. Thomas non necesse habuit eo loci explicare iam notam) inde peius in textum, amanuensiũ, vel typographorum imperitia, irrepsisse, quemadmodum etiam quandoque contigisse transcribendæ sacræ scripturæ præsertim 2. Regum 8. Liranus ibidem aduertit, & cum Lirano Canus lib. 2. locorum cap. 11. ad 7. probato ad hoc ibidem exemplo demonstrat; vnde non mirum id etiam transcribendo, aut imprimendo textui S. Thomæ accidisse, vti de hoc ipso loco aduerterunt, præter relatos iam, noster Gregorius Martinez in p. 2. qu. 102. cum Azorio tomo 1. lib. 6. cap. 31. & ipse Ioannes à S. Thoma disp. 2. procemiali prop. 12. cum Magistro Donato ad marginem eiusdem loci p. 2, cæterique passim referentes ex aduerso ea manifestissima S. Thomæ verba in Epistolam ad Hebræos cap. 9. lec. 1. dicentis: *Inter duas autem alas, quibus tegebant se Cherubin, erat tabula aurea &c.* Alteri porro S. Thomæ loco in 3. p. q. 27. art. 2. nil detractũ esse nec deesse aliquid constat, præter alia, tum ex manuscripto Parcẽsi & Martiniano ab annis vt minimum 340 exarato ac legente, vti nunc impressa in 3. p. leguntur, vt probat noster Magister Harnæi in Epistola ad Aluam pag. 30, tum ex Commentario Caietani ibidem exponentis rationem, cur de instanti animationis ibidem omissum sit, de quo in tertio dist. 3. tracta-

tum

tum erat, quia scilicet in summa S. Thomas longe magis breuitati studens (vt profitebatur in prologo) non necessarium arbitratus est illud explicite saltem examinare, aut excutere, quod à Doctorum nemine pro tunc ipse legerat defensatum, fatenturque etiam ibidem idipsum post Caietanum ipse Suarez, & Vasquez. Neque Ioannes Bromiardus, qui ad summum floruit ad annum 1290 (non 1260 vt hallucinatur obijciens) & si iuxta alios floruerit ad annū 1315, vt refert ex alijs pluribus varie opinantibus Altamura pag. 63, neque hic, inquam, recitat S. Thomam velut 3. p. *de instanti animationis* explicite differentem, sed solum inquit, *S. Thomam in 3. p. posuisse sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem in hoc, quod sanctificata fuit in sua animatione, idest in coniunctione animæ cum corpore in vtero matris suæ, & non ante, quia sanctificatio & mundatio fit per gratiam, cuius subiectum est anima, nil enim est capax gratiæ in hominibus nisi anima rationalis.* Hæc Bromiardus, neque dicens hæc esse concepta verba S. Thomæ ibidem, sed sensum dumtaxat suum à se acceptum ex illis, quidquid sit de veritate, de qua nec loqui nos volumus nec debemus, neque an Bromiardi editio longe posterior obitu eiusdem, nempe Antuerpiæ facta anno 1614, viitata sit, volumus soliciti esse: cum si ille scripsit vel ad annum 1260 (iuxta arguentem) vel ad annum 1290, vel 1315, iuxta alios, constet adhue incongrue in ea editione supponi ab ipso *S. Thomam Aquinatem* hoc *Sancti* titulo decoratum, qui nonnisi ad annum 1323 in Sanctorum numerum relatus est. Quid demum de Cosma Morelles aiemus acriter adeo ab opponente culpato, *quod in editione Antuerpiensi operum S. Thomæ anno 1612 impudoratè adulterarit textum apertissimum eiusdem S. Thomæ in primo dist. 44. q. 1. ar. 3. ad 3?* tametsi Pater Nicolai scholio suo in eundem locum, vt legitur, iuxta lectionem opponentis, eiusdem opponentis intento haud prodesse probarit. Quid aliud, inquam, de isto respondebimus, nisi conferendas editiones antiquas omnes Romanas & alias cum recentiori ista Antuerpiensi, & constiturum aperte cuique, nec apicem eo in loco reperiri mutatum, detecta tam splendide accusatoris calumnia, vt Alua ipse, qui eundem hunc Diatribarum authorem *amicum sibi notumque* collaudabat, atque in hac ipsa nostrorum accusatione adiuvare conatus est, in hac parte saltem veritate conuictus id fateatur & ipse folio 701 secundæ editionis sic dicens: *Sed cum istud non constet, quia editio Antuerpiensis est integra, & conformis antiquis originalibus siue exemplaribus Pij V. & alijs, nescio quid circa hoc tenendum sit*: Hæc semel tandem ipse Petrus de Alua pro nobis aduersus alterum Petrum hunc Valelusinum vocantem inde Morellem nostrum fidei Quæsitorem Coloniensem, *Falsarium effrontissimum & adulteratorem impudentissimum*. Quæso te Lector, inspiece, quo moderamine atrocia adeo conuicia excipiamus. *Ecce* (dicemus nos Valelusino in ordine ad Aluam, quod aiebat Augustinus lib. 1. in Iulianum cap. 6.) *inter nostros iudices constituo eum, quem putasti patronum tuum. Vis audire quid etiam ipse de hac re apertissime dixerit? Quæ audiuisti, quæ retuli.* Ne inde regeramus (vt iure possemus) ipsius verba in eundem de falsitate calumniæ iuxta mox adducta conuicium, contenti erimus aduersus temere dehonestantem repetitis hoc libro vicibus nostros ab Apostolica Sede delegatos fidei Quæsitores, generali illa, quoad huiusmodi delegatos iudices, admonitione D. Damiani Epistola 20. ad Caddalorum Episcopum. *Si iure*, inquit, *plectendus est quisquis cuilibet irro-*

Digitized by Google

gat iniuriam Sacerdoti, qua demum animaduersione dignus erit, qui illi Sacerdoti præiudicium intulit, cuius consilio & iudicio status ac disciplina Catholica gubernatur? & si Canonica decernit authoritas, vt vel humilis cuiuscumque conditionis Clericus honorifice habeatur, qua hic tumoris audacia præsumpsit aßurgere contra eos, qui authenticam possunt promulgare censuram?

Ad quintum subiunctum ab Alua de tribus alijs S. Thomæ locis, vt opponit ipse, adulteratis à nostris, mirari subit in primis arguentis immemoris, sibimetque splendide contradicentis, imperitiam, nisi eam mauis dicere stoliditatem, qui cum alibi inaudita audacia confinxerit pleraque opera sub nomine D. Thomæ Aquinatis vulgata, non ab ipso conscripta, sed ficta à nostris, eiusque nomini fuisse supposita, hic vltro nouo ex aduerso commento contendit ab illo vtique prius alio modo composita, à nostris vero postea insertis, vel detractis aliquibus fuisse vitiata: quis non aduertit in mentiendo vtrobique immemoris supinitatem? Sed præstat singulis seruato ordine respondere. Quod spectat ad primum de exceptiua intrusa prius ac expuncta postea è commentarijs D. Thomæ in Epistolam ad Galatas cap. 3. lec. 6, vt iste confingit: testantur immo immerito antea intrusam sine dubio fuisse longe antiquiores editiones, quæ posteriores habentes intrusam particulam, non paruo tempore, sine eadem particula præcesserunt, nempe cum prima omnium editionum, quas Alua pro sua lectione adducit, sit anni 1529, ne dum inter alias caretes eadem exceptiua habemus alteram eiusdem anni, verum & quatuor reliquas longe priores anni 1481, 1495, 1518, & 1526, & vltro, præter manuscripta vetusta, quæ Romani correctores in editione Romana secuti sunt, & in alijs manuscriptis eandem particulã non reperiri testatur Remigius Florentinus, vt refert ipsemet Alua folio 499 vix vnum Patauinum exemplar satis suspectum ex aduerso reperiens, si tamen & illud sic se habere soli Aluæ referenti credamus, vt latius ista perpendit noster Magister Harnæi Epistolam ad eundem Aluam pag. 54, indicabatque Patauij scribens & Wielmius ipse, vt supra retulimus. Nec minus alteri secundo loco respondet idem Harnæi pag. 55 eodem modo retundens vnum duntaxat adductum ab Alua, vel à recitatis ab ipso, manuscriptum Sfortianum exemplar, commentariorum S. Thomæ in Epistolam ad Romanos 5. habens eandem exceptiuam intrusam, cum in nullis alijs (quæ alioquin pro se Alua citasset) eadem particula perlegatur. Ex aduerso demum in 3. Sententiarum dist. 5. inclusiuam, vt legitur, adfuisse ab antiquo testantur recitantes eandem plerique scriptores, longe ante Thomam Nerium, Spinamve Pisanum (quos Alua huius fallationis accusat, illum quidem præsidentem editioni Mommartinæ anno 1662, istum vero alteri editioni ad annum 1534,) testantur, inquam, tum Cardinalis Turrecremata florens ad annum 1437, tum Capreolus defunctus paulo ante annum 1437, tum codex manuscriptus sub nomine *Fratris Thomæ de Aquino* (proinde ante Canonizationem secutam eiusde m ad annum 1323) existens in Bibliotheca Monasterij Dunensis, tum & alter codex sub eiusdem nomine manuscriptus ad annum 1282, octo tantum elapsis annis ab obitu San. Thomæ, seruatus in Bibliotheca Parcensis Abbatiæ, vt ocularis testis Magister idem Harnæi in Belgio scribens in Epistola apologetica prælaudata ad Aluam pag. 59 attestatus est, concludens inde, vsque ad Spinam fuisse nos in pacifica pos-

sessione

ſeſſione lectionis huiuſmodi textus *S.* Thomæ (ex quo prædicta de alijs locis validiori collatione firmantur) tamdiu fere, quamdiu tempore Iephte filij Iſrael terram poſſederant de Arnon vſque Ieboc, ſcilicet per trecentum circiter annos, atq; adeo nos dicere poſſe cum Iephte Iudicum XI. *Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius rei.* Sed tædet iam immorari huiuſmodi tricis *de mutationibus, detractionibus, & additionibus*, quas olim Poza *Religioſis S. Dominici* opponebat, eique, non noſter, ſed Auguſtinianus Baſilius Pontius eodem tempore, nomine etiam Salmanticæ Vniuerſitatis, reſpondebat in Apologia pro iuramento Salmantino art. 2. §. 17. ad ſextam obiectionem num. 109. demonſtrans neceſſarias ſemper & ineuitabiles huiuſmodi correctiones errorum irrepentium in libros, ne dum Sanctorũ Patrum (quos erudite percurrit) verum & ſcripturæ canonicæ, aut exterorum adulterantium malitia, aut imperitia exſcribentium ſiue Typographorũ; neque tamen antiquiores exinde Lectiones textuum ſub dubio ponẽdas, quẽadmodum etiam aduerſus Hæreticos ſimiliter pro ſubterfugiendá auctoritate ſcripturarum dicentes à Catholicis vitiatas eſſe, concludebat apposite tum Tertullianus in libro Præſcriptionum non longe à medio ſic dicens: *cum omnis interpolatio poſterior credenda ſit veniens vtiq; ex cauſa æmulationis, quæ neque prior, neque domeſticorum eſt eius, quod quis æmulatur, tam incredibile eſt ſapienti cuique, vt nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur, qui ſumus & primi, & ex ipſis, quam illos non intuliſſe, qui ſunt & Poſteri & aduerſi*: tum Hieronymus Apologia 2. in Rúfinum cap. 4. ſcribens: *Si conceditur, vt quidquid in libris omnium reperitur, ab alijs corruptum ſit, nihil eorum erit, ſub quorum nominibus fertur, ſed ijs deputabitur, à quibus dicitur eſſe violatum, quamquam & illorum non erit, quorum incerta ſunt nomina, atque ita fiet, vt dum omnium omnia ſunt, nihil ſit alicuius:* Tum Auguſtinus in libro aduerſus Adimantum Manichæum cap 3. ſic habens: *Quod ſi dicunt capitulum aliquod falſum eſſe, & à corruptoribus ſcripturarum eſſe additum (nam hoc ſolent, quando non inueniunt quid reſpondeant, dicere) quid ſi alius dicat illud eſſe immiſſum, & falſum, quod ipſi protulerunt?* Tum idem iterum Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum Manichæum cap. 2. & 23. contra eundem adiungens: *Cur litteras iſtas, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquod tempus huius vitæ noſtræ vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, vnde conuincetur, niſi quia illi, qui nunc iſta nouerunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros continuatis Poſterorũ ſucceſſionibus traiecerunt? Alioquin hoc genere* (pergit vbi ſupra Hieronymus) *& iſte ipſe tuus liber tuus non erit, ſed forſitan meus, & meus liber, quo tibi accuſatus reſpondeo, ſi in illo aliquid reprehenderis, non erit meus, ſed tuus, à quo reprehenditur.* A prioribus igitur ſeu antiquioribus S. Thomæ diſcipulis requirenda ſunt teſtimonia, cum dubitatur quomodo textus S. Thomæ legendus ſit, & alijs aduerſis potius quam noſtris, ſi quæ adulteratio adeſſet, tribuenda foret, vt Tertullianus opportuniſſime decernebat, immo (vt retulimus) validiſſima etiam ratiocinatione probabat, *quia* (inquit) *omnis interpolatio poſterior credenda eſt veniens vtique ex cauſa æmulationis, quæ neque prior neque Domeſticorum eſt eius, quod quis æmulatur*, atque ex hac ipſa ratione, quod ipſi concluſimus, inferebat 1 c concludens omnino pro nobis: *Tam incredibile igitur eſt ſapienti cuique, vt nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur, qui ſumus & primi & ex ipſis* (nempe ex An-

Digitized by Google

gelici Magistri discipulis) *quam illos non intulisse qui sunt posteri & aduersi.* Hæc Tertullianus, & hæc ipsi iam satis.

QVÆSTIO VII. ET POSTREMA.

De imputata Maledicentia, Maleuolentia, aut inuidentia in Doctores alienos.

Tandem (vt Augustinus aiebat epist. 137.) *non habentes quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissime iactant, vt quia veritatem obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quidquid in mentem venerit, possint.* Sic tandem iste Auctor Diatribarum, post iam elisas accusationes suas aduersus veritatem Doctrinæ nostrorum, accusationes in eorundem mores aggreditur, velut ab eodem imputato superius superbiæ excessu in laude S. Thomæ rerumque suarum oriatur & triplex allata in titulo peccandi prurigo in extraneos iuxta illud eiusdem Augustini de Verbis Domini: *Inuidia est filia superbiæ; & ista mater superbia nescit esse sterilis, vbi fuerit continuo parit*, nempe isti videtur superbia in nostris apposite peperisse tum maledicentiam, tum maleuolentiam, tum inuidentiam in exteros, de quibus tribus per integrum tribus sequentibus Diatribis hic agit, nos vero vna tantumodo de eisdem singulis hac quæstione postrema dicemus, tum quia ferme lassatos, non minus ac nos, Lectores hucusque tædebit forsan longius tam falsum (vt hactenus vidimus) accusatorem audire, tum quia tangentia Doctrinam Discipulorum D. Thomæ longe magis cum assumpta à nobis approbatione Doctrinæ eiusdem S. Thomæ connexa erant, tum quia demum sic calumniose infamanti (ob auersionem à S. Thomæ Doctrina) etiam Religionis, eiusdemmet S. Thomæ Parentis, mores aut Vitam, superabbunde sufficeret S. Thomam eundem pro Matre sua respondere illis Diui olim Augustini verbis in primo libro in Iulianum Operis imperfecti cap. 68. *Quod autem etiam matrem meam, quæ te nihil læsit, nec contra te aliquid disputauit, lacerandam putasti, victus es maledicendi libidine non timens quod scriptum est; neque maledici Regnum Dei possidebunt:* Hæc Augustinus. Nunc ergo nos ad maledicentiam, vel maleuolentiam ab isto econtra nostris affictam, in primo articulo (dicturi de inuidentia in secundo) vt respondeamus breuissime singulis (demptis ijs, quæ alibi soluta sunt) ad subsequentem Articulum seruato Accusatoris ordine festinamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nostri in Extraneos Maledici aut Maleuoli fuerint.

Videtur ita esse Petro Valclusino Diatriba 7. & 8. Et quidem in Diatriba 7. de Mordacitate imputata nostris vix supersunt aliqua, quæ vlteriori egeant solutione; nam §. 116. Maledicentiæ accusatur Constantinus Caietanus (non certe noster) sed Abbas Benedictinus Congregationis Cassinensis, Fundator Collegij Gregoriani Romæ, recognitor editionis Operum D. Damiani, ne dum à Clemente VIII. & Paulo V. singulari diplomate laudatus, verum etiam à Baronio, Bellarmino, Possevino, Suarez, Gretsero, Syr-

mundo

mundo & alijs, & tamen ab isto solo Valclusino dictus *Homo semisanus*: §. 117. maledicus denunciatur noster Spina Pisanus, qui solum mordacitates in D. Thomam retundit aliorum, neque vt supra diximus, sibi imputata verba in sibi imposita similiter præfatione habet. §. 118. de Cano, cum nihil hic in particulari subdatur, suis in specialí locis iam supra respondimus. §. 119. de Grauina, qui hic similiter in communi vix tangitur, occurremus in speciali inferiùs, vbi §. 141. remordebitur. §. 120. de Bzouio allata hic, superius singula præoccupata fuere. §. 121. 122. & 123. de Combefisio amarulento in quosdam (vtique quo ad Baronium ex integro non excusamus) etsi excusetur à Bail Parisiensi tomo 1. Conciliorum pag. 326. & iterum eiusdem Combefisij doctrina circa Honorium & Monothelitas in re ab eodem Parisiensi defensata legitur; tamen præter à nobis data responsa superius, quo ad reliqua ipsemet viuens ae videns hunc ipsum Diatribarum libellum, in suis successiue operibus iam pro seipso respondit. §. 124. de imputata nostris editione libelli famosi inscripti, *Theatrum &c.* (vt iste solus vix suspicatur, ac dicit, & nihil probat) occurreret idem Augustinus pro nobis lib. 3. operis imperfecti in Iulianum cap. 29. dicens, *non ratiocinaris, sed conuitiaris, & calumniaris*, seu, vt præmiserat c. 20. *Vinceris quippe ab aduersarijs, quos habes, & vincendos proponis tibi, quos non habes*. Demum §. 125. de Ionio quodam, nouo anagrammate ludente in quoddam alterum Nierembergi Anagramma, cũ & ille nostris ignotus sit, & pueriles hæ tricæ sint, vel respondere nos pudet. Et tamen ex his ineluctabilibus adeo obiectionibus in fine huiusce septimæ Diatribæ concluditur, *Maledicentiam & acerbitatem Dominicanorum Scriptorum, in Authores omni laude superiores, liquere*, vt ipse solus auctor Diatribarum arbitratur.

Secundò in Diatriba 8. (dimissis tum §. 126. 127. 128. quibus quæstione prima huius libri respondimus, tum §. 129. de Eimerico, de quo egimus superiori mox ante quæstione) à §. 130. incipit addere aliquid, nouæ non incapax solutionis, nempe hoc §. 130. ipse supponit Franciscum Petrarcham ob Poæsim insimulatum Hæreseos ab Inquisitore Dominicano fuisse, & sequenti §. 131. Thomam Waldensem falso accusatum à Cano, Petro simul & Dominico Soto, velut iniurium Ecclesiæ præsenti: de illo quidem id sibi probare videtur ex vno Hieronymo Squarciafico in Vita eiusdem Petrarchæ dicentis: *Fuit illa tempestate nomen poeticum ita inuisum, vt qui ea studia sequeretur, Magum, Sortilegum, & Hæreticum esse dicerent. Erat tunc hæreticæ prauitatis Inquisitor quidam Marcus Picenus de Solspedio oriundus. Frater rudis & omnium bonarum litterarum omnino expers, qui temerario ausu in nonnullos inijcere manus tentauit*: Contra quem subdit idem Historicus, *aliunde prouisum, Solspodium explosum, non tamen sine labore se purgasse Petrarcham*, opponens vero de suo supponit hunc Inquisitorem fuisse Dominicanum, eumq; deceptum à falsa Lectione Decreti Gelasij Papæ distinctione 15. vbi aliqui ab antiquo legerunt ea verba, *hæreticis versibus*, pro *heroicis*, vt legi debebat, contra quos ita male Poæsim habentes Apuleius repeteret Apologia 1. *An ideo Magus quia Poeta?* De Waldensi porro male habito à Cano, & duobus inde sequentibus, probat ex eodem Cano lib. 2. locorum cap. 7. vbi, vt obijciens loquitur, *Cano Waldensem notat iniuriæ erga præsentem Ecclesiam, quasi ei negauerit authoritatem definiendi suborientes de fide controuersias, deferens eam authoritatem seriei Apostolorum ac posterorum Apostolicorum, Laicis*

non

non exclusis; cum tamen Thomas Waldensis à Martino V. *Ecclesiæ ensis* dictus sit, & cumulatis encomijs ab alijs.

Tertiò de Diuo Bernardino Senensi habet §. 132. & de Alphonso Tostato §. 133. Quo ad primum quidem *intelligi*, inquit, *ex Ænea Siluio* libro de viris illustribus, & subscribente Sancto Antonino 3. parte historiæ titulo 14. Cap. 5. §. 2. *cum scilicet Bernardinum delatum fuisse à Dominicanis ad Martinum V. tamquam hæreticum*, eo quod nomen Iesu radiatum in tabella proponeret adorandum &c. velut ea adoratio nominis depicti hanc imaginem cum diuina Eucharistia æquaret, vt illi criminabantur, inquit, & *Siluium addere Martinum V. vrgentibus Dominicanis principio prohibuisse vsum inductum à S. Bernardino*, licet ex actis eiusdem Sancti cap. 30. & quibusdam alijs, eo audito, Martinum V. priorem suam prohibitionem reuocasse concludat. Quo ad secundum vero ait, *Luce inter Dominicanos Fratre Ioanne de Turrecremata tunc in minoribus constituto, insimulatum esse Tostatum errorum, tricantibus Dominicanis circa voces, & falsitas in plane quærentibus, ideoque Tostatum defensorium emisisse, quo aduersariorum conatus refregit, & honorem suum sartum tectumque seruauit, licet prius vsus sit causa tacere ob negatam defensionis copiam &c.* vt colligi dicit tum ex eiusdem Defensorij præfatione, tum ex eiusdem Tostati libello subiuncto ad Eugenium IV.

Quartò de Ioanne Pico discurrit §. 134. & de Ludouico Viues §. 137. (omisso intermedio §. de Reuclino, de quo supra iam satis). Picum quidem fuisse exagitatum à Dominicanis satis haberi arbitratur ex Reuclino eodem lib. 1. de Arte Cabalistica pag. 758. attestante, *se nouisse Picum olim domo exulantem apud Gallos & Allobrogos, pulsumque Patria & fugatum acerrime ab inuidis quadam detestabili persecutione &c.* hosque eiusdem persecutores vocante *candidos & atros, vnde Fratres atrati dicuntur*; cum tamen, inquit, pro Pico (falso deinde locato inter hæreticos ab hæretico Foxo) egerint creditus Alanus Copus Dialogo 6. cap. 27. & Bomfrerius in proloquijs ad Scripturam præfixis cap. 22. lect. 2. Quo ad Ludouicum autem Viues ait *Notatum esse, vrgentibus Dominicanis, quia in præfatione suorum Commentariorum in libros Augustini de Ciuitate Dei, titulo (de Veteribus interpretibus) minus honorifice loquutus fuerat de tribus Dominicanis, Fratre Thoma Vallois, & Nicolao Triueth, & Fratre Iacobo de Passauant, qui prius Commentarium scripserant in eosdem libros &c* neque permittit eundem Viues iure proscriptum esse ob laudatum ab eodem Erasmum hæreticũ, quia, inquit, eodem modo & Sancti Patres laudauerunt aliquos postea detectos hæreticos, vt Leo Papa Eutychem apud Facundum lib. 7. cap. 3. Zosimus Pelagium ac Cælestium, Paulinus Vigilantium in Epist. 1. Hieronymus eundem Vigilantium Epist. 13. Sanctus Maximus Pyrrhum, apud Photium codice 194, & demum Leo X. eundem Erasmum in Epist. qua, ob sibi dicatam paraphrasim in nouum testamentum, respondebat eidem.

Quintò demum in tribus alijs paragraphis subsequentibus agit de tribus alijs alieni instituti à nostro, nec tamen instituti semper commendabilis Societatis (vti nec vllus Societatis fuit ex prætactis hucusque). Primus est Ioannes Ferus Ordinis Minorum Concionator & Scriptor reprehensus erroris à Dominico Soto, & tamen in bonum sensum excusatus ac defensus à Michaele Medina eiusdem Ordinis Minorum. Secundus est Ferdinandus Mascharenas

scharenas prȩsul Hyspanus carbone notatus in libello suo de auxilijs ob notatam ab ipso, inquit objiciens, Cabezudi petulcitatem. Tertius denique seù postremus est Aloysius Nouarinus Clericus Regularis, qui ob negatum etiam *debitum Originalis &c.* passus est à Dominicanis (*cum respondere non possunt, sic reagentibus*), inquit, suæ *Vmbræ virgineæ* proscriptionem. *Hæc sunt* (vt ab initio prætexebat) *exempla insignium Virorum, quos Dominicani, quia secum non erant, pessimè habuerunt*, tamquam videlicet, vt præfigebat in titulo, amari, mordaces, ac maleuoli in alienos.

In oppositum tamen est quod præter mox infra subdenda de singulis præallatis, aut verè non accusatis à nostris, aut iure etiam accusandis ab alijs, vlterius vitia eadem, quæ falso accusat in nostris, scilicet maleuolentia, ac mordacitas, reipsa in eodem accusatore in hoc ipso libello proscripto immani nimis vbique granditate turgescunt, dum immo ipse impudentissimis saltem aut conuitijs, aut etiam calumnijs inuehitur, tum integro libro in totum Prædicatorum Ordinem tam in communi quam in particulari, modo aduersus Generales eiusdem, modo Sacri Palatij Magistros, modo in Commissarios Sancti Officij in Vrbe, modo in Secretarios Congregationis Indicis, modo in Quæstores fidei, modo in integram sacram Congregationem Cardinalium librorum examini Præsidentem; tum aduersus Sanctos eiusdem Ordinis Prædicatorum, §. 36. & 151. irridens dictum de Diuo Patriarcha Dominico, *habere eum manus oblongas, neminemque in eum impune peccare* §. 52. & alibi sæpe dehonestans *S. Thomam velut Dominicanis fatui amoris obiectum*, §. 59. & 102. hæreseos aut falsi notans D. Catharinæ Senensis reuelationes, §. 96. & 104. pro fabellis habens quædam miracula Beatorum Alberti Magni, ac Pij V. & §. 97. dicens nos venerari *Chimaras Sanctorum* seù §. 190. *Deum fabulinum*; tum (vt omittam tot alias subsannationes in nostros) mox ex Ordine Benedictino traducens §. 118 Abbatem Caietanum Constantinum velut *hominem seminfamum*, mox ex Ordine S. Augustini Basilium Pontium, tamquam falsum accusatorem Doctrinæ Facundez, indeque ex liuore sectantem D. Thomæ doctrinam, §. 65, mox ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum vniuersim omnes veluti in vindictam sibi interdicti in Hyspania libelli, Pinedæ opera, Angelico eidem Præceptori adhærentes, §. 65. mox tandem (omissis cæteris) §. 94. prudentissimo Societatis Iesu Generali Præfecto *mollitudinem Vitelescam* improperans. Quid ergo mirum ab isto eodem dehonestari similiter nostros indiscriminatim, & appellari §. 21. *Rabbiosos*, §. 94. *Malignos*, §. 12. *Lanios*, §. 9. 31, 32. *Canes latrantes* §. 22. *Molossos efferatos* §. 131. *Harpyas rapaces* §. 143. *Ranas coaxantes &c. Nos oportet* (vt Augustinus concluderet lib. 2. in Iulianum operis imperfecti cap. 3.) *nos oportet cum talibus istius conuitia non solum patienter, verum etiam gratulanter audire. Sed ipse debuit in talibus lacerandis & humana erubescere, & diuina iudicia formidare.*

Respondeo non adeo acceptos futuros fuisse nostri Professores Ordinis Summis Ecclesiæ Pontificibus, Principibus Orthodoxis, populisque Christianis, si tam odioso in proximū, vitio maledicentiæ, ac maleuolentiæ, dignoscendi facillime, & cauendi per consequens sorduissent. Testis enim ex aduerso omni exceptione superior adest pro ingenua nostrorum etiam in exteros indole, seu habitudine, Summus ipse Pontifex Alexander IV. in Bulla

incipiente

incipiente, *Cælestis ille agricola &c.* de professoribus immo Ordinis Prædicatorum vniuersim hæc habens: *Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui sua sacra conuersatione suauiter redolent &c. hi sunt dilecti Deo & hominibus* (id quæso perpendas) *dilecti Deo & hominibus morum honestate conspicui &c.* Testes sunt à Diuo Patriarcha Dominico, qui fuit primus Apostolici Palatij Magister, tot in eodem munere succedētes nostri nunquam interrupta serie conspicui vsq; ad præsentem Reuerendissimum Ioannem Dominicum Puteobonellum à Sauona probissimum æque ac Sapientissimum Præsulē, post tot alios pro fidei Quæstione labores, succedentem nunc merito post Eminentissimum Capifuccum, tot, inquam, conspicui viri, quos longo ac bene merito encomiorum syllabo nuper Magister Fontana in suo Theatro prosecutus est, quorumque duo Sanctorum albo adscripti, octo assumpti ad purpuram, totidem ad Magisterium Generale Ordinis, quinque ad Archiepiscopatus, duodecim ad Episcopatus euecti fuere. Testes non minus sine interruptione subsequentes nostri in Officio Commissarij Romanæ Generalis Inquisitionis, in gratiā tum D. Petri Martyris, qui ob idem Sanctum Inquisitionis officium sanguinem suum fudit, ac Martyrij laurea decoratus est, tum B. Pij V. qui eodem Commissarij munere functus Palatium S. Officij extruxit, & Congregationem Sancti Officij ampliauit. Testes & sacræ Indicis Congregationis Secretarij perenniter instituti è nostris, a Francisco Forerio Dominicano, qui institutæ ab initio eidem Congregationi in Secretarium designatus fuit. Testes tot extra Vrbem Sacrum Quæstionis Tribunal laudabiliter moderantes, vere Domini Canes peruigiles, scilicet pro domesticis fidei adlatrantes alienos, dignique proinde (vt apposite Nazianzenus de Hierone dicebat) *Et etiam nomine Canis, quia fidei domesticos mulcent, externos vero latrando insectantur.* Testes tot alij è nostris Summorum Pontificum, ac Eminentissimorum Cardinalium administri, adeo vt possis vel ab hoc vno dignoscere reliquos, & è nostrorum vel Laicorum laudibus, Sacerdotum longe coniectare maiores, nempe ex Spondano testante cum alijs ad annum 1270 num. 1. *Gregorium X. primum fuisse, qui solemnem eleemosinam ordinauerit in Curia Romana, præfecisseque ei quendam Fratrem Conuersum Ordinis Prædicatorum, quem secum duxerat à partibus vltramarinis.* Testes (post administros Apostolicæ Sedis) tot alij nostri, qui Christianis Principibus aut Præceptores, aut à Consilijs, seu à Confessionibus adsuere, inter quos Didacus Deza præceptor Ioannis Principis vnici hæredis Regum Catholicorum, ciusque parentibus à Confessionibus & Cōsilijs adsistens, qui author eisdem fuit, vt aperiendo non tam ad Imperium propagandum quam ad Euangelij prædicationem nouo Orbi naues, milites, & commeatum Columbo suppeditarent. Inter octodecim nostros è solo Conuentu Camberacensi in Sabaudia assumptos Confessarios Ducum Sabaudiæ, & tres Principum Burgundiæ ac Belgij adnegotia etiam quæcumque grauissima adhibitos, Ioannes Porrens Episcopus Atrebatensis (ex tabulis Diuionensibus Cameræ) electus fuit ad negotia maximi momenti tractanda inter Regem & Ducem, atque huius nomine Legatus in Angliam, ac subinde Constantiense Concilium adiuit. Regibus Hyspaniæ à Confessionibus iam diu numerabantur quadraginta septem, quos inter eminet sanctitate Raymundus, & expulsione Saracenorum ac Iudæorum clarescunt Ioannes Entrega,

Alphon-

Alphonsi XI. Confessarius, & Thomas à Turrecremata Confessarius Ferdinādi, & Isabellæ, ille, cuius opera expeditio in Saracenos suscepta fuit, ducentis millibus Maurorum occisis, iste, cuius Apostolico hortatu Iudæorum expulsio (licet decreta antea, sed fere suspensa) operi tandem mandata fuit. Regum Aragoniæ viginti, Lusitaniæ quatuordecim, Poloniæ viginti, Regum Galliæ sexdecim à Confessionibus recensentur; sicut non minus inter præceptores Principum celebrantur, post laudatum Didacum Deza datum Ioannis Principi, Bartholomæus à Martyribus adhibitus Antonio Ludouici infantis ex Lusitania vnigenito, & Bartholomæus Caranza Philippo II. Hyspaniarum Regi, alijque cæteris Hyspaniæ, Galliæque Regibus, vt excurrenti eorum historias, nostrosque Annales, à D Raymundo Regis Aragonum Confessario ad Philippum IV. vsque postremo defunctum, pauci occursuri sint Principum, qui ad id muneris non sint vsi Dominicanis, quemadmodum Vincentius Tolosanus aiebat, præter clarescentes magis Gotophredum à Bellouisu, & Conradum Germanum, illum S. Ludouici, hunc Diuæ Elisabethæ Hungariæ Regis filiæ Confessarios, præter Ioannem Claren Ludouico XII, & Gulielmum Minorem Episcopum Trecensem à Confessionibus adsistentes eidem Ludouico XII, eiusque successori ac genero Francisco, similiter Iuonem Episcopum Redonensem Annæ duorum Regum Caroli VIII. & Ludouici XII vxori, & postremæ ex Ducibus Britanniæ minoris filiæ, quem Gentiles Britanni votis colunt, laudatissimum vltro sapientia ac pietate, Ioannem à S. Thoma Philippi IV. & pijssimum virum Dominicum à Rosario Reginæ Lusitaniæ Confessarios, quos ætas nostra encomijs amplissimis celebrauit. Nimis prolixus essem, si alios plurimos nominatim exscriberē, quos passim descriptos habes per singulas ætates quoadhanc rem in monumentis Dominicanis nuper à Fontana vulgatis. Taceo Vmbertum Principem Delphinatum, qui orbatus filijs nostrum Ordinem professus est, relicto sui principatus hærede, primogenito Regis Galliæ, ea lege, vt superstite parente, ante aditum Regnum, Delphini nomen & insignia ferret. Nil dico de tribus Summis Pontificibus, qui ex nostro Ordine assumpti fuere, eorūq; postremus, præter tot celeberrima gesta pro Principibus Christianis Orthodoxaque fide, iam Cœlitum numero adscriptus fuit. Prætereo tot excursa superius eiusdem Ordinis professorum encomia, idque vnum expostulo in præsenti à traducente nostros velut iam vulgo notæ malignitatis ac perfidiæ in alienos, an credi posfit tot Ecclesiæ Pontifices, tot Eminentissimos Cardinales, tot Christiani nominis Reges, ac Principes, populosque, tot Magnates ac Proceres, omnes vno verbo Christianos, implanari veluti aut dementari potuisse per nostros, adeo vt homines tam malignos, tam infidos, improbosque, in tot rebus ac tantis adhibere, eisque præ reliquis fidere maluissent? Idne prudens aliquis vel seminsanus adminus (si permittatur vt arbiter) dicet fortasse, vel credet, id verisimile esse? Idne suadebit vt verum solus accusator hic noster, quod omnes Christiani Proceres reprobarunt, fermeque Christianus Orbis inuerisimile hactenus recognouit? *An ne* (hi cuncti dicerent cum Basilio lib. 1. in Eunomium) *an ne claudentes simul oculos, exterminata cuiuslibet sancti viri memoria, otiosam, atque omnino vacuam sophismatibus tuis mentem nostram supponemus? Magna profecto est potentia tua, si quæ multiplici artificio Diabo-*

inio legitur reprobata à prædictis & à Maluenda nostro in idem caput ex Philone &c. Falsus quarto hic author est in opinando S. Thomam vtique antea & errauisse, & scripsisse tabulam propitiatorij fuisse *lapideam* (sicut in præallatis Romanis etiam editionibus, ob præcedentem errorem amanuensium, aut Typographorum, sic vltro legi permissum fuit) Falsum, inquam, hoc postremum est, nam iamdiu noster Medina obseruarat ad illum locum p. 2. in breui expositione quæstionis 102, *In partibus D. Thomæ, quæ manuscriptæ sunt in Bibliotheca Salmantina sic haberi textum D. Thomæ in solutione sexti (& super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium) nec haberi quod propitiatorium erat tabula lapidea, vnde illa dictio (lapidea) ex errore librariorum adiecta est:* idem testatus est Vasquez in commentario eiusdem articuli ex eodem codice Salmantino, quem Hyspanus & ipse videre potuit: idem & robustius etiam id probauit similiter in Hyspania scribens Suarez lib. 9. de legibus Cap. 4. num. 25. subiungens: *existimo errorem irrepsisse in textum S. Thomæ: nam constat Exodi 25. fuisse tabulam auream, quod D. Thomas non ignorauit, immo id scripsit ad Hebræos 9. lec. 1.* Hæc Suarez, quæ repetit Siluius, & quibus congruit ante omnes Petrus Bergomensis florens ad annum 1470, & in suo indice aureo citans ex eodem loco p. 2. hæc verba *(erat autem tabula super alas Cherubin)*, non vero de illa particula additiția, scilicet *lapidea*, aliquid habet, addit Grauina, in libro de sacro deposito Cap. 24, in vetustis etiam Vaticani codicibus similiter ita legi; *& super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium*), licet in manuscripto Coloniensi vlterius ita legatur (*& super arcam erat quædam tabula aurea*). Lucarinus quoque commemorat, *Esse in Conuentu Ordinis S. Luciæ de Alcantix Textum S. Thomæ manuscriptum, & postillatum manu S. Vicentij Ferrerij, in quo non legitur illud (Lapidea)*; Idem præter Donatum, ex alio antiquo manuscripto Parisijs ostēdit ac repetit Ioannes Nicolai, in eundem locum, & vno verbo, ne dum nostri, sed extranei omnes, vt video, consenserunt, particulam illam addititiam *lapidea* à sciolo aliquo appositam in margine ad manuscriptū S. Thomæ (pro exprimenda propitiatorij materia, quam S. Thomas non necesse habuit eo loci explicare iam notam) inde peius in textum, amanuensiū, vel typographorum imperitia, irrepsisse, quemadmodum etiam quandoque contigisse transcribendæ sacræ scripturæ præsertim 2. Regum 8. Liranus ibidem aduertit, & cum Lirano Canus lib. 2. locorum cap. 11. ad 7. probato ad hoc ibidem exemplo demonstrat; vnde non mirum id etiam transcribendo, aut imprimendo textui S. Thomæ accidisse, vti de hoc ipso loco aduerterunt, præter relatos iam, noster Gregorius Martinez in p. 2. qu. 102. cum Azorio tomo 1. lib. 6. cap. 31. & ipse Ioannes à S. Thoma disp. 2. procemiali prop. 12. cum Magistro Donato ad marginem eiusdem loci p. 2, cæterique passim referentes ex aduerso ea manifestissima S. Thomæ verba in Epistolam ad Hebræos cap. 9. lec. 1. dicentis: *Inter duas autem alas, quibus tegebant se Cherubin, erat tabula aurea &c.* Alteri porro S. Thomæ loco in 3. p. q. 27. art. 2. nil detractū esse nec deesse aliquid constat, præter alia, tum ex manuscripto Parcēsi & Martiniano ab annis vt minimum 340 exarato ac legente, vti nunc impressa in 3. p. leguntur, vt probat noster Magister Harnæi in Epistola ad Aluam pag. 30, tum ex Commentario Caietani ibidem exponentis rationem, cur de instanti animationis ibidem omissum sit, de quo in tertio dist. 3. tractatum

Digitized by Google

tum erat, quia scilicet in summa S. Thomas longe magis breuitati studens (vt profitebatur in prologo) non necessarium arbitratus est illud explicite saltem examinare, aut excutere, quod à Doctorum nemine pro tunc ipse legerat defensatum, fatenturque etiam ibidem idipsum post Caietanum ipse Suarez, & Vasquez. Neque Ioannes Bromiardus, qui ad summum floruit ad annum 1290 (non 1260 vt hallucinatur obijciens) & si iuxta alios floruerit ad annũ 1315, vt refert ex alijs pluribus varie opinantibus Altamura pag. 63, neque hic, inquam, recitat S. Thomam velut 3. p. *de instanti animationis* explicite differentem, sed solum inquit, *S. Thomam in 3. p. posuisse sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem in hoc, quod sanctificata fuit in sua animatione, idest in coniunctione animæ cum corpore in vtero matris suæ, & non ante, quia sanctificatio & mundatio fit per gratiam, cuius subiectum est anima, nil enim est capax gratiæ in hominibus nisi anima rationalis.* Hæc Bromiardus, neque dicens hæc esse concepta verba S. Thomæ ibidem, sed sensum dumtaxat suum à se acceptum ex illis, quidquid sit de veritate, de qua nec loqui nos volumus nec debemus, neque an Bromiardi editio longe posterior obitu eiusdem, nempe Antuerpiæ facta anno 1614, vitiata sit, volumus soliciti esse: cum si ille scripsit vel ad annum 1260 (iuxta arguentem) vel ad annum 1290, vel 1315, iuxta alios, constet adhuc incongrue in ea editione supponi ab ipso *S. Thomam Aquinatem* hoc *Sancti* titulo decoratum, qui nonnisi ad annum 1323 in Sanctorum numerum relatus est. Quid demum de Cosma Morelles aiemus acriter adeo ab opponente culpato, *quod in editione Antuerpiensi operum S. Thomæ anno 1612 impudorate adulterarit textum apertissimum eiusdem S. Thomæ in primo dist. 44. q. 1. ar. 3. ad 3?* tametsi Pater Nicolai scholio suo in eundem locum, vt legitur, iuxta lectionem opponentis, eiusdem opponentis intento haud prodesse probarit. Quid aliud, inquam, de isto respondebimus, nisi conferendas editiones antiquas omnes Romanas & alias cum recentiori ista Antuerpiensi, & constiturum aperte cuique, nec apicem eo in loco reperiri mutatum, detecta tam splendide accusatoris calumnia, vt Alua ipse, qui eundem hunc Diatribarum authorem *amicum sibi notumque* collaudabat, atque in hac ipsa nostrorum accusatione adiuvare conatus est, in hac parte saltem veritate conuictus id fateatur & ipse folio 701 secundæ editionis sic dicens: *Sed cum istud non constet, quis editio Antuerpiensis est integra, & conformis antiquis originalibus siue exemplaribus P. J. V. & alijs, nescio quid circa hoc tenendum sit*: Hæc semel tandem ipse Petrus de Alua pro nobis aduersus alterum Petrum hunc Valclusinum vocantem inde Morellem nostrum fidei Quæsitorem Coloniensem, *Falsarium effrontissimum & adulteratorem impudentissimum*. Quæso te Lector, inspice, quo moderamine atrocia adeo conuicia excipiamus. *Ecce* (dicemus nos Valclusino in ordine ad Aluam, quod aiebat Augustinus lib. 1. in Iulianum cap. 6.) *inter nostros iudices constituo eum, quem putasti patronum tuum. Vis audire quid etiam ipse de hac re apertissime dixerit? Quæ audiuisti, quæ retuli.* Ne inde regeramus (vt iure possemus) ipsius verba in eundem de falsitate calumniæ iuxta mox adducta conuictum, contenti erimus aduersus temere dehonestantem repetitis hoc libro vicibus nostros ab Apostolica Sede delegatos fidei Quæsitores, generali illa, quoad huiumodi delegatos iudices, admonitione D. Damiani Epistola 20. ad Caddalorum Episcopum. *Si iure*, inquit, *plectendus est quisquis cuilibet erro-*

gat iniuriam Sacerdoti, qua demum animaduersione dignus erit, qui illi Sacerdoti præiudicium intulit, cuius consilio & iudicio status ac disciplina Catholica gubernatur? & si Canonica decernit authoritas, vt vel humilis cuiuscumque conditionis Clericus honorifice habeatur, qua hic tumoris audacia præsumpsit aßurgere contra eos, qui authenticam possunt promulgare censuram?

Ad quintum subiunctum ab Alua de tribus alijs S. Thomæ locis, vt opponit ipse, adulteratis à nostris, mirari subit in primis arguentis immemoris, sibimetque splendide contradicentis, imperitiam, nisi eam mauis dicere stoliditatem, qui cum alibi inaudita audacia confinxerit pleraque opera sub nomine D. Thomæ Aquinatis vulgata, non ab ipso conscripta, sed ficta à nostris, eiusque nomini fuisse supposita, hic vltro nouo ex aduerso commento contendit ab illo vtique prius alio modo composita, à nostris vero postea insertis, vel detractis aliquibus fuisse vitiata: quis non aduertit in mentiendo vtrobique immemoris supinitatem? Sed præstat singulis seruato ordine respondere. Quod spectat ad primum de exceptiua intrusa prius ac expuncta postea è commentarijs D. Thomæ in Epistolam ad Galatas cap. 3. lec. 6, vt iste confingit: testantur immo immerito antea intrusam sine dubio fuisse longe antiquiores editiones, quæ posteriores habentes intrusam particulam, non paruo tempore, sine eadem particula præcesserunt, nempe cum prima omnium editionum, quas Alua pro sua lectione adducit, sit anni 1529, ne dum inter alias carētes eadem exceptiua habemus alteram eiusdem anni, verum & quatuor reliquas longe priores anni 1481, 1495, 1518, & 1526, & vltro, præter manuscripta vetusta, quæ Romani correctores in editione Romana secuti sunt, & in alijs manuscriptis eandem particulā non reperiri testatur Remigius Florentinus, vt refert ipsemet Alua folio 499 vix vnum Patauinum exemplar satis suspectum ex aduerso reperiens, si tamen & illud sic se habere soli Aluæ referenti credamus, vt latius ista perpendit noster Magister Harnæi Epistolam ad eundem Aluam pag. 54, indicabatque Patauij scribens & Wielmius ipse, vt supra retulimus. Nec minus alteri secundo loco respondet idem Harnæi pag. 55 eodem modo retundens vnum duntaxat adductum ab Alua, vel à recitatis ab ipso, manuscriptum Sfortianum exemplar, commentariorum S. Thomæ in Epistolam ad Romanos 5. habens eandem exceptiuam intrusam, cum in nullis alijs (quæ alioquin pro se Alua citasset) eadem particula perlegatur. Ex aduerso demum in 3. Sententiarum dist. 3. inclusiuam, vt legitur, adfuisse ab antiquo testantur recitantes eandem plerique scriptores, longe ante Thomam Nerium, Spinamve Pisanum (quos Alua huius falsationis accusat, illum quidem præsidentem editioni Mommartinæ anno 1662, istum vero alteri editioni ad annum 1534,) testantur, inquam, tum Cardinalis Turrecremata florens ad annum 1437, tum Capreolus defunctus paulo ante annum 1437, tum codex manuscriptus sub nomine *Fratris Thomæ de Aquino* (proinde ante Canonizationem secutam eiusde m ad annum 1323) existens in Bibliotheca Monasterij Dunensis, tum & alter codex sub eiusdem nomine manuscriptus ad annum 1282, octo tantum elapsis annis ab obitu San. Thomæ, seruatus in Bibliotheca Parcensis Abbatiæ, vt occulatis testis Magister idem Harnæi in Belgio scribens in Epistola apologetica prælaudata ad Aluam pag. 59 attestatus est, concludens inde, vsque ad Spinam fuisse nos in pacifica possessione

fessione lectionis huiusmodi textus *S.* Thomæ (ex quo prædicta de alijs locis validiori collatione firmantur) tamdiu fere, quamdiu tempore Iephte filij Israel terram possederant de Arnon vsque Ieboc, scilicet per trecentum circiter annos, atq; adeo nos dicere posse cum Iephte Iudicum XI. *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iusta. Iudicet Dominus arbiter huius rei*. Sed tædet iam immorari huiusmodi tricis *de mutationibus, detractionibus, & additionibus*, quas olim Poza *Religiosis S. Dominici* opponebat, eique, non noster, sed Augustinianus Basilius Pontius eodem tempore, nomine etiam Salmantinę Vniuersitatis, respondebat in Apologia pro iuramento Salmantino art. 2. §. 17. ad sextam obiectionem num. 109. demonstrans necessarias semper & ineuitabiles huiusmodi correctiones errorum irrepentium in libros, ne dum Sanctorũ Patrum (quos erudite percurrit) vetum & scripturæ canonicæ, aut exterorum adulterantium malitia, aut imperitia exscribentium siue Typographorũ; neque tamen antiquiores exinde Lectiones textuum sub dubio ponẽdas, quẽadmodum etiam aduersus Hæreticos similiter pro subterfugiendá auctoritate scripturarum dicentes à Catholicis vitiatas esse, concludebat apposite tum Tertullianus in libro Præscriptionum non longe à medio sic dicens: *cum omnis interpolatio posterior credenda sit veniens vtiq; ex causa æmulationis, quæ neque prior, neque domesticorum est eius, quod quis æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, vt nos adulterum stylum intulisse videamur, qui sumus & primi, & ex ipsis, quam illos non intulisse, qui sunt & Posteri & aduersi*: tum Hieronymus Apologia 2. in Ruffinum cap. 4. scribens: *Si conceditur, vt quidquid in libris omnium reperitur, ab alijs corruptum sit, nihil eorum erit, sub quorum nominibus fertur, sed ijs deputabitur, à quibus dicitur esse vitiatum, quamquam & illorum non erit, quorum incerta sunt nomina, atque ita fiet, vt dum omnium omnia sunt, nihil sit alicuius:* Tum Augustinus in libro aduersus Adimantum Manichæum cap 3. sic habens: *Quod si dicunt capitulum aliquod falsum esse, & à corruptoribus scripturarum esse additum (nam hoc solent, quando non inueniunt quid respondeant, dicere) quid si alius dicat illud esse immissum, & falsum, quod ipsi protulerunt?* Tum idem iterum Augustinus lib. 11. contra Faustum Manichæum cap. 2. & 23. contra eundem adiungens: *Cur litteras istas, quas habemus in manibus, si post aliquod tempus huius vitæ nostræ vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas, vnde conuincetur, nisi quia illi, qui nunc ista nouerunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis Posterorum successionibus traiecerunt? Alioquin hoc genere* (pergit vbi supra Hieronymus) *& iste ipse tuus liber tuus non erit, sed forsitan meus, & meus liber, quo tibi accusatus respondeo, si in illo aliquid reprehenderis, non erit meus, sed tuus, à quo reprehenditur*. A prioribus igitur seu antiquioribus S. Thomæ discipulis requirenda sunt testimonia, cum dubitatur quomodo textus S. Thomæ legendus sit, & alijs aduersis potius quam nostris, si quæ adulteratio adesset, tribuenda foret, vt Tertullianus opportunissime decernebat, immo (vt retulimus) validissima etiam ratiocinatione probabat, *quia* (inquit) *omnis interpolatio posterior credenda est veniens vtique ex causa æmulationis, quæ neque prior neque Domesticorum est eius, quod quis æmulatur*, atque ex hac ipsa ratione, quod ipsi conclusimus, inferebat sic concludens omnino pro nobis: *Tam incredibile igitur est sapienti cuique, vt nos adulterum stylum intulisse videamur, qui sumus & primi & ex ipsis* (nempe ex Ange-

gelici Magistri discipulis) *quam illos non intulisse qui sunt posteri & aduersi.* Hæc Tertullianus, & hæc ipsi iam satis.

QVÆSTIO VII. ET POSTREMA.

De imputata Maledicentia, Maleuolentia, aut inuidentia in Doctores alienos.

TAndem (vt Augustinus aiebat epist. 137.) *non habentes quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissime iactant, vt quia veritatem obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quidquid in mentem venerit, possint.* Sic tandem iste Auctor Diatribarum, post iam elisas accusationes suas aduersus veritatem Doctrinæ nostrorum, accusationes in eorundem mores aggreditur, velut ab eodem imputato superius superbiæ excessu in laude S. Thomæ rerumque suarum oriatur & triplex allata in titulo peccandi prurigo in extraneos iuxta illud eiusdem Augustini de Verbis Domini: *Inuidia est filia superbiæ; & ista mater superbia nescit esse sterilis, vbi fuerit continuo parit*, nempe isti videtur superbia in nostris apposite peperisse tum maledicentiam, tum maleuolentiam, tum inuidentiam in exteros, de quibus tribus per integrum tribus sequentibus Diatribis hic agit, nos vero vna tantummodo de eisdem singulis hac quæstione postrema dicemus, tum quia ferme lassatos, non minus ac nos, Lectores hucusque tædebit forsan longius tam falsum (vt hactenus vidimus) accusatorem audire, tum quia tangentia Doctrinam Discipulorum D. Thomæ longe magis cum assumpta à nobis approbatione Doctrinæ eiusdem S. Thomæ connexa erant, tum quia demum sic calumniose infamanti (ob auersionem à S. Thomæ Doctrina) etiam Religionis, eiusdemmet S. Thomæ Parentis, mores aut Vitam, superabbunde sufficeret S. Thomam eundem pro Matre sua respondere illis Diui olim Augustini verbis in primo libro in Iulianum Operis imperfecti cap. 68. *Quod autem etiam matrem meam, quæ te nihil læsit, nec contra te aliquid disputauit, lacerandam putasti, victus es maledicendi libidine non timens quod scriptum est; neque maledici Regnum Dei possidebunt:* Hæc Augustinus. Nunc ergo nos ad maledicentiam, vel maleuolentiam ab isto econtra nostris affictam, in primo articulo (dicturi de inuidentia in secundo) vt respondeamus breuissime singulis (demptis ijs, quæ alibi soluta sunt) ad subsequentem Articulum seruato Accusatoris ordine festinamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nostri in Extraneos Maledici aut Maleuoli fuerint.

VIdetur ita esse Petro Valclusino Diatriba 7. & 8. Et quidem in Diatriba 7. de Mordacitate imputata nostris vix supersunt aliqua, quæ vlteriori egeant solutione; nam §. 116. Maledicentiæ accusatur Constantinus Caietanus (non certe noster) sed Abbas Benedictinus Congregationis Cassinensis, Fundator Collegij Gregoriani Romæ, recognitor editionis Operum D. Damiani, ne dum à Clemente VIII. & Paulo V. singulari diplomate laudatus, verum etiam à Baronio, Bellarmino, Posseuino, Suarez, Gretsero, Sygmundo

mundo & alijs, & tamen ab isto solo Valclusino dictus *Homo semisanus*: §. 117. maledicus denunciatur noster Spina Pisanus, qui solum mordacitates in D. Thomam retundit aliorum, neque vt supra diximus, sibi imputata verba in sibi imposita similiter præfatione habet. §. 118. de Cano, cum nihil hic in particulari subdatur, suis in speciali locis iam supra respondimus. §. 119. de Grauina, qui hic similiter in communi vix tangitur, occurremus in speciali inferiùs, vbi §. 141. remordebitur. §. 120. de Bzouio allata hic, superius singula præoccupata fuere. §. 121. 122. & 123. de Combefisio amarulento in quosdam (vtique quo ad Baronium ex integro non excusamus) etsi excusetur à Bail Parisiensi tomo 1. Conciliorum pag. 326. & iterum eiusdem Combefisij doctrina circa Honorium & Monothelitas in re ab eodem Parisiensi defensata legitur; tamen præter à nobis data responsa superius, quo ad reliqua ipsemet viuens ac videns hunc ipsum Diatribarum libellum, in suis successiuè operibus iam pro seipso respondit. §. 124. de imputata nostris editione libelli famosi inscripti, *Theatrum &c.* (vt iste solus vix suspicatur, ac dicit, & nihil probat) occurreret idem Augustinus pro nobis lib. 3. operis imperfecti in Iulianum cap. 29. dicens, *non ratiocinaris, sed conuitiaris, & calumniaris*, seu, vt præmiserat c. 20. *Vinceris quippe ab aduersarijs, quos habes, & vincendos proponis tibi, quos non habes*. Demum §. 125. de Ionio quodam, nouo anagrammate ludente in quoddam alterum Nierembergi Anagramma, cũ & ille nostris ignotus sit, & pueriles hæ tricæ sint, vel respondere nos pudet. Et tamen ex his ineluctabilibus adeo obiectionibus in fine huiusce septimæ Diatribæ concluditur, *Maledicentiam & acerbitatem Dominicanorum Scriptorum, in Authores omni laude superiores, liquere*, vt ipse solus auctor Diatribarum arbitratur.

Secundò in Diatriba 8. (dimissis tum §. 126. 127. 128. quibus quæstione prima huius libri respondimus, tum §. 129. de Eimerico, de quo egimus superiori mox ante quæstione) à §. 130. incipit addere aliquid, nouæ non incapax solutionis, nempe hoc §. 130. ipse supponit Franciscum Petrarcham ob Poæsim insimulatum Hæreseos ab Inquisitore Dominicano fuisse, & sequenti §. 131. Thomam Waldensem falsò accusatum à Cano, Petro simul & Dominico Soto, velut iniurium Ecclesiæ præsenti: de illo quidem id sibi probare videtur ex vno Hieronymo Squarciafico in Vita eiusdem Petrarchæ dicentis: *Fuit illa tempestate nomen poeticum ita inuisum, vt qui ea studia sequeretur, Magum, Sortilegum, & Hæreticum esse dicerent. Erat tunc hæreticæ prauitatis Inquisitor quidam Marcus Picenus de Solspedio oriundus. Frater rudis & omnium bonarum litterarum omnino expers, qui temerario ausu in nonnullos inijcere manus tentauit*: Contra quem subdit idem Historicus, *aliunde prouisum, Solspedium explosum, non tamen sine labore se purgasse Petrarcham*, opponens vero de suo supponit hunc Inquisitorem fuisse Dominicanum, eumq; deceptum à falsa Lectione Decreti Gelasij Papæ distinctione 15. vbi aliqui ab antiquo legerunt ea verba, *hæreticis versibus*, pro *heroicis*, vt legi debebat, contra quos ita male Poæsim habentes Apuleius repeteret Apologia 1. *An ideo Magus quia Poeta?* De Waldensi porro male habito à Cano, & duobus inde sequentibus, probat ex eodem Cano lib. 2. locorum cap. 7. vbi, vt obijciens loquitur, *Cano Waldensem notat iniuriæ erga præsentem Ecclesiam, quasi ei negauerit authoritatem definiendi suborientes de fide controuersias, deferens eam authoritatem fere Apostolorum ac posterorum Apostolicorum, Laicis*

non

non exclusis; cum tamen Thomas Waldensis à Martino V. *Ecclesiæ ensis* dictus sit, & cumulatus encomijs ab alijs.

Tertiò de Diuo Bernardino Senensi habet §. 132. & de Alphonso Tostato §. 133. Quo ad primum quidem *intelligi*, inquit, *ex Ænea Siluio* libro de viris illustribus, & subscribente Sancto Antonino 3. parte historiæ titulo 14. Cap. 5. §. 2. *cum* scilicet Bernardinum *delatum fuisse à Dominicanis ad Martinum V. tamquam hæreticum*, eo quod nomen Iesu radiatum in tabella proponeret adorandum &c. velut ea adoratio nominis depicti hanc imaginem cum diuina Eucharistia æquaret, vt illi criminabantur, inquit, & *Siluium addere Martinum V. vrgentibus Dominicanis principio prohibuisse vsum inductum à S. Bernardino*, licet ex actis eiusdem Sancti cap. 30. & quibusdam alijs, eo audito, Martinum V. priorem suam prohibitionem reuocasse concludat. Quo ad secundum vero ait, *Duce inter Dominicanos Fratre Ioanne de Turrecremata tunc in minoribus constituto, insimulatum esse Tostatum errorum, tricantibus Dominicanis circa voces, & salebras in plane quærentibus, ideoque Tostatum defensorium emisisse, quo aduersariorum conatus infregit, & honorem suum sartum tectumque seruauit, licet prius visus sit causa cadere ob negatam defensionis copiam &c.* vt colligi dicit tum ex eiusdem Defensorij præfatione, tum ex eiusdem Tostati libello subiuncto ad Eugenium IV.

Quartò de Ioanne Pico discurrit §. 134. & de Ludouico Viues §. 137. (omisso intermedio §. de Reuclino, de quo supra iam satis). Picum quidem fuisse exagitatum à Dominicanis satis haberi arbitratur ex Reuclino eodem lib. 1. de Arte Cabalistica pag. 758. attestante, *se nouisse Picum olim domo exulantem apud Gallos & Allobrogos, pulsumque Patria & fugatum accerrime ab inuidis quadam detestabili persecutione &c.* hosque eiusdem persecutores vocante, *candidos & atros, vnde Fratres atrati dicuntur*; cum tamen, inquit, pro Pico (falso deinde locato inter hæreticos ab hæretico Foxo) egerint creditus Alanus Copus Dialogo 6. cap. 27. & Bomfrerius in proloquijs ad Scripturam præfixis cap. 22. sect. 2. Quo ad Ludouicum autem Viues ait *Notatum esse, vrgentibus Dominicanis, quia in præfatione suorum Commentariorum in libros Augustini de Ciuitate Dei, titulo (de Veteribus interpretibus) minus honorifice loquutus fuerat de tribus Dominicanis, Fratre Thoma Vallois, & Nicolao Triueth, & Fratre Iacobo de Passauant, qui prius Commentarium scripserant in eosdem libros &c* neque permittit eundem Viues iure proscriptum esse ob laudatum ab eodem Erasmum hæreticũ, quia, inquit, eodem modo & Sancti Patres laudauerunt aliquos postea detectos hæreticos, vt Leo Papa Eutychem apud Facundum lib. 7. cap. 3. Zosimus Pelagium ac Cælestium, Paulinus Vigilantium in Epist. 1. Hieronymus eundem Vigilantium Epist. 13. Sanctus Maximus Pyrrhum, apud Photium codice 194, & demum Leo X. eundem Erasmum in Epist. qua, ob sibi dicatam paraphrasim in nouum testamentum, respondebat eidem.

Quintò demum in tribus alijs paragraphis subsequentibus agit de tribus alijs alieni instituti à nostro, nec tamen instituti semper commendabilis Societatis (vti nec vllus Societatis fuit ex prætactis hucusque). Primus est Ioannes Ferus Ordinis Minorum Concionator & Scriptor reprehensus erroris à Dominico Soto, & tamen in bonum sensum excusatus ac defensus à Michaele Medina eiusdem Ordinis Minorum. Secundus est Ferdinandus Mascharenas

scharenas pręsul Hyspanus carbone notatus in libello suo de auxilijs ob notatam ab ipso, inquit obijciens, Cabezudi petulcitatem. Tertius denique seù postremus est Aloysius Nouarinus Clericus Regularis, qui ob negatum etiam *debitum Originalis &c.* passus est à Dominicanis (*cum respondere non possunt, sic reagentibus*), inquir, suæ *Vmbra virginea* proscriptionem. *Hæc sunt* (vt ab initio prætexebat) *exempla insignium Virorum, quos Dominicani, quia secum non erant, pessime habuerunt*, tamquam videlicet, vt præfigebat in titulo, amari, mordaces, ac maleuoli in alienos.

In oppositum tamen est quod præter mox infra subdenda de singulis præallatis, aut verè non accusatis à nostris, aut iure etiam accusandis ab alijs, vlterius vitia eadem, quæ falso accusat in nostris, scilicet maleuolentia, ac mordacitas, reipsa in eodem accusatore in hoc ipso libello proscripto immani nimis vbique granditate turgescunt, dum immo ipse impudentissimis saltem aut conuitijs, aut etiam calumnijs inuehitur, tum integro libro in totum Prædicatorum Ordinem tam in communi quam in particulari, modo aduersus Generales eiusdem, modo Sacri Palatij Magistros, modo in Commissarios Sancti Officij in Vrbe, modo in Secretarios Congregationis Indicis, modo in Quæsitores fidei, modo in integram sacram Congregationem Cardinalium librorum examini Præsidentem; tum aduersus Sanctos eiusdem Ordinis Prædicatorum, §. 36. & 151. irridens dictum de Diuo Patriarcha Dominico, *habere eum manus oblongas, neminemque in eum impune peccare* §. 52. & alibi sæpe dehonestans *S. Thomam velut Dominicanis fatui amoris obiectum*, §. 59. & 102. hæreseos aut falsi notans D. Catharinæ Senensis reuelationes, §. 96. & 104. pro fabellis habens quædam miracula Beatorum Alberti Magni, ac Pij V. & §. 97. dicens nos venerari *Chimaras Sanctorum* seù §. 190. *Deum fabulosum*; tum (vt omittam tot alias subsannationes in nostros) mox ex Ordine Benedictino traducens §. 118 Abbatem Caietanum Constantinum velut *hominem semisanum*, mox ex Ordine S. Augustini Basilium Pontium, tamquam fallum accusatorem Doctrinæ Facundez, indeque ex liuore sectantem D. Thomæ doctrinam, §. 65, mox ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum vniuersim omnes veluti in vindictam sibi interdicti in Hyspania libelli, Pinedæ opera, Angelico eidem Præceptori adhærentes, §. 65. mox tandem (omissis cæteris) §. 94. prudentissimo Societatis Iesu Generali Præfecto *mollitudinem Vitelescam* improperans. Quid ergo mirum ab isto eodem dehonestari similiter nostros indiscriminatim, & appellari §. 21. *Rabbiosos*, §. 94. *Malignos*, §. 12. *Lanios*, §. 9. 31, 32. *Canes latrantes* §. 22. *Molossos efferatos* §. 131. *Harpyas rapaces* §. 143. *Ranas coaxantes &c. Nos oportet* (vt Augustinus concluderet lib. 2. in Iulianum operis imperfecti cap. 3.) *nos oportet cum talibus istius conuitia non solum patienter, verum etiam gratulanter audire. Sed ipse debuis in talibus lacerandis & humana erubescere, & diuina iudicia formidare.*

Respondeo non adeo acceptos futuros fuisse nostri Professores Ordinis Summis Ecclesiæ Pontificibus, Principibus Orthodoxis, populisque Christianis, si tam odioso in proximũ, vitio maledicentiæ, ac maleuolentiæ, dignoscendi facillime, & cauendi per consequens sorduissent. Testis enim ex aduerso omni exceptione superior adest pro ingenua nostrorum etiam in exteros indole, seu habitudine, Summus ipse Pontifex Alexander IV. in Bulla incipiente

incipiente, *Cælestis ille agricola &c.* de professoribus immo Ordinis Prædicatorum vniuersim hæc habens: *Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui sua sacra conuersatione suauiter redolent &c. hi sunt dilecti Deo & hominibus* (id quæso perpendas) *dilecti Deo & hominibus morum honestate conspicui &c.* Testes sunt à Diuo Patriarcha Dominico, qui fuit primus Apostolici Palatij Magister, tot in eodem munere succedētes nostri nunquam interrupta serie conspicui vsq; ad præsentem Reuerendissimum Ioannem Dominicum Puteobonellum à Sauona probissimum æque ac Sapientissimum Præsulē, post tot alios pro fidei Quæsitione labores, succedentem nunc merito post Eminentissimum Capisuccum, tot, inquam, conspicui viri, quos longo ac bene merito encomiorum syllabo nuper Magister Fontana in suo Theatro prosecutus est, quorumque duo Sanctorum albo adscripti, octo assumpti ad purpuram, totidem ad Magisterium Generale Ordinis, quinque ad Archiepiscopatus, duodecim ad Episcopatus euecti fuere. Testes non minus sine interruptione subsequentes nostri in Officio Commissarij Romanæ Generalis Inquisitionis, in gratiā tum D. Petri Martyris, qui ob idem Sanctum Inquisitionis officium sanguinem suum fudit, ac Martyrij laurea decoratus est, tum B. Pij V. qui eodem Commissarij munere functus Palatium S. Officij extruxit, & Congregationem Sancti Officij ampliauit. Testes & sacræ Indicis Congregationis Secretarij perenniter instituti è nostris, a Francisco Forerio Dominicano, qui institutæ ab initio eidem Congregationi in Secretarium designatus fuit. Testes tot extra Vrbem Sacrum Quæsitionis Tribunal laudabiliter moderantes, vere Domini Canes peruigiles, scilicet pro domesticis fidei adlatrantes alienos, dignique proinde (vt apposite Nazianzenus de Hierone dicebat) *Et etiam nomine Canis, quia fidei domesticos mulcent, externos vero latrando insectantur.* Testes tot alij è nostris Summorum Pontificum, ac Eminentissimorum Cardinalium administri, adeo vt possis vel ab hoc vno dignoscere reliquos, & è nostrorum vel Laicorum laudibus, Sacerdotum longe coniectare maiores, nempe ex Spondano testante cum alijs ad annum 1270 num. 1. *Gregorium X. primum fuisse, qui solemnem eleemosinam ordinauerit in Curia Romana, præfecisseque ei quendam Fratrem Conuersum Ordinis Prædicatorum, quem secum duxerat à partibus vltramarinis.* Testes (post administros Apostolicæ Sedis) tot alij nostri, qui Christianis Principibus aut Præceptores, aut à Consilijs, seu à Confessionibus adsuere, inter quos Didacus Deza præceptor Ioannis Principis vnici hæredis Regum Catholicorum, eiusque parentibus à Confessionibus & Cōsilijs adsistens, qui author eisdem fuit, vt aperiendo non tam ad Imperium propagandum quam ad Euangelij prædicationem nouo Orbi naues, milites, & commeatum Columbo suppeditarent. Inter octodecim nostros è solo Conuentu Camberacensi in Sabaudia assumptos Confessarios Ducum Sabaudiæ, & tres Principum Burgundiæ ac Belgij adnegotia etiam quæcumque grauissima adhibitos, Ioannes Porrens Episcopus Atrebatensis (ex tabulis Diuionensis Cameræ) electus fuit ad negotia maximi momenti tractanda inter Regem & Ducem, atque huius nomine Legatus in Angliam, ac subinde Constantiense Concilium adiuit. Regibus Hyspaniæ à Confessionibus iam diu numerabantur quadraginta septem, quos inter eminet sanctitate Raymundus, & expulsione Saracenorum ac Iudæorum clarescunt Ioannes Entrega,

Alphon-

Alphonsi XI. Confessarius, & Thomas à Turrecremata Confessarius Ferdinādi, & Isabellæ, ille, cuius opera expeditio in Saracenos suscepta fuit, ducentis millibus Maurorum occisis, iste, cuius Apostolico hortatu Iudæorum expulsio (licet decreta antea, sed fere suspensa) operi tandem mandata fuit. Regum Aragoniæ viginti, Lusitaniæ quatuordecim, Poloniæ viginti, Regum Galliæ sexdecim à Confessionibus recensentur; sicut non minus inter præceptores Principum celebrantur, post laudatum Didacum Deza datum Ioannis Principi, Bartholomæus à Martyribus adhibitus Antonio Ludouici infantis ex Lusitania vnigenito, & Bartholomæus Caranza Philippo II. Hyspaniarum Regi, alijque cæteris Hyspaniæ, Galliæque Regibus, vt excurrenti eorum historias, nostrosque Annales, à D. Raymundo Regis Aragonum Confessario ad Philippum IV. vsque postremo defunctum, pauci occursuri sint Principum, qui ad id muneris non sint vsi Dominicanis, quemadmodum Vincentius Tolesanus aiebat, præter clarescentes magis Gotophredum à Belloui su, & Conradum Germanum, illum S. Ludouici, hunc Diuæ Elisabethæ Hungariæ Regis filiæ Confessarios, præter Ioannem Claren Ludouico XII, & Gulielmum Minorem Episcopum Trecensem à Confessionibus adsistentes eidem Ludouico XII, eiusque successori ac genero Francisco, similiter Iuonem Episcopum Redonensem Annæ duorum Regum Caroli VIII. & Ludouici XII vxori, & postremæ ex Ducibus Britanniæ minoris filiæ, quem Gentiles Britanni votis colunt, laudatissimum vltro sapientia ac pietate Ioannem à S. Thoma Philippi IV. & pijssimum virum Dominicum à Rosano Reginæ Lusitaniæ Confessarios, quos ætas nostra encomijs amplissimis celebrauit. Nimis prolixus essem, si alios plurimos nominatim exscriberē, quos passim descriptos habes per singulas ætates quoadhanc rem in monumentis Dominicanis nuper à Fontana vulgatis. Taceo Vmbertum Principem Delphinatum, qui orbatus filijs nostrum Ordinem professus est, relicto sui principatus hærede, primogenito Regis Galliæ, ea lege, vt superstite parente, ante aditum Regnum, Delphini nomen & insignia ferret. Nil dico de tribus Summis Pontificibus, qui ex nostro Ordine assumpti fuere, eorūq; postremus, præter tot celeberrima gesta pro Principibus Christianis Orthodoxaque fide, iam Cœlitum numero adscriptus fuit. Prætereo tot excursa superius eiusdem Ordinis professorum encomia, idque vnum expostulo in præsenti à traducente nostros velut iam vulgo notæ malignitatis ac perfidiæ in alienos, an credi possit tot Ecclesiæ Pontifices, tot Eminentissimos Cardinales, tot Christiani nominis Reges, ac Principes, populosque, tot Magnates ac Proceres, omnes vno verbo Christianos, implanari veluti aut dementari potuisse per nostros, adeo vt homines tam malignos, tam infidos, improbosque, in tot rebus ac tantis adhibere, eisque præ reliquis fidere maluissent? Idne prudens aliquis vel seminsanus adminus (si permittatur vt arbiter) dicet fortasse, vel credet, id verisimile esse? Idne suadebit vt verum solus accusator hic noster, quod omnes Christiani Proceres reprobarunt, fermeque Christianus Orbis inuerisimile hactenus recognouit? *An ne* (hi cuncti dicerent cum Basilio lib. 1. in Eunomium) *an ne claudentes simul oculos, exterminata cuiuslibet sancti viri memoria, otiosam, atque omninò vacuam sophismatibus tuis mentem nostram supponemus? Magna profectò est potentia tua, si quæ multiplici artificio Diabo-*

lus assequutus non est, ea tibi solo imperio aderunt, amissa nimirum à nostris ea existimatione apud homines, quam tot suorum Sanctorum, ac Beatorum (quos per singulos anni dies Marchesius edisserat) gestis simul atque miraculis, tot administrorum Apostolicæ Sedis, tot Magistrorum, ac Confessariorum Regum ac Principum, tot cæterorum promotorum pietatis in populis, vel ringente Diabolo, per tot sæcula adepti fuerunt: *Magna* vtique, si id assequereris, *quod multiplici olim artificio* per fidei hostes *Diabolus assequutus non est, magna* (vt loquebatur Basilius) *sua potentia foret*. Sed præstat in speciali aliquid, tum de imputata mordacitate subiungere (qua Cano, Grauina, & huiusmodi aliqui in alios quosdam aberrantes à vero aliquando exarsisse culpantur) tum de sugillata austeritate in aliquibus nostris Quæsitoribus fidei, siue à Cornelio Agrippa, siue à Reuclino, & huiusmodi furfuris hominibus, atque ab eodem isto Diatribarum authore frequenter. Et quo ad primum quidem, non mordacitatem illam in opinantes, sed iustam in opiniones absonas seueritatem appellaret Gregorius Nazianzenus in simili de Basilio dicens oratione 20. *Quod si*, inquit, *minime facetus, ac scurrilis, & circumforaneus erat, nec, vt imperitæ multitudini gratus esset, omnia omnibus fiebat, & obsequebatur; Quid tum? Nonne laudem potius, quam reprehensionem, hoc nomine mereretur saltem apud mente præditos? Nisi quis leonem etiam accusandum putet, quod simiæ parem oculorum obtutum non habeat, sed toruum quiddam, & horrificum, ac Regium intuitu. Dura hæc, fateor, & austera videntur* (pergit Saluianus in opere ad Ecclesiam) *sed quid facimus? non licet rerum mutare naturas, & enunciari aliter veritas non potest, quam vis ipsa exigat veritatis: aut nihil ergo dicendum est, aut quidquid dictum fuerit, cuicumque supradictorum hominum displicebit*. Quo ad secundum vero responderet Cyprianus lib. de lapsis dicens: *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat. Vociferetur, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem*. Quod si qui iniustè (hoc non obstante) famosis libellis aliquos Quæsitores fidei dehonestarunt, longe sincerius, ac verius ipsi censuras à Quæsitoribus fidei pertulerunt, adeo vt possent huic rei accomodari verba Augustini Epist. 47. *Occiderunt*, inquit, *impij Prophetas, occiderunt & impios Prophetæ. Flagellauerunt Iudæi Christum, Iudæos flagellauit & Christus, traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines Sathanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causa, quis emendandi? Talibus enim impij instituti sunt disciplinis*. (sicuti & Hieronymus prosequebatur lib. 3. in Ruffinum) *vt quibus respondere non potuerint, caput auferre, aut linguam, quæ tacere non potest, secare vellent, magnopere gloriantes si faciant, quod scorpiones possunt facere, & cantharides. Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam discriminali acu confoderunt. Canes latrant pro Dominis suis, & hi non volunt nos latrare pro Christo*.

Ad primum igitur, præter mox dicta in communi de Cano, Grauina, & huiusmodi nostris, atque de singulis etiam in particulari superius; quo ad alia, quæ author diatribarum imponit, vt contra nos scribere prouocatus saltem à nostris antea videatur, quam apta venit huic loco responsio pro nobis ea Gregorij Nisseni ab initio libri de Trinitate dicentis; [Visi sunt mihi, qui nulla de causa, nulloque prætextu aduersus nos odium susceperunt, haud diuersum

suum facere ab eo, quod est in Æsopica fabula de lupo iniuste conquerente de agno &c. & dentibus superante, dum iure ab agno vinceretur. Itidem isti, qui odio nostri aliquam bonam rem expetiuerunt. Erubescentes enim fortasse, si absque causa odisse videantur, aduersus nos & crimina fingunt, nec in vllis suis dictis vsquequaque manent; sed nunc hoc, mox illud inimicitiatū aduersus nos causam esse dicunt, vt nunquam firmiter eorum malitia consistat: sed cum ab vno aliquo crimine repulsi fuerint, alteri adhærent, & ab illo rursus aliud arripiunt, & si omnia crimina dissoluta fuerint, odisse non desinunt.] Hæc ille, quæ fere habentur etiam apud Basilium epistola 80, & pro sequenti vlterius articulo (attento præsertim recenti opusculo Iusti Cami contra Papebrochium) obseruanda erunt, præcipuè ob istum authorem Diatribarum', qui hic criminatur hæc vitia in nostris vbique ipse debacchatus in omnes, vt ille ipse videri possit mimus, aut aulicus Michaelis Imperatoris descriptus à Niceta, & ex Niceta à Garassio Societatis scriptore libro 1. doctrinæ curiosæ sect. 1. dicente: *Theophilus quidam homo ridiculus & histrio &c. Heluo ita publice in Aula Regia, suis omnibus nefandis impuritatibus & scurrilitatibus Sacra Mysteria imitatione quadam deludendo repræsentabat, vt ne impijssimi quidem gentilium id agere ausi essent*: hæc ipse, quæ pro nostro subsannatore ne dum in cute, sed intus dignoscendo sufficerent.

Ad secundum de Francisco Petrarcha, neque Inquisitor ille Florentiæ (vbi vel post D. Petrum Martyrem Martyrio laurearum ad annum 1252, vel saltem Petrarchæ tempore obeuntis anno 1374, non nostri Ord. Prædicatorum, sed Minorum fidei Quæsitores fuere) neque, inquam, ille Inquisitor Florentiæ Salipodius Dominicanus esse probatur, neque ab illo scriptore vitæ Petrarchæ persecutores eiusdem alicubi Dominicani nominantur, neque demum immerito quandiù male apud aliquos audiuisse Petrarcham (& si in senectute ad meliorem frugem reductus esse laudetur, eumque excusare conetur noster Bzouius ad annum 1347) sunt sine dubio contestes, tum antiquus scriptor vitæ Petrarchæ apud Tomasinum *in Petrarcha rediuiuo* pag. 91. dicens: *Multos Potentes fuisse* (non ait religiosos vel Dominicanos) *qui quos esse poetas audirent, eos maleficos incantatores magicos esse putarent*, tum Beccadelus Archiepiscopus Ragusinus in vita eiusdem Petrarchæ apud eundem Thomasinum pag. 235. addens, *& inter cæteros quendam Cardinalem inussisse notam hæresis ipsi Petrarchæ eo quod Curiam Romanam vituperasset*; tum Spondanus ad annum 1362. num. 5. narrans etiam Magiæ insimulatum apud Innocentium VI, & ad annum 1374 num. 7. dicens vel ipsum tandem pænituisse minus castæ scriptionis suorum amorum in Lauram, & num. 4. male visum ab Aulicis & Curialibus ob suam cum Bocaccio tunc sibi amico consimilem mordacitatem, tum Possevinus in apparatu sacro, Verbo Petrarcha, non eximens libros amorum eiusdem à regula septima Indicis Romani prohibente libros lasciuos; tum ipse Gesnerus Hæreticus in Bibliotheca V. Franciscus Petrarcha, quo ad maledicentiam testatus eum emisisse *libros quatuor inuectiuarum in quendam Medicum*, & mox infra, in libro 6. Epistolarum Epistola 87 probauisse *auaritiam cæteris vitijs potiorem, & in Pontifices plurimum imperij habere*, præter alia, quæ ex eiusdem libro posthumo 21 epistolarum (nescio an suppositio) addit idem Gesnerus Petrarcham eundem *scripsisse aduersus Cardinales, Episcopos, to-*

tamque Curiam Auenionis &c. Non ergo Dominicani vnquam suspectam de se habuere possim, vti habitam ab Adriano VI. Ioannes Pierius Valerianus in Apologia opinabatur (vt refert & Aduersarius hic) nec rursus verum est Waldensi Canum (quem duo alij posteriores nostri secuti sunt) maligne aliquid imputasse, vt Canum ipsum legenti patebit eo ipso cap. 7. lib. 2. vbi non de definiendis controuersijs fidei vniuersim agebat (vt fingit objiciens) sed solum de approbandis seu recognoscendis Canonicis libris, an etiamnum Ecclesia id possit, si occurreret controuersia (vt contra hæreticos Lutheranos in Tridentina Synodo factum est) in quo quæsito negare olim visus est Waldensis id reuocans *ad seriem Patrum omnium & fidelium ab Apostolis succedentium*, cum Irenæo, Tertulliano, & quibusdam alijs, quos simul cum Waldensi Driedo secutus esse refertur, idque refellit Cano satis modeste (post probatam suam his oppositam conclusionem) dicens: *Qua in re mihi falsus videtur Thomas Waldensis. Etenim vt paulo ante indicauimus, aliud est quærere quid Ecclesia præsens definire possit &c. aliud quanam via & ratione:* Et quo adhoc secundum permittit attendendam vtique seriem Patrum & fidelium ab Apostolis succedentium, sed non adhuc quo ad omnem amplitudinem, quam exigebat Waldensis, scilicet *neque exclusis Laicis*, ideoque sic Cano modeste prosequitur: *Fallitur & in alia re, nisi fallor ego, Thomas Waldensis, cum asserit testimonium Laicorum fidelium etiam huc pertinere, sed ideo ad eos non esse opus recurrere, quia nescierunt, inquit, fidem suam congruis vocabulis atque ab omni intricatione liberis successorum propinare memorijs:* Id vero refellit Cano ex communi nunc Theologorum doctrina, aliqua nimirum superiora ac difficiliora mysteria fidei esse, quæ non tenentur explicite noscere omnes, sed maiores tantum &c. hæc in summa temperate satis noster Cano ibidem in sententiam illam, quæ postea in damnato libro Thomæ Albij Angli proscripta fuit; adeo vt nemo prudens stomachari non possit ea verba objicientis, ex placida adeo disputatione Cani in Waldensem, impudorate inferentis; *Waldensem, quia insignis sua ætate vir, fuit, Dominicanarum Harpyarum vngues effugere non debuiße. Immo in conuitiando* (vt cum Augustino ipsi loquamur lib. 4. in Iulianum cap. 129.) *in conuitiando, cui te dicam similem nisi tibi? qui* & monstra non semel (vt idem pergit lib. 4. operis imperfecti cap. 56.) *ad currum erroris tui homines, & asinos iungere non erubescis.*

Ad tertium de Diuo Bernardino & Alphonso Tostato, narrant quidem Æneas Siluius, & D. Antoninus historiam de D. Benardino eam proponente tabulam populo adorandam, ideoque denunciato apud Martinum V. sed neno ait à Dominicanis denunciatum esse, & neuter meminit reuocationis sententiæ primo à Martino latæ, quam vtique post Æneam Siluium sic D. Antoninus 3. p. historiæ tit. 22. cap. 7. eodem tempore viuens enarrat: *Martinus* (inquit) *Pontifex veritus ne ex ea nouitate aliquid superstitiosum, vel scandalosum in Ecclesia suscitaretur, ac maturo consilio sapientum, viro Dei ad se vocato mandauit talem tabulam deinceps non ostendendam populo, & ritum illum dimitti, quod vt filius obedientiæ humiliter adimpleuit.* Idem fere habet Spondanus ad annum 1419 num. 5. dicens, *ea nouitate sapientiores aliquos commotos &c.* & subiuncta eadem sententia Pontificis ac obedientia Sancti viri, sic limitate concludit: *Quamuis aliqui tradunt, illo aliquando concionante nomen Iesu ea forma, quam pingebat,*

Digitized by Google

bat, miro splendore coruscans supra illum apparuisse, iussumque à Pontifice esse non omnino à prædicta pictura abstinere, sed ei imaginem Crucifixi appingere: En non retractatum Vicarij Christi decretum, sed rem hoc nouo additamento mutatam, *vt aliqui tradunt*, sicut Spondanus aiebat. Immò ad annum postea 1438 num. 27 idem Spondanus subiungit ex actis Patritianis in Concilio Basileæ, *per hoc idem tempus deferente quodam Bartholomæo ex Ordine Eremitarum S. Augustini actum esse de cultu tabellæ Domini Iesu, quem F. Bernardinus Senensis, qui postea inter Sanctos relatus est, introduxerat; Et cum à multis cultus ille reprobaretur, Cardinalisque Arelatensis assereret fuisse eum Bernardino prohibitum per Martinum Papam, affirmatum est ab eo tempore Bernardinum abstinuisse &c.* hæc Spondanus cócludens inde rem in Concilio indiscussam fuisse dimissam. Vnde & hic vides alterius à nostro instituto hominem fuisse, qui eam rem Synodo iterum denunciarat, nec minus Odericus Rainaldus tom. 18. ad annum 1432. num. 24. agens de prima delatione eiusdem Bernardini apud Martinum Pontificem, ait: *id ipsi struxerat Michael causarum fidei in Romana Curia actor, qui perperam interpretatus nonnulla alia Bernardini gesta adductis aliquot falsis testibus, Ioannem tituli Sancti Sixti, Presbyterum Cardinalem excitarat, vt eum vocaret &c.* ex aduerso eodem tempore concionante in finibus Italiæ Diuo nostro Vincentio Ferrerio (qui postea in reuerentiam eiusdem in Italia pariter concionantis Diui Bernardini, Italia decessit) adstanteque in media turba Diuo Bernardino, sibi per faciem ignoto, prophetico Ferrerius abreptus spiritu, *Adest*, inquit, *huic concioni iunior quidam Diui Patris Francisci filius dignissimus, eum oportet crescere, me aut minui, & festinatis honoribus ante me eum Ecclesiam colec, cui iubet me Deus loco cedere, & Italiam relinquere illius exemplis, institutis, & concionibus excolendam*, sicut reipsa Bernardinum postea Eugenius IV, & Vincentium Ferrerium post Eugenium Calixtus Sanctorum albo adnumerarunt. Neque ergo à nostris D. Bernardinus Senensis exagitatus fuit. Bene Tostatum a Ioanne Turrecremata, non in minoribus quidem (vt hallucinatur obijciens) sed Cardinali iam existente Senis anno 1443 (cum antea anno 1439 nomine Eugenij Conuentui Bituricensi præsedisset) ab hoc, inquam, Cardinali nostro reprehensum fuisse & iure merito Tostatum in aliquibus proscriptis erroribus cócedemus, quemadmodum rem totam describit Spondanus ad annum 1443 num. 10. dicens: *Senis dum esset Eugenius Pontifex, Alphonsus Tostatus Hyspanus Madrigale in Vaccæis ortus posteaque Episcopus Abulensis &c. quem & interfuisse tradunt Concilio Basiliensi, ibique cum Ioanne Capreolo Tolosano Ordinis S. Dominici doctissimo Professore, & doctrina S. Thomæ egregio defensore disseruisse. Hic igitur tunc iunior nec dum Episcopus, Senis existens quando Eugenius aderat, Theses vnam & viginti sex intima Theologia depromptas, disputandas cum proposuisset, in ijs, locis aliquot, offendisse, Eugenius edito diplomate notauit: impugnauit dicato opere Ioannes de Turrecremata doctissimus ille Cardinalis Hyspanus ex Ordine Dominicanorum, de quo sæpe superius facta est mentio. Contra quæ respondens Tostatus Commentario, cui defensorio nomen dedit, in Pontificem etiam authoritatem inuectus, iniuriisque præstudio tuendi sua, apparuit*; & recitatis propositionibus, quæ notatæ fuerant, concludit Spondanus: *De quibus obtulit ipse schedulam, vt vocant, ipsi Summo Pontifici, quæ extat in fine primæ partis sui defensorij, qua quidem subijcit se determinationi Ecclesiæ & Pontificis, sed cum non obtinuit, quod petijt &c. non potuit adeo*

genio

genio imperare, vt non acerbius rem in Contradictores egerit: hucusque Spondanus; cui vt sequestratò ab omni partis affectu credendum est, inferendumque de isto laruato, ideoque nobis ignoto, sed proscripto Romæ scriptore, propterea nostri Professores Ordinis mox *Canes* modo *Molossos efferatos* appellante, sub ouinaque pelle charitatis in alios, in nostros mordacis calumniæ dentes exercenti, nō iniuria nunc repeti posse cum Augustino lib.2. in Petilianum cap. 73. *Ouina pellis est in Charitatis laudibus, Lupinus fructus in maledicis dentibus*: & cap. 77. *hoc est quod paulo ante dixi, pelle te Ouina contegi velle, vt si fieri potest, prius te Cuis mordentem sentiat, quam præsentiat venientem*: & cap. 78. *Quam eleganter sub pelle Ouina hæc de charitate dicuntur, vbi autem ventum fuerit ad examen, Lupini dentes operiri non possunt.*

Ad quartum de Ioanne Pico, & Ludouico Viues, vt incipiam à primo, iam supra vidimus Reuclino hosti Ecclesiæ, & nostrorum, neutiquam credendum esse, & hic præsertim, vbi Ioannes Franciscus Picus senioris Nepos in patrui vita pro nobis superabundans testis est (sicut & supra tetigimus) ne dum Picum seniorem addictissimum nostris (quos nullibi nominatim inculpat) pro Sauonarola nostro defensionem edidisse, verum etiam *Thomam Aquinatem, quando inter loquendum de Doctoribus mentio fieret, præ omnibus laudare consueuisse, &* (vt infra subdit) *Prædicatorum Ordini se addicere statuisse*, licet morte preuentus id non potuerit executioni mandare; proscriptionemque tredecim assertionum ex nongentis, quas Romæ iuuenis disputandas assumpserat, inquit idem Nepos, incæpisse *ab obtrectatorum simultate &c.* quæ in sæculo degenti inter æquales sibi Principes, longeque maiores, non decsse potuisse haud mirandum est; immo postquam editam ab eodem Apologiam pro tredecim suis notatis assertionibus Innocentius Octauus *de Consilio Cardinalium interdixerat, eundemque Picum in Galliis agentem ad Curiam postea citari mandauerat, cuius mandatis reuerenter acceptis ad Romanam Curiam regressurus iter arripuit, & cum in Italiam peruenisset, ex beneplacito eiusdem Innocentij in partibus Florentiæ substitit* (vt verbo ad verbum reddito legitur in diplomate Alexandri VI. impresso in fine Apologiæ eiusdem) post hæc inquam, Alexander VI. (vt habetur in eodem eiusdem Pontificis Breui ad eundem Picum ibidem) *tribus Cardinalibus specialiter commisit, vt adhibito secum dilecto filio Paulo Genuensi Theologia, ac Ordinis S. Dominici Professore, & Sacri Palatij Apostolici Magistro, se accurate informarent, sibique referrent*, an scilicet Picus in editione Apologiæ transgressus fuisset iuramentum à se antea Romæ præstitum, se assensurum & obtemperaturum cuicunque declarationi faciendæ ab Innocentio Octauo &c. super easdem suas assertiones &c. An porro meliori modo, quo potuit, ille noster Sacri Palatij Magister fauerit eidem Pico, in eodem Breui Alexandri VI. testatur euentus, dum idem Picus ibidem aut declaratus est extra excommunicationis pœnam, aut saltem ibidem legitur absolutus. Et nostri postea fuisse dicentur, qui maligne in Picum inuecti fuerint, eundemque in exilia amandari curarint? Vtique verum est perstitisse iustam semper in duobus Breuibus ab Innocentio Octauo repetitam earum tredecim assertionum, vt iacebant antea, proscriptionem, quod forsan hic video aliquos aut cum absolutione Pici ab excommunicatione confundere, aut re saltem minus inspecta præteriuisse. Eodem modo, immo potiori iure, iustissima fuit censura

Commen-

Commentariorum Ludouici Viues in libros Auguſtini de Ciuitate Dei, quæ non à noſtris hominibus certe, ſed prius à Louanienſibus, poſtea à Sede Apoſtolica, vel legenda in indice littera L, emanauit, quemadmodum ſarcaſmis ille inſectarus eſt, non ſolum duos noſtros antiquiores eorundem librorum interpretes Thomam Vallois & Nicolaum Treueth, verum etiam (vt loquitur quoque Geſnerus in Bibliotheca V. Ioannes Ludouicus Viues) *Iacobum Paſſauant Minoritam expoſitorem, & Franciſcum de Mayronie &c.* qui ex eodem Ordine Minorum erat; nec diffitetur ibidem Geſnerus, in præfatione eorundem Commentariorum à Viues ſcriptam fuiſse *prolixam Deſiderij Eraſmi collaudationem, qui & ipſum Viues & alios* (inquit) *ſibi ſocios acciuerat*, & quod peius eſt, quando à Viues hæc laus Eraſmi edita fuit anno 1522. (vti edita hoc anno hæc Commentaria teſtatur Geſnerus) iam Eraſmus Lutheri præcurſor deteẞus erat, deteƈto nimirum Luthero Hęreſiarcha ad annum 1516. vt habet Pallauicinus lib. 1. hiſtoriæ cap. 4, ſubiungens cap. 23. eundem petulantiſſimum Eraſmum iterum anno 1520. Coloniæ palam pro Luthero etiam Nuncio Apoſtolico reſtitiſſe: vnde res longe diuerſa fuit, vel de Leone X antea laudante Grammaticam ſiue eloquentiam (nec quidem doƈtrinam) Eraſmi non adhuc ſub cute cogniti, vel de alijs Patribus laruatos pro tunc hæreticos honorantibus, vbi Viues peſtilentiſſimum Eraſmum iam agnitum (ex prædduƈtis) hæreticum & exuberantibus linguæ præconijs, & aberrantibus animi ſenſibus proſecutus eſt, quemadmodum, omiſſis cæteris, è Societate Poſseuinus ſuperabunde teſtatur V. Aurelius Auguſtinus, notans Viues exceſſiſse, *ſiue in laudibus*, inquit, *quibus eo tempore videbatur Eraſmus extolli, ſiue in Commentarijs in libros de Ciuitate Dei; nam & propterea Theologi Louanienſes, præter prologos ipſius Viues, quibus quoſdam & antiquos Commentatores eorum librorum irridebat, & Eraſmum extollebat, ſuſtulerunt etiam quod lib. 1. cap. 21. adnotatione prima ſcriptum reliquerat, vbi redarguebat omne, quod contra Chriſtianos geritur Bellum. Et lib. 1. cap. 27. adnotatione prima, vbi aſserebat neminem olim ſacro Baptiſterio adnotum fuiſſe, niſi adulta iam ætate. Et lib. 16, cap. 34, vbi Hieronymum damnat, quaſi nuptias abominetur. Et cap. 22. vbi de Epiſt. B. Pauli ad Hebræos loquitur. Et lib. 15. cap. 22. adnotatione 9. quæ dicit de dileƈtione inimicorum, & vbi aiebat (ideo fruſtra mali ſacrificant). Præter alia pleraque, quæ conferentibus eadem Commentaria occurrent. Sanè item Ioannes à Louanio de cultu Sanƈtorum deprehendit, quod Viues inconſiderate lib. 8. cap. 27. de Ciuitate Dei ſcripſit (nullum videri ſibi diſcrimen inter quorundam opinionem de Sanƈtis, & Gentilium de ſuis Dijs). Sed & Nauarus initio libri de Regularibus, merito Viuem incuſat, quod in cap. 15. lib. 3. ſcribens, de Canonicis Regularibus loquatur impudentius*: haƈtenus Poſseuinus. Sed quid mirum ignotum nobis Diatribarum auƈtorem conqueri de huiuſmodi libro damnato Ludouici Viues, ſi & pro damnatiſſimo Reuclino cum Eraſmo præcurſore Lutheri §. 135. perorabat? *Similem* (diceret Hieronymus Epiſt. 45.) *ſimilem habent labra laƈtucam, Aſino carduos comedente: videlicet vt perforatam nauem debilis gubernator regat, & cæcus cæcos ducat in foueam, taliſque ſit Reƈtor, quales illi, qui reguntur.*

Ad quintum de Ioanne Fero, Ferdinando Maſcharena, & Aloyſio Nouarino, vt ab hoc vltimo initia deſumam, quænam in noſtros culpa regeri poteſt, ſi inter tot alia erudite conſcripta opera, in vno Nouarinus Opuſculo aliquid

non ita bene Romæ auditum offendit, ex quo (vel tacentibus nostris) opusculum illud à Sacra Indicis Congregatione (in qua soli Cardinales iudices sunt) interdictum fuit? Quid mali similiter in nostris fuit, si eodem modo Mascharenæ liber, nec impetrata edendi facultate, de re interdicta conscriptus, si non ob aliam causam censuræ in aduersos, ab eadem Sacra Congregatione proscriptus fuit? Quodnam tandem piaculum nostro Dominico Soto imputari potest, si iam in indice librorum prohibitorum iussu Sacri Tridentini Concilij collecto, ac euulgato, quasi omnia Ioannis Feri opera transfixa leguntur, vt obseruat etiam Posseuinus V. Ioannes Ferus, datque rationem Cornelius à Lapide immediate ante caput 1. Genesis; vnde & in eodem indice prohibitorum litera A. legitur interdicta *Apologia Fratris Michaelis Medinæ Belarensis aduersus Fratrem Dominicum Soto Segouiensem pro Fratre Ioanne Fero?* Nonne nos inde nunc possemus cum Augustino lib. 1. in Epist. Parmeniani cap. 6. concludere? *His omnibus consideratis, qui sine studio partium iudicat, eligat quibus credat, vtrum iudicibus sententias proferentibus, aut litigatoribus, contra quos prolatæ sunt, litem finire nolentibus?* Criminari ne temere præsumet hic auctor Diatribarum Censuram etiam Romanam iussu Summi Pontificis firmatam ac publicatam? *Ergo* (subiungeret hic quisque nostrum cum Hieronymo lib. 1. in Ruffinum) *Ergo & Epistolæ Papæ Theophili, & Epiphanij, & aliorum Episcoporum* (seù Cardinalium &c.) *me suggerente dictatæ sunt? Vt Romanæ Vrbis Pontifex miro eos* (scilicet libros) *odio detestaretur, meum consilium fuit? Vade potius Romam* (vt pergit idem Hieronymus lib. 3. in eundem) *& præsens apud eum expostula, cur tibi & absenti, & innocenti fecerit contumeliam &c. Sed non est leue, quod sibi impingit tantæ Vrbis Pontifex &c.* (& infra) *Papæ quoque Anastasij Epistolam similis dicis fraude subnixam, de qua tibi ante respondi*, & nos apposite supra lib. 1. quæst. 4. ar. 2. per totum, huiuscemodi refractariorum in Apostolicam Sedem querimonijs ex proposito respondebamus; quamquam vt Cyrillus aiebat lib. 1. contra Nestorium, *quia sæpe eadem inculcant verba, nos quoque, qui illis aduersamur, easdem repetere sententias necesse est, obsecroque date nobis veniam, qui non sponte ad verba eadem repetenda venimus, sed quocunque illorum verborum scopus pergit* (vt in fine huius libri continget) *ibidem illis occurrendum esse decreuimus.*

ARTICVLVS II.

An Dominicani agantur inuidia in meliores ex alieno instituto Doctores.

VIdetur ita esse eidem Petro Valelusino parte postrema Diatribæ 8. & ferme per totam Diatribam 9. vbi alia, quæ habet, vel quæst. 1. huius libri, vel lib. 1. quæst. 4. soluta sunt, aut nullas denuo obiectiones suppeditant, præter delaruatum tandem criminatoris intentum harpagandi ad suos tria illa, quæ, pro hucusque probato fideli ministerio in Apostolicam Sedem, nostri habent officia in Vrbe: præcipue tamen inuidos fuisse nostros in meliores Doctores alienos, id probare contendit sistendo in sapientissimo æque, atque sanctissimo instituto Societatis Iesu, nec condigne, vt merebatur, satis commendato ab eodem, nec simul vidente, dum integri Ordinis Prædicatorum effusi per Orbem mores iudicare præsumit ac sensus, sibimet posse cum

Augu-

Augustino reponi lib. 2. in Petilianum cap. 48. *ostende nobis tribunal, vbi sedisti, vt ante te staret Orbis terrarum, & quibus oculis, non dico conscientias omnium, sed vel actus inspexisti, & discussisti.* Præsumit attamen, hoc non obstante, id suadere, quod proposuerat, in ordine scilicet ad Societatem, aiendo, haberi ex Maffæo cap. 17. Vitæ S. Ignatij, hunc adhuc sæcularem pro Christo pauperem in Salmanticense S. Stephani Cœnobium, per speciem prandij allectum, post prandium à Priore varie circa exercitiorum librum (mox ante scriptum ab eodem D. Ignatio) percunctationibus agitatum, tentum per triduum, postea iussu Vicarij Episcopi abductum ad publicum carcerem &c. Agente ibidem (vt iste supponit) inuidia nostrorum &c. præter Canum degentem ibidem, ac margini eiusdem libri illinienrem aliquas notas in quasdam dubias eiusdem libri propositiones, antequam Romæ recognitus à Paulo III. approbaretur.

Secundò, de eodem Cano subiungit infra, haberi ex Nicolao Orlandino lib. 8. Societatis à num. 44. & lib. 13. num. 33, eum nedum antea degentem in Cœnobio Salmantino horrendam procellam in eiusdem instituti alumnos excitasse, verum etiam postea decidentem gratia Principis exarsisse in Araozium de sibi illato damno suspectum, indeque in omnes eiusdem Instituti personas obloquendo, probra offudisse &c, vt iste narrat, nec probat aliunde, & aliàs Canum (sicut & nostris temporibus præstitit Araucus) maluisse ad suos regredi, in claustroque mori, ostendit Altamura cùm alijs ad annum 1554.

Tertiò (inquit) Frater Dominicus Grauina negotium facescere adorsus Roberto Bellarmino eo quod in opere de gemitu Columbę scripsisset fontem vnum lacrymarum esse aliquorum Religiosorum Cœtuum laxatam disciplinam, eo rem deduxit, vt parum abfuerit quin liber proscriberetur, nisi (inquit obijciens) Franciscus Sfortia Cardinalis Capiferreus non leuia comminatus Grauinæ, effecisset, vt absisterent timore pœnæ, quos non refrænabat reuerentia iustitiæ. Sic iste obloquitur de Consiliarijs Romæ aut Romanis Censoribus recognoscendorum Librorum, vti & eodem §. non veretur supponere Sixtum V. fuisse deceptum in ferenda alia Censura in alterum eiusdem Bellarmini librum, post Sixti mortem à Sacra Congregatione reuocata, quæ siue Censura, siue inuerisimilis retractatio nobis penitus inaudita & ignota est; nec minus mira videntur & sunt, quæ addit sequenti §. de damnatione cuiusdam sententiæ Suarez circa absolutionem per litteras, (& repetita proscriptione interpretationis eiusdē) tamquam abrogata postea per Paulum V. in approbatione Ritualis Romani, *incolumi Suarez vniuersa doctrina manente*, inquit, *in Clementis potius ac Fratrum dehonestamentum &c*, adeò reuerenter hic habet Decreta Summi Pontificis Clementis Octaui; cum tamen huiusce historiæ series ac veritas, tum ex Auersa, tum ex Cardinali de Lugo, tum ex alijs iam supra in hoc libro quæst. 2. art. primo ad 2. à nobis recitata, ac probata sit.

Quartò, expostulat Maluendam nostrum in priori editione Operis sui de Antichristo in additione ad pag. 319. asseruisse, Martinum Delrium Magica impugnare quidem, at referre tamen, atque adeo docere, proindeque opus illud supprimendum esse; cui tamen Delrius respondit (vt obijciens loquitur) ex proposito in depulsione apologetica præfixa plerisque posterioribus edi-

tionibus suarum magicarum disquisitionum; incolumi integro remanente Delrij opere &c.

Quintò, reperit sæpè alibi dicta de imputata nostris exagitatione Lessij, & subsequente post ipsum exagitatione Molinæ, quos tamen exultat incolumes euasisse; ex aduerso iniuste agentibus nostris proscriptos Romæ fuisse conqueritur (distributis singillatim paragraphis) tum librum Philiberti Marchini de Bello Diuino (qui idem esse supponitur cum laruato hoc ipso auctore Diatribarum) tum Vincentij Caraffæ sub nomine Ludouici Syderei, tum Ios Rhò aduersus Constantinum Caietanum Abbatem, tum Ioannis Eusebij Nerembergij libellum de Vita D. Ignatij, tum Theophili Raynaudi (impugnati iam à Thoma Hurtado, non nostro, sed Clerico Regulari) libros aliquot sub suo nomine, præter alios sub nomine alieno (quorum priores ritè improbatos euincit Eminentiss. Capisucchus controu. 4. & 27. §. 9.) tum Baptistæ Pozæ codices omnes (vt in indice legitur) parumque abfuit, vt opinor vel suspicor, quin conquereretur etiam de damnatis putentissimis operibus, *de Republica*, editis à Marco Antonio de Dominis homine perditissimo, & huiusmodi furfuris alijs, quemadmodum pro damnatissimis Pozæ operibus perorare non timuit, inter cætera dicens, *Baptistam Pozam (velint nolint) Virum ingenio, ac Doctrina praecellentem fuisse*: Hæc ille, vt concludat ex his omnibus proinde nostros inuidia exarsisse in meliores Doctores aliorum, cuiusmodi sunt sine dubio laudatissimæ semper Societatis Scriptores.

In oppositum tamen est, quod contra accusatorem hunc nostrum (cuius institutum, vt sæpe monuimus, ignoramus) nostri possent ea sibi accomodare verba Basilij epist. 80. aientis: *Quemadmodum in Æsopica fabula Lupus culpas quasdam aduersus Agnum producit, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet, si prater iustam rationem interimat Agnum, à quo nihil sit læsus, & tamen, licet omnem, quæ ex aeernata calumnia intenditur, accusationem Agnus placidè diluat, nihilo magis Lupus ab impetu sibi temperat, sed etiam si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem superat. Ita & qui odio nostri, non secus atque rei honestæ student, turpe forsan putantes, si absque ratione nos odio prosequi videantur, causas odij contra nos, & crimina fingunt*: Hæc ille pro nobis. *Hinc* (vt pergit Hieronymus lib. 2. in Ruffinum) *puto, ais, quod omnes intelligant hac pro solo liuore culpari. Pro quo* (inquit) *liuore? num inuident eloquentiæ tuæ? aut fecisti quod nullus hominum vnquam facere potuit? Ecce & nos multa transtulimus* (seu nostri multa scripsere volumina, quæ in Bibliotheca Ambrosij Altamuræ nouissime describuntur) *& præter te, nemo nos inuidet, nec calumniatur. Vbi sunt igitur* (vt concludebat Chrysostomus exponens Epistolam ad Galatas 1.) *qui nos vt contentiosos damnant, eo quod cum heterodoxis habeamus dissidium, dictitantque nullum esse discrimen inter nos & ipsos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam?* (vt hic nobis imponit §. 160.) *Audiant quid dicat Paulus, nimirum illos subuertisse Euangelium, qui paululum quiddam rerum nouarum inuexerunt*: Hucusque Chrysostomus.

Respondeo in ea ipsa re Dominicani Ordinis Professores peculiares laudes promeruisse, beneficia conferendo in extraneos, in qua ab isto velut inuidentes alienis præsenti hoc loco iniustissime traducuntur. Neque etenim hic velim vel summis labijs attingere, aut quæ nullius emolumenti spe, bene magnorum aulicorum odiorum metu, scripserunt egeruntque pro Indiarum

incolis

incolis Bartholomæus de Las Casas, Victoria, & Bannes, aut quo ardore prosperoque euentú omni spe sua, & si valde magna, posthabita, duo Cardinales nostri ad supremam Petri Sedem duos alteros promouerunt, Cardinalis scilicet Latinus noster Cælestinum V. (ex Spondano ad annum 1294) & Cardinalis Caietanus Adrianum Sextum, ex Spondano eodem, Guicciardino, & alijs, aut quo studio Innocentius V. ex nostro Ordine assumptus, toto, & si breuissimo, paucorum mensium sui Pontificatus spatio laborauit pro componendis Venetos inter ac Genuenses dissidijs. Quos non sibi amore deuinxit similiter Benedictus XI? Quid B. Pius V, quid olim S. P. Dominicus, quid inde Diua Senensis, quid D. Ferrerius, quid alij tot Diui Dominicani, dum viuerent, quid Præsules, quid vno verbo Prædicatores in bonum publicum priuatumque proximi incessantes studio, indefessique laboribus non egerunt? Hæc omnia prudens libensque dimitto velut tangentia vniuersim, atque indiscriminatim fidelium populos, gentemque Christianam; atque ad aliena dumtaxat instituta Religionum distincta à nostra me confero, vt eisdem non inuidentes adhuc, sed verius beneficos nostros extitisse monstremus. Et sane quid debeat nostro D. Raymundo Ordo S. Mariæ de Mercede, testatur Clemens VIII. in Bulla Canonismi eiusdem Raymundi dicens, ab eo simul cum Iacobo Aragoniæ Rege *Ordinem fundatum, cui B. Raymundus certas viuendi leges præscripsit ad istius Ordinis vocationem accomodatissimas*. Quantum D. Petro Martyri Ordo Seruorum obæratus sit, quem pro eiusdem institutione egregiam nauasse operam (præter Benedictum XI nostrum, à quo aliqui confirmatum esse recensent) Annales eiusdem Religionis Centuria prima lib. 1. cap. 4. describunt. Quænam à Dominicani Ordinis Professoribus recognouerit Diua Teresia fundatrix Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, præter Bannesium nostrum Confessarium eiusdem, eadem Diua ipsa in suis scriptis testata est, fœnusque alumni laudatissimi eiusdem Angelico nostro præceptori rependunt. Nonne, vt Castillus enarrat p.p. historiæ lib. 2. cap. 25. Carmelitæ etiam Calceati ad annum 1250 ab Hugone Cardinali, & Gilelmo Antacanensi ex Ordine nostro assumptis, atque ad hoc authoritate Apostolica Innocentij IV. deputatis, præscriptas leges receperunt? Nonne simili delegatione Apostolica fungens Leonardus Marinus Archiepiscopus Laodiceæ, qui & Lanciani Archiepiscopus fuit, Constitutiones & Regulas R. R. P. P. Barnabitis instituit aut stabiliuit? Nonne iussu Sixti V. ad annum 1587. noster P. F. Timotheus Borthenus vir pietate ac doctrina insignis Religionem Siluestrinorum visitauit ac reformauit? Ipsamet Congregatio, quę Matris Dei appellatur, nostri Paulini Lucensis effigiem insigni hoc elogio decorat: *Paulinus*, inquit, *Bernardinus Prædicatorum Ordinis grande ornamentum, Congregationis nostræ nec dum effulgente spe eius condendæ, Leonardo author fuit; mox aggredientem consilio, manu, authoritate iuuit, rexit, confirmauit. Itaque Congregationem Bernardo, huic Leonardium debemus*. Pater Silo historiographus Patrum Theatinorum collaudat, tum Ioannem Petrum Caraffam, tum Beatum Caietanum Thienensem sui Ordinis institutores plerumque à nostris institutos esse, illum dum confugeret ad Dominicanos, istum, dum Dominicanum à Confessionibus retineret. D. Philippus Nerius Congregationis Oratorij fundator plerumque cum nostris in Cœnobio S. Mariæ super Mineruam Romæ versatus,

fatus, adeo D. Dominici alumnos pro suis habebat, vt non sit mirum exinde inter vtrosque adhuc arctam necessitudinem interesse. Ex Ordine Augustiniano Primarius Doctor, quem post D. Thomam professores illius instituti sequuntur, Aegidium dico Romanum, hic ipse (vt in processu Canonizationis S. Thomæ apud Bolandum cap. 9. deponit Iacobus de Viterbio ex eodem Ordine Archiepiscopus Neapolitanus) fatebatur suos recognoscere doctrinæ decus à nostro Ordine dicens: *Si Fratres Prædicatores voluissent, & non communicassent nobis scripta Fratris Thomæ de Aquino, ipsi fuissent scientes & intelligentes, nos idiotæ.* Quid de Canonicis Regularibus Congregationis S. Saluatoris Lateranensis? qui præter alia à Beato nostro Pio V. recognita beneficia, eiusdem nobiscum esse Angelici Præceptoris discipuli maluerunt, ex p. 2. cap. 11. de litterarum studijs. Quid de Gallicana Congregatione similiter Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, vel de altera Congregatione Patrum doctrinæ Christianæ, vel de Hieronymianis, & eiusmodi alijs accurrentibus ad hauriendam ex fonte Angelici præceptoris doctrinam, de quibus aut similibus aiebat antiquissimè Thocus in vita Thomæ Aquinatis, non eo tempore adhuc relati inter Sanctos, apud Bollandum cap. 3. *Sicut per Rebbecam deposita hydria seruo Abrahæ etiam Camelis potus tribuitur, sic per Thomæ scientiam, quasi hydriam cunctis fidelibus aqua diuinæ sapientiæ mira felicitate donatur.* Quid de Seraphico Minorum Ordine, quem ab indignatione Io: XXII. & ab imminente ruinæ periculo seruatum esse per nostros probat cum D. Antonino Fontana ad annum 1329? Quid denique de Sapientissima iuxta atque Sanctissima (quæ vna instar omnium satis esse) Societate Iesu, quæ præter communem sibi S. Thomæ doctrinam, tot olim à nostris in sui præsertim primordio beneficia recepisse editis suorum historicorum atque scriptorum tabulis confitetur? Ita etenim præter Diuum nostrum Vincentium Ferrerium (si Orlandino credimus lib. 2. num. 56) longe antea prædicentem cum encomio Societatem, etiam Matthæum Ori Dominicanum Quæsitorem Fidei Parisijs seruasse incolumen D. Patriarcham Ignatium à furore Auditorum Parisiensium, necnon in alijs Galliæ partibus vindicem extitisse honoris eiusdem, describit ipse Chronologus Societatis Orlandinus lib. 1. num. 70. & 98. atque in eiusdem Quæsitoris testimonio eundem S. Ignatium Salmanticæ, ac in alijs hispaniæ partibus se tutatum esse subiungit lib. 2. num. 31. Bartholomæum Caranzam nostrum Archiepiscopum Toletanum (quod infensissimus Societati antea præpediuerat Ioannes Seliceus Archiepiscopus prædecessor) primum curasse Toleti sedem eidem Societati firmandam, enarrat Sacchinus alter Societatis scriptor lib. 2. num. 139. Petrum Esquiuelium ex Ordine Prædicatorum Cæsar Augustæ Priorem Collegio ibidem Societatis erigendo & alendo aduersus oppugnatores quam plures, *in fautorum primis vel pietate animi, vel operis effectu fuisse*, inquit, ac enarratis plerisque beneficijs non sine ingenui gratique animi significatione collaudat mox ante laudatus Orlandinus lib. 11. num. 63. Nostros non minus, ne dum Romæ, Parisijs, Tolosę, & alibi passos esse Societatis domos suis propinquas extruere, abdicato iure, de quo alibi plures contentiosissime restiterunt, verum vltro liberaliter profuisse eisdem, inter cæteros, locaque cætera, testis est idem Orlandinus lib. 14. n. 42. dicens: *Viennæ in Austria diuersabantur nostri etiam tum apud Dominicanos Patres*

separata quadam Cœnobij parte. Valentiæ similiter inter plures alios Dominicanos, nostrum præsertim Ioannem Mico tunc Confessarium B. Francisci Borgiæ, simul & D. Ludouicum Bertrandum nostrum, tum in concionibus ad populos, tum in consilijs auxilijsque ferendis non exiguam pro enascente tunc Societate operam nauauisse cognoscit eximieque commendat idem scriptor Orlandinus lib. 14. num. 70. De Matthæo Lachi Dominicano Inquisitore fouente initia Collegij Perusini pro Societate, habet idem Orlandinus lib. 12. num. 16. De pluribus nostris Dominicanis positis inter erumnas Cæsaraugustæ ob societati præstita beneficia refert idem lib. 15. num. 66. De Dilinguana Accademia, & ab Othone Cardinali Augustano Collegio fundato non exigua nostri Petri de Soto opera, consulendus Sacchinus lib. 8. num. 110. De Collegio Societatis Bracharense exstructo ac locupletato munificentia nostri Bartholomæi à Martyribus Archiepiscopi ibidem, legendus omnino idem Societatis scriptor Sacchinus lib. 4. num. 150. De Ludouico nostro Granatensi, ne dum eximio scriptore, sed fautore præsertim Societatis, suadente etiam cum ingenti Societatis laude extructionem Collegij, quæ Cardinalis Henrici opera completa fuit, adiri potest prælaudatus Sacchinus lib. 11. num. 99. Quid de nostro Ioanne Penna Salmantino Doctore, quem, inquit Orlandinus lib. 8. num. 49, *acri studio diuini honoris ac sensu non dubitasse recentem Societatis Ordinem iniuria vexatum &c. scripto etiam litterisque defendere*, Quid de Mancio similiter nostro Complutensi professore, quem addit lib. 13. num. 38. *Permisso eius examini exercitiorum D. Ignatij volumine, eoque accurate perlecto, libera voce respondisse, se nihil in eo deprehendisse censoria nota, vel animaduersione dignum*. Quid de Francisco Romæo Generali Ordinis nostri (de quo Orlandinus lib. 8. num. 50) & de Comitissa Monaca Ordinis nostri Pimentelia, de qua idem Orlandinus eodem libro num. 53. Quid de Ægidio nostro Foscarario tunc Sacri Palatij Magistro, Episcopo postea Mutinensi, simul cum Cardinali nostro Toletano, quos ex diplomate Pauli III. approbasse prædictum exercitiorum librum habetur, & quem Mutinensem Episcopum iterum Societati beneficum recognoscit Orlandinus lib. 11. num. 38. Quid de Francisco de Victoria Præceptore Cani, *qui Victoria* (vt loquitur Orlandinus idem lib. 5. numero 59.) *simul & Alphonsus à Castro Patris Fabri Lutetiæ sibi iam ante noti Araezijque aduentum, non modo omni beneuolentiæ significatione complexi sunt, verum etiam Societatem ipsam adeo in vulgus commendarunt, vt Salmaticensium de ea vocanda consilium, ac voluntatem accenderint*, Quid de Thoma nostro Badia tunc Sacri Palatij Magistro postea Cardinali, quem suasisse Summo Pontifici approbandum eiusdem Societatis institutum, reluctante licet Cardinali Guidicionio, describit idem Orlandinus lib. 2. num. 84? Quid de B. Pio V. nostro adiudicante eiusdem Societatis Patribus (potius quam nostris) Pœnitentiariam (vt vocant) Maiorem Basilicæ Vaticanę Diui Petri in Vrbe? Quid de tot alijs non exigue de Societate benemeritis, quibus nec quidem ingrati animi specimen reddidere, præter sapientissimum Suarez non parum addictũ Angelico Præceptori, Henriquez vlterius, Ruvius, Maziota, Palumbus, Alamanius, Summæ philosophicæ author, & ex parte Granadus & alij. Quid plura tandem hinc inde colligimus? si (velit, nolit) & author iste Diatribarum postremo saltem veritate conuictus, tum S. 124. verba faciens de libello famoso

moso in Societatem emisso, & ipse fatetur, *Tapiam Illustrissimum Antistetem ex Ordine Prædicatorum in sedem Hispalensem aßumptum, tam acerbæ malignitatis perfecto odio motum Hispali publice per carnificem librum tam pestilentem subiecto igne consumpsisse*, tum §. 136. *Mancium professorem Complutensem Dominicanum, vrgente Ioanne Siliceo Archiepiscopo in Ignatium & suos malè affecto, quid de libro exercitiorum videretur, respondisse, omnia in eo sancta esse &c*, tum §. 158 & ipse collaudat pro Societate *flagrantia studia eiusdem instituti Dominicani virorum proborum & sapientia illustrium, vt Bartholomæi Torrensis, Bartholomæi de martyribus, Ludouici Granatensis, & Francisci Romæi Magistri Ordinis*, & aliorum. *Validis itaque absq; dubio nititur priuilegijs*, vt cum D. Eleutherio claudamus homilia 2. de Paschate, *qui causam de aduersarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem cartulis suis velut proprijs laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere*. Hactenus ille.

Ad primum igitur, actum esset de necessario adeo Sanctæ Inquisitionis officio ac tribunali, si pro dubio incidendi in malignitatis notam omitterent homines alioquin timorati denunciare, quæ norunt saltem ea notitia, qua norũt, aliqua suspecta de errore vel hæresi, vt trutinata ab illis, ad quos attinet, iudicentur. Non mirum propterea, vel sanctos pro examinanda qualitate spiritus, quo ipsi agerentur, in custodia aliquando pro tempore retentos esse, pro quorum examine etiam Grauina noster vtilissimum volumen edidit inscriptũ, *Lapidem Lydium complectentem Theoricam, & praxim ad directionem Confessariorũ & Qualificatorum Sanctæ Inquisitionis*, & præsertim pro praxi, in 2 p. operis distributa in duos libros, agit de *Criterijs ad eiusmodi reuelationes agnoscendas*. Non mirum proinde è nostris vnum aut alterum, dissentientibus & reliquis nostris (sicut ex dicto iam supra laudato Vrbani VIII, paratos etiam, vel supra reliquos, suæ vesti non parcere) *viros alioquin religiosos, ac timoratos*, vt vocat de hac ipsa re loquens Ribadeneira, de D. Ignatio sæculari adhuc vixque incipiente dignosci (post Complutensem carcerem) eo præsertim Lutheri tempore feracissimo hæresum, velut de ignoto homine, quędam sibi inspirata prodente (vt obijciens loquitur) *in primo pietatis tyrocinio rudi in speciem rerum theologicarum*; quæque, vt etiam Suarez tomo 4. de Religione fatetur, *aspera ac dura Theologis videbantur*, erroris aliquid saltem materialis primo intuitu suspicatos esse, hacque ratione in Cœnobio hospitem, nec quidem in carcere, habuisse, quo vsque Vicarius Episcopi, cuius id intererat, resciuisset, atque pro munere, vt præstitit, abduxisset. Quid culpæ, obsecro, si in hoc ipso sensu vel Canus noster tunc Salmanticæ degens cum Subpriore illo deceptus admittatur, eo sine dubio modo, quo Pius II, in Bulla retractationum, se in minoribus olim constitutum, dum Basileæ adesset, longe peiora de Eugenio IV. legitimo Vicario Christi suspicatum esse, immo & asseruisse, & evulgasse confessus est, & tamen aiebat: *Nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus; existimauimus bene agere, & recta incedere via, nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quam publica vtilitas, & amor veri*: hæc in Bulla Pius, præter D. Bernardum in simili non semel se excusantem, vt probat Bail tom. 2. pag. 563, iuxta quæ apposite præstat nunc audire Orlandinum præcipuum Societatis historicum lib. 1. narrantem idem D. Ignatij infortunium, nostrumque Salmantini Cœnobij Subpriorem (non Priorem, vt amplificando vocat obij-

ciens)

Digitized by Google

ciens) Canum proinde excusantem his verbis. *Compluti* (inquit num. 55) *in custodiam ducitur* (scilicet Patriarcha Sanctissimus Ignatius) *multosque habetur dies, causæ prorsus ignarus &c. duo de viginti ferme diebus exactis, accessit in carcerem Figueroa Vicarius &c. Tum pronunciata sententia est*, scilicet tum de primo capite circa quarundam nobilium fœminarum peregrinantium discessum, in quo *primo*, inquit, *declarabatur Ignatius omnino innocens*, tum circa secundum caput de exercitiorum libro, *Altero*, inquit, *de dogmatibus fidei quatuor annorum spatio, dum theologica interius nosset, disputare prohibebatur, postremo cæterorum more scholasticorum indui ipse & Socij iubebantur:* hæc ille, in quibus nec subobscure suspicatur quidem vel indicat nostrorum aliquem interuenisse. Inde num. 60, *Cæterum*, inquit, *altero illo præcepto, ne de fidei dogmatibus verba faceret, quanquam à quæstionibus sua sponte abstinebat, tamen in angustum se videns redactum, & innumeris propositum calumnijs, & prope omnino ab proximis iuvandis exclusum, migrare Salmanticam statuit, si Toletanus Archiepiscopus, cuius volebat stare sententiæ, id Consilium comprobaret &c. Verum nec Salmanticæ quies &c.* En, quæso, hic audiamus excusantem, & merito, tum ex prænarrata sententia post Complutensem carcerem, tum ex illorum conditione temporum, tum ex nostri institutione Ordinis, Salmantinam delationem ad Vicarium Episcopi. *Tum certe*, inquit, *erant tempora maxime periculosa, quæque ad custodiam intentissimam excitarent, cum Lutherus & aliæ furiæ, diuinas humanasque res in Germania permiscerent. Igitur vix inchoauerat Ignatius Salmanticæ consueta sibi pietatis officia, cum Subprioris (vt ipsi vocant) Dominicanorum pro eo Studio, quo Sanctus hic Ordo in religionis integritate tuenda eminet, delatione magis pia, quam necessaria* (sic ipse loquitur, neque tamen alicubi memorat in Cœnobio Salmantino detentum Ignatium) *datur in carcerem cum Callisto &c. Captis dein reliquis socijs, dum libellus exercitiorũ à doctis viris excutitur, Ignatius subtilissimis de religione quæstionibus, quibusdã etiam de Pontificio iure, præfatus se doctum non esse, & vbique paratum Sanctæ Ecclesiæ sequi responsa, tam apte, vere, proprieque respondit, iussusque demum eo modo, quo ad populum solebat, primum Decalogi explicare præceptum, tanta sapientia, & grauitate disseruit, vt Licentiatus Frias Vicarius aliique, qui aderant in Consilio* (en, non in Cœnobio Prædicatorum à Subpriore, sed à Vicario Episcopali interrogatum, ac retentum Ignatium) *non modo nihil haberent, quod reprehenderent, sed vehementer cuncta suspicerent &c.* Hæc Orlandinus, mox infra subiungens, præter tot alios nostros alibi nominatim laudatos ab eodem beneficos in Societatem, iterum lib. 8. num. 50. de commendato eiusdem Salmantini Cœnobij Patre Ioanne Penna Societati fauente, *nec modice*, inquit, *cæteri Patres vt veri Sancti Dominici filij per vnius inconsideratum zelum excitatam doluere flammam, ad eamque restinguendam, vt perpetui veritatis custodes, exarserunt.* Hæc tandem ille, quemadmodum re ipsa, præter ibidem recitatam Magistri nostri tunc Generalis Epistolam Apostolico zelo flagrantem pro Societate integro Ordini nostro anno 1548 Roma transmissam, repetitæ adhuc successu temporum pro sarta tectaque seruanda (quantum in nobis erat) antiqua eadem nostra in Societatem obseruantia Ordinationes Capitulorum Generalium editæ sunt, tum Valentiæ 1596 admonitione 4, tum Romæ 1644 Ordinatione 21. tum alibi aliàs.

Ad secundum etiamsi gratis admitteremus dicteria illa iniustissima in Societatem,

cietatem, quæ Salmanticæ, atque in alijs Hyspaniæ partibus fundebantur in vulgus, præter tot alios extraneos eosque quamplures Societatis obtrectatores, tunc Cano etiam ex parte saltem in pronunciatis oretenus (alioquin difficillimæ probationis) attributa vel imputata fuisse, vt Orlandinus fortasse tunc vulgi fama deceptus suspicatus est lib. 8. præsertim num. 46; Rogo adhuc forte non poterat & hæc vulgi fama falsa esse? non minus ac falsam fuisse demonstrat, & merito, aliam idem Orlandinus libr. 1. num. 56, *ingentem* (vt ipse loquitur) *toto Oppido Compluti rerum perturbationem, nobilium causa fœminarũ Matris & filiæ vtriusque Viduæ, quæ pietatis ergo peregrinationem in Bæticam, mendicantium genere itũ susceperant ad Oppidum Giennium, vbi sacrum Domini sudarium magna religione seruatur; Quæ improuisa, & inconsulta profectio, cum filiam præsertim, neque per ætatem, neque per speciem vagari deceret, & constaret Ignatij solitas institutionem sequi, & humana iudicia facillime se ad deteriorem partem acclinent, omnium fere animos contra innocentem Magistrum accendit.* An non similiter in solemni Apostolici Nuncij iudicio falsitas calumniæ constitit emissę Venetijs (vt idem loquitur Orlandinus lib. 1. num. 120.) *errasse Ignatium profugum toto Orbe terrarum statuamque eius veluti infamis, ac pestilentis heretici in Hyspanijs, & Gallijs concrematam?* An præter tot alia falsi rumoris exempla, non fatetur & idem Orlandinus longe alios distinctos à Cano adfuisse notissimos satores tunc diffamatiorum huiusmodi, incitante Diabolo, aduersus formidabilem eidem Sathanæ societatem? tum lib. 1. num. 59. habens de *homine nobili ex Lucerna reprehendente alterum, quod id hominum genus foueret*, scilicet societatem, præter blaspheme dictum in D. Ignatium iusta postmodum pœna mulctatum, tum num. 97. de Parisiensibus Auditoribus *libellum exercitiorum vna cum Authore in suspicionem heresis vocantibus*, tum lib. 2. num. 47. de *Augustino quodam Pedemontano ex Ermitarum disciplina se mentiente, re ipsa clandestinò Lutheri sectatore &c. Romæ conspiratione facta cum Petro de Castilla, Mudarra, & Barreria ficta crimina spargentibus in vulgus, Ignatium Sociosque probris omnibus notatissimos in Hyspania, Gallia, Venetijs, hæreseos, flagitijque conuictos, vim declinasse iudicij, & ad corrumpendam iuuentutem sanctitatis specie Romam denique perfugisse* (vt illi pessimi sycophantæ fingebant) tum lib. 5. num. 3. de *Gulielmo Pustello* Gallo prius in Societatem *ad tyrocinium admisso* posteà detecto hæretico & eiecto; tum lib. 6. num. 81. de *Clerico quodam amente, qui de Societate vulgo habitus magna cum offensione Matriti concionem aduocabat, & præpositus existimabatur &c.* & postmodum *foras egressus pugnis obuium quemque male multauit*, ex quo *sparsos temere ac catu Societatis sermones rumoresque compressit Araozius*; tum lib. 5. num. 54. de *alijs obtrectantibus facta patrum Societatis &c.* indeque Conimbriæ *Henrico Caraiuali eodemque supremo in hæreticos iudice mandante inquirere* in eosdem insontes Patres, & num. 62. de eisdem Patribus *Vallisoleti nuncupatis Ignatianis seù patria voce Inighistis*, quod accusator noster inique fingebat à nostro Cano Salmanticæ velut probrosum nomen impositum Societati, vt videas, quæ fides eidem accusatori habenda sit. Sic benè falsus impostor fuit, ex libro sexto eiusdem Orlandini num. 8. *Matthias cursorum magister Romæ Ignatium, & eius familiam carpens vbique & lacerans conuitijs, vellicans passim famam, & nouum Ordinem apud omnes in inuidiam vocans.* Sic oppugnator Societatis describitur lib. 8. num. 56. *Ioannes Silliceus archiepiscopus Toletanus se parum æquũ*

Societati prabens &c. & Casas quidam è Collegij Doctoribus Compluti inter aduersarios, & qui à Patribus Societatis abhorrebant, robusta in primis audaci e multa in ipsas quoque litteras Apostolicas, quibus & Societatis instituta, & D. Ignatij exercitia spiritualia probabantur, effundens &c. Sic ex lib. 9. num. 71. inde Compluto *odia hominum vagabantur impune per loca finitima, ut multi iam pro Societate loqui, cũ eaque congredi vix auderent*, & nominatim ad annum 10. vix enascentis Societatis, *Sacerdos quidam Ferdinandus Barasas nomine multa turpiter ac flagitiose patrauit &c. & unum aliquem de Societate sese populo venditabat*, postmodum, *cum ferro adoriens in itinere Villanouam* Societatis Præfectum *Madrito Complutum redeuntem*, ac inde tandem *ad Inquisitionis Toletanæ tribunal delatus &c. exoriente interim fama non modo Compluti verum etiam Matriti, totaque illa vicinitate, societatis hominem atrocia quædam ob crimina in custodiam Inquisitionis datum*; etsi eum tandem vere non fuisse è Societate in iudicio patefactum sit. Condolemus exinde & nos immeritum Societati infortunium, quod idem Orlandinus enarrat lib. 11. num. 7. *de prodito quodam hæretico, qui domesticos inter parietes Societatis latebat, à Philippo Melanchthone alioque hæreticorum Antesignano, eo Romam summissο, vtres societatis ac mores curiosis oculis exploraret, quique ad tyrocinium admissus &c. cœnaculo instruendo præpositus &c. tandem ad summum hæreticæ prauitatis Inquisitorem delatus &c. & comprehensus; in custodiam inclusus, cum postea suis se reus confessionibus indicasset, sententiamque mutasset, ne peccandi licentiam augeret impunitas, perpetuas ad triremes & probrosa transtra damnatus est*, anno scilicet 1551, duodecimo Societatis. Deploramus iterum, quod habet libr. eodem 11. n. 58. *de Toletano Antistite Ioanne Siliceo exardescente accerrime contra societatem*, inurenteque Anathematis pœnam, eo quod falso audiuisset *Societatem Complutum ingressam, in aliena Diœcesi cœpisse impune ad populum verba facere, passimque aures arbitratu suo confitentibus dare, profiterique se nemini nisi Romano Pontifici in agendis illis partibus esse subiectam; cuius concessu atque permissu ea sibi rite exequi apud omnes & vbique liceret. Quin ipsam in Vrbem Toleti velle quaque via irrumpere*, pro quo tamen legitimæ defensiones in Orlandino eodem consuli possunt. Nollemus vltro vel scriptum esse, quod scribit idem lib. 12. num. 52. de *Abbate Methymnæ* (vbi Collegium Societatis erigebatur) *Episcopi Vicario per Tabellionem edicente ne sacris confessionibus, concionibusue operam darent &c.* Pij Iiinu licet Societatis Patres, & quosdam eorum ad suum venientes conspectum *verbis contumeliosissimis latrones, seductores & id genus maledictis compluribus appellante, atque vt facta verbis accederent &c. dum exclamaret, pro eisdem diplomata esse eorum fallacias, ac scelera, vibratum per aera baculum, quem gerebat, in eos cum stomacho torquente &c.* licet postea fauente Deo atque sincerius veritate retecta resipuerit. Nec minus plangimus enatas turbas in Conimbricensi Collegio (quæ libro eodem 12. num. 59. ad annum 13. Societatis descriptæ leguntur) ob remotum inde Simonem, placidum antea Prouincialem, substitutumque Præfectum rigidiorem, Godinium cum Mirone altero Prouinciali, abeuntibus è Societate *tredecim è iunioribus*, indeque *Michaele Gommio, qui socius in Prouincia Simoni fuerat &c.* apud Lusitaniæ Regem ac Proceres *fictis criminationibus criminante Virum Sanctum Ignatium, eum ambitione ductum Neptem suam in matrimonio collocandam Ioanni Borgia curasse, quem Societatis edidisse iam vota Gomius affirmabat: Pecunias è Lusitana Prouincia, vt alijs Prouincijs consuleret, auertisse, qua*

in re, cum grauem Aduersarium Simonem haberet, eum à Prouinciæ gubernaculis deiecisse. Prouinciam ipsam spoliasse viris doctis & indigenis, auxisse rudibus & externis, qui Prouinciæ sumptibus & impendijs, litterarum se Doctrinis ornarent, semper videlicet reclamante Simone. Quibus mendacijs maleuolisque sermonibus adeo breui Regem, Proceresque nonnullos immutauit, & abalienauit Ignatio, vt putaretur vulgo Societas in Lusitania ad nihilum reditura. Quid vltro de *acerrimo interdicto Louaniensi* narrato lib. 13. num. 28. iniusto vtique in societatem? *ob libellum,* inquit, *in Vrbe nescio quæ vota & certas corporis verberationes continentem, auctoris incerti, qui liber, vt in eo noua & singularis quædam pietatis species apparebat, societati tribuebatur, & super ea re Louaniensis Accademia sæpe conuenit, multæque inde exstitere offensiones in populo, vbi præsertim emanauit, quasdam esse fœminas pias, quæ semel in hebdomada à Confessarijs pietatis gratia vapularent, nec falsa narrabantur;* sed falso in societatem detorquebantur, *quod Sacerdotes aliquot, talium Architecti ludibriorum, Iesuitæ & ipsi nominabantur.* Quid, cum eodem libro paulo post num. 34. verba fiunt de *Thoma Pedroccio exercitijs indicente bellum, & ex eo Libello* D. Ignatij, Toleti *multa quasi temere effutita colligente, alia, quæ piæ aures catholicæque respuerent, quædam etiam (si Deo placet) quæ per speciem continerent heresim, & digna essent censoria virga, & sacri animaduersione Iudicij, quæ omnia scripto comprehensa Siliceo Archiepiscopo Toletano (cuius erat è familia, & cuius vetus offensio, tamquam male curatum vlcus sub cicatrice viuebat) & sacris Quæsitoribus tradidit &c.* ad annum 1553, licet iam præcedenti anno 1552. Apostolico diplomate idem libellus approbatus esset, præter tres alios Hyspanos Doctores hac ipsa occasione eundem libellum suo etiam scripto probantes. Quid? cum prosequitur lib. 14. num. 11. de Iulio III. Summo Pontifice *grauiter commoto* ob responsum Caroli Imperatoris nolentis quoddam suum Imperiale Decretum suspendere aut temperare, [& quoniam Cæsaris ex Aula eius authores edicti Societaris referebantur homines, quorum consilio Principes Episcopique se regerent, in eam Iulio acriter exardescente, ab eaque adeo repente abalienato, vt societatis Patres omnes tamquam Publicani, Samaritanique ab eius adibus arcerentur &c.] licet mirabiliter postea D. Ignatij accessu in pristinam beneuolentiam reflexus sit. Infeliciora exinde euentu hoc, ex falsis vulgi rumoribus enata sunt, quæ narrat eodem lib. 14. Orlandinus num. 49. de [Roberto Croio Cameracensi Antistite per litteras suis ministris edicente, ne quemquam de societate permitterent in sua Diœcesi concionem aduocare, quod si quem eiusmodi nacti essent, carcere coercerent,] non minus ac Parisijs Antistes eidem societati vehementissime reluctatus sit, ex numero subsequenti 51. Ex falsis similiter rumoribus & ille fuit, qui, vt loquitur lib. eodem 14. num. 77. [rumor tota Diœcesi Conchensi manauit, vnum è societate cum muliere deprehensum multis plagis impositis fuisse necatum,] cum reipsa Sacerdos, non Societatis, [domi à Ciue in flagitio deprehensus, elapsus è manibus saucius, ad Patres Societatis forte obuios cruentatusque confugisset, postea deportatus ad Matrem, nec tam subito ex acceptis vulneribus interiens, vt ex agnito patesceret veritas, erroremque plerique deponerent.] Ex falsis vulgi rumoribus fuit sine dubio & illud (ex lib. 15. num. 28.) *decretum Neoruagēse* post possessiones legatas societati ab amita Petri Canisij, & Theodorici Fratris, iubente Senatu Patres Societatis [vrbe facescere &c. & causas

fas

fas scripto proferente, quod sub noctem vrbem iniuissent, quod priuatos quosdam occultosq; conuentus Leonardus egisset, quod excitasset tumultum &c. nempe his fictis criminationibus, varijsque modis commoto senatu in societatem per Primarios, qui conscientia praui dogmatis aduersariam sibi societatem fore intelligebant.] Ex falsis demum eisdem vulgi rumoribus erupit, quod legitur lib. eodem 15. num. 66. de societatis [Patribus Cæsaraugustanis excommunicatis per Lopum Marchum Abbatem Viruelæ Archiepiscopi Vicarium Generalem, eo re progrediente, vt publica cęrimonia societas probroso notata sit Anathemate, diris, maledictisque confixa, horrendis carminibus, & execrationibus proclamata, faces in eam accensæ restinctæ, dirarumque plenus Psalmus Dauidicus centesimus octavus funestissima modulatione cantatus. Denique nihil prætermissum, quod in impios, & facinorosos, ac detestabiles Ecclesiæ filios inimicosque Dei fieri consueuit,] vt deplorabile sane sit vel audire vel legere, quæ in tam benemeritos de Ecclesia Patres facta vulgataque ac iactata per vulgus, immerito, subiunguntur ibidem; libensque idcirco dimittam ipse, quod libro eodem num. 45, post tot alias perlatas patienter Parisijs vexationes, exscribitur iniuriū nimis, à male instructa, ac commota Parisiensi Vniuersitate emanatum, Decretum in hæc verba: [Hæc noua societas insolitam nominis Iesu appellationem peculiariter sibi vendicans, tam licenter, & sine delectu quaslibet personas quantumlibet facinorosas, illegitimas, & infames admittens,] & cætera ibidem probra in sanctissimam societatem eandem, quæ vel exscribere (vt ille præstitit cum iusta tamen responsione) dolet simul ac pudet: & tamen hæc omnia sunt, quæ habet nobilis societatis scriptor Orlandinus in parte prima Historiæ societatis desinente in annum dumtaxat decimum septimum eiusdem, quæ nos ea tantumodo ratione in compendio retulimus, vt auctori Diatribarum appareret, tam multos nascentis, vel adolētis tantumodo societatis hostes tunc agnitos manifeste fuisse, atque tot alios iniuriosæ eidem rumores effusos fuisse de falsitate conuictos, vt neque prudentium hominum fuisse videatur, ex Ordine nostro, qui tot (vt iam vidimus) præstitit Viros eadem ætate eidem societati beneficos, vnum postea Melchiorem Canum habere suspectum, & vt rursus non inuerisimile demonstraretur (si hæc de Cano diffamatio ab aliquo effusa fuisset) eiusdem suspicionis rumorem falsum similiter (vt de cæteris visum est) eodem plane modo fuisse, & conuinci facillime potuisse; neque proinde debuisse hunc Auctorem Diatribarum (ex hac vna, vt video, sic inuerisimili suspicione) tot vicibus dilaniare *aureum opus* eiusdem Cani de locis theologicis, quod hoc eodem nomine Eminentissimus Pallauicinus appellat lib. 22. Historiæ Tridentini cap. 1, 10, & alibi sæpe, laudantque eximiæ Eisingerius, Boetius Epo, Posseuinus, Nicolaus, Miræus & alij apud Altamuram in Bibliotheca ad annum 1554, illudque (post Cani mortem) primum emitti Ferdinandus de Valdes Hispalensis Archiepiscopus, & Hyspaniarum Generalis Inquisitor ingenti cum litterarij Orbis applausu procurauit.

Ad tertium, tum de libro priori Cardinalis Bellarmini inscripto, *Gemitus Columbæ*, tum de secundo Grauinæ non immodeste conscripto, *Vox Turturis*, cum de tertio Anonymi cuiusdam alterius longe acrioris pro Bellarmino,

Cauea Turturis, tum demum de quarto Apologetico Grauinæ, *Congeminata ex Turturis*, nostri non est, sed Lectorum, quibus presto sunt, iudicare. Iam enim nostri Grauinæ liber vterque *etatem habet, ipseque loquatur*. Omittam propterea vel retorquere in hunc eundem Diatribarum auctorem, quod ipse S. 122. cum D. Hieronymo lib. 1. in Iouinianum aiebat: *commissa pugna omittuntur nomina dignitatum, sola fortitudo quæritur*. Omittam Anonymum saltem Vindicianum Bellarmini in sua ea excusatione videri pro reprehensione depictum illis à D. Bernardo coloribus in Cantica sermone 14. *Videas* (inquit) *præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangendi, egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quam malitiose proferri*. Omitto Grauinam nostrum suam econtra responsionem, immo Religionum omnium defensionẽm, excusabilem reddidisse illis D. Hieronymi verbis lib. 1. in Ruffinum: *Constat apud te quod accusaueris? non indignaberis, quod responderim. Esto: tu bono animo scripseris, & homo innocens, & amicus fidissimus, de cuius nunquam egressum est ore mendacium, me* (seu omnium Religionum cœtus) *vulneraueris: quid ad me, qui percussus sum? num idcirco curari non debeo, quia tu me bono animo vulnerasti? Confossus iaceo: stridet vulnus in pectore: candida prius, sanguine membra turpantur, & tu mihi dicis: Noli manum adhibere vulneri, ne ego te videar vulnerasse?* Hæc ipse Hieronymus. Omitto præterea, quæ in secundo præsertim Grauinæ Opusculo apologetico superabunde sunt obuia, vnumque pro nostro hic instituto, ex eadem Grauinæ lucubratione deduco, si pleraque alia argumenta deessent, pro auertenda à nostris inuidiæ calumnia in extraneos, hoc geminatum Opusculum Grauinæ sufficere, in defensionem editum omnium institutorum aliorum, inscriptum *de Florenti vsque ad nostra tempora S.S. Benedicti, Francisci, & aliarum sacrarum Religionum statu*, vt diffusas earundem omnium Religionum laudes ibidem percurrenti patebit, absque detrimento tamen decoris illius instituti, pro cuius præsertim laudibus Bellarminus in suo opusculo perorabat, pro quo etiam editæ Bullæ à Gregorio XIII. non repugnare doctrinam S. Thomæ, immo illibatam adhuc in omnibus permanere, nouissime monent, & robustissime probant Sapientissimi Patres Carmelitæ Excalceati Salmanticenses in suo tom. 8. Theologici cursus tract. 20. de statu Religioso disp. 1. dub. 7. fermè per totum, præsertim vero à nu. 117. omnino legendi, vti & dubio 6. plura habent, de quibus nos supra lib. 2. q. 4. art. 1. ad argumenta ibidem recitata ac soluta similiter dicebamus.

Ad quartum de Disquisitionibus magicis Martini Delrij, cum iam supra viderimus lib. 1. quæst. 2. ar. 4. per totum, priuato Doctori licere priuatum suum ferre iudicium (vt passim fit in editis libris) de alterius scripto Doctoris, cur hoc modo non licuit eruditissimo Maluendæ nostro minus probare (non quidem ex integro Delrij opus) sed solum hinc inde collectas, vulgatoque libro descriptas à Martino eodem, non ita probe fortasse à pijs, honestisque auribus accipiendas, Sagarum Incantationes, Spurcitias, Blasphemias, Meretricias saltationes, totiusque lasciuiæ fœdos apparatus? An non similiter excusationem Christianorum artificum formantium imagines, aut simulacra Deorum Gentilium, licet spernendorum ab ipsis, referebat, ac refelle-

Digitized by Google

bat Tertullianus in libro de Idololatria dicens: *Facio, ait quidam, sed non colo. Immo tu colis, qui facis vt coli possint.* An non reprehensi leguntur, tum apud Senecam Epist. 160. Fabiani Papirij libri, *quod non satis aspere contra vitia dicerent, contra pericula animose*, tum Seneca ipse apud Erasmum, *quod nimis accurate vitia describeret, quæ arguebat, vt videatur illa potius docere, quam execrari?* An non fatetur vel iste Diatribarum Auctor hoc eodem loco (quod sane longe maius est, nec ipsi probamus) *quosdam etiam Hoplothecam Bellarminianam appetisse dicentes, adduci quidem à Bellarmino argumenta hæreticorum, vt refellantur, sed tamen adduci, & improuidos posse eorum Lectione irretiri*, quemadmodum reipsa dixisse, immo & addidisse refertur Cardinalis Perronius apud Cardinalem Bentiuolium in libro inscripto, *Memoriæ* pag. 100. (licet nec id ipsi probemus) *quod argumentis hinc inde collectis debiliores solutiones videri possint.* An id saltem timeri non poterat, ne de accuratè descriptis à Martino Delrio, minusque vehementer explosis, magicis rebus seu præstigijs, ne, inquam, ab impijs aut hæreticis repeteretur, quod de congestis olim à Crysippo Stoico singulis contra Stoicos argumentis, vt ea dissolueret, concludebat Cicero 4. Accademicarum his verbis? *Habemus*, inquit, *Crysippum, qui fulcire putatur Porticum Stoicorum. Quam multa, contra omnia, quæ in consuetudine Stoicorum probantur, dissoluit? Idem mihi quidem non videtur: Sed dissoluerit sane; certe tam multa non collegisset, quæ nos fallerent probabilitate magna, nisi videret, ijs resisti non facile posse.* Cur ergo culpandus in hoc ipso Maluenda (licet nec nos Delrij laborem reprobemus) si quod tot cæteri timuerunt, aut culpauerunt in alijs sine dubio maioribus, minus ipse similiter hac ratione in Delrij opere comprobauit?

Ad quintum tandem, etiamsi admitteremus, quæ de vexatione Molinæ opponuntur, adesset adhuc responsurus pro nobis è Societate Baieza libr. 15. cap. 20. num. 7. dicens: *Laudo in hoc maxime Sacrum Ordinem Societatis Iesu, qui pro fide ab incunabulis stetit, & nullam aduersariam fidei Doctrinam non notauit, non confutauit, non scriptis libris confecit. Laudo etiam Sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, vbi Ludouici Molinæ concordiam de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Iudicem Pontificem detulit, et vel suspecta comata asterisco notans, coram tanto Iudice alacriter pro fide pugnauit.* Verum cum libri Molinæ discussionem præcesserit in eadem re & doctrina vexatio Lessij, præ opere præstat demonstrare non nostros, sed à nostris alienos priores fuisse, qui eandem causam promouerunt, idque non aliunde, quam ex vulgata imagine primi sæculi Societatis Iesu à Prouincia Flandro Belgica descripta lib. 6. cap. 4. §. *aduersantium nobis* (vti etiam Paulus Hibernus siue Sherlogus p. 3. Responsionum sect. 9. transcribit). *Et impugnata quidem* (inquit) [doctrinæ turbo Louanij sustinendus fuit, anno sesquimillesimo quingentesimo octogesimo septimo, cum Louanij Sacræ Theologiæ dogmata Lessius, Hameliusque traderent &c. Causa tempestatis fuit. Primi nominis & authoritatis Doctor Theologus &c. quam ipse notam contraxerat, visus est immerenti Lessio inurere voluisse, & conantem illum doctissimus quisque facultatis theologicæ, tanquam communem iniuriam vlturus, adiuuabat. Ergo quæ docuerat Lessius de Prædestinatione electioneque ad gloriam, de diuinorum auxiliorum vi & efficacitate, de gubernantis Dei prouidentia, sedulo conquisitas vnam & triginta assertiones, nec sane intellectas nec fideliter excerptas, inaudita parte, da-

mnant.

mnant. Volitabat per omnium manus à tantis viris scripta societatis infamia, & iam Louaniensi Accademiæ Duacena tanquam matri filia subscribebat &c. Interea aduersarijs nostris dedecus indesinenter vrgentibus, maiorum Episcoporum pars, & quædam Collegia Canonicorum geminis duarum Accademiarum censuris calculum adiecerunt. Mechliniensis vero, ac Cameracensis Metropolitæ Synodum parabant Episcoporum, qui dogmata nostra à duabus facultatibus damnata discuterent, eademque toto proscriberent Belgio tanquam Massiliensium, aut Pelagij reliquias.] Hæc ibi, tempore Sixti V, vt subiungitur ibidem, longe antea, quam liber Molinæ sub Clemente VIII. discuteretur, proinde splendidius luce clarescit, non à nostris, sed exteris litem excitatam esse; & alioquin quomodo Molinæ res cesserit, tum ex editis extraneorum scriptis, tum ex nuper reimpressa ex integro eiusdē rei historia apud Bail Parisiensem tomo 2. Conciliorum pag. 806. tum ex castigato In secunda editione tomo Molinæ (vel nobis tacentibus) vulgo iam notum est. Porro de alijs, quæ subijciuntur, Romæ à Sacra Congregatione editis proscriptorum librorum censuris, dum author diatribarum, ignoti nobis instituti, temere hoc loco conqueritur, & hic hæreticos imitatur criminantes inique Apostolicā Sedem, velut se abduci ab æmulorum insusurratione sinentem (quemadmodum in Hieronymo contra Ruffinum, Augustino contra Donatistas & Pelagianos, & in alijs Patribus contra hæreticos similes querimoniæ referuntur, & reprobatæ leguntur) & minimum rursus abest, quin iste nobis imponat illud, quod imponebant antiquitus Ethnici Osores Ecclesiæ Christianæ apud Tertullianum in Apologetico cap. 40. *Prætexentes* (inquit) [ad odij defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incomodi, nos Christianos in causa esse. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Tantos ad vnum?] Tot in vnum Religionis nostræ pro Apostolica Sede fidissimæ cœtum: At, obclangant licet, vt idem Tertullianus addebat, [Benedictio est nominis maledictio custoditæ disciplinæ. Euadimus cum abducimur, obtinemus cum expellimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.] Sic & olim (cum maiori nostrorum laude) debacchabatur in nostros Romæ velut Consiliarios Papæ, Lutherus dicens (vt refert Cochleus in actis contra Lutherum ad annum 1518) *Leonem X. habuisse Siluestrum Prieratem Sacri Palatij Magistrum, à quo se regi permitteret*. Sic & Erasmus in fine tomi 9. repetebat: *Sunt*, inquit, *ibi, qui flagrant impotenti odio mei, sunt qui priuato feruore adsunt, cæteri vel conniuent vel subducunt se etc.* idque rursus in apologia quadam pro Luthero subdebat, vt refert Pallauicinus lib. 1. historiæ cap. 23, *Lutherum damnatum fuisse à Pontifice ob artem et impetum æmulorum*. Sic & Marcus Antonius de Dominis impijssimus hæresiarcha lib. 7. de Republica cap. 7. easdem censuras subterfugere conabatur dicens, [Eas & iudicium librorū totum ad nescio quod Tribunal Inquisitionis, ac præsertim Romanæ, reductum esse, in quo absque discussione, nulla petita, nulla reddita ratione, non auditis authoribus ipsorum libri damnantur ex humanis duntaxat consilijs.] Sic & pertinacissimus Elucidarij Author vniuersis cum suis libris proscriptus in apologia prima cap. 12. causabatur *Accusatores sui operis potentissimos fuisse hostes etc.* Sic de-

rum & ignotus hic author diatribarum impudentius cæteris forsan, ac pro eisdem in fine concludit: *Existit*, inquit, *perpetuarum expostulationum argumentum, quod euanesceret, si maculæ, quibus doctrina libri proscripti respersa est, panderentur &c. ablegetur itaque ignorantiæ vel malignitatis asilum &c. Id si negetur, Mundus vniuersus non obruuit; totus, inquam, Mundus non est bestia. Sunt extra Romam quoque & Italiam Doctores, qui discußo accuratè libro damnato, de præcipitibus aut ex affectu incondito latis sententijs sententiam ferant. Et inuenientur etiam, qui non extimescant dicere, quid liceat facere &c.* O temeritatem! O voces ab impio (ne dicam Athæo aut hæterodoxo) corde ructatas! *O præcidendam linguam à medicis* !diceret in præsenti Hieronymus Epistola 53. *O insanum curandum caput, vt qui loqui nesciebat, didicisset aliquando tacere!* nonne repeteret Augustinus lib. 3. operis imperfecti in Iulianum cap 44? *Dic, ista, doce ista: audiant te Christiani viri, & fœminæ, audiant immo homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Audiant te, ament te, honorent te, pascant, vestiant, ornent te, & perditum te sequendo perdant se.* Quid mirum inde eo impudentiam eiusdem progressam esse, vt in his ipsis paragraphis adiungere non formidarit, non erubuerit, Censuras aliquas effictas fuisse à nostris, alias inaudita parte editas antea, fuisse postmodum retractatas in *Pontificum dehonestamẽtum, ac Fratrum seu ministrorum*, adiunctis etiam commentitijs Antistitum non superstitum amplius erga damnatos libros encomijs? Quid mirum? Iam video quid egeris. (hic pergeret pro nobis ipse Hieronymus lib. 3. in Ruffinum.) *In Epistola Sancti Papæ lubricus extitisti & turbatus, in quo figas gradum non reperis. Modo enim dicis à nobis esse compositam, nunc ab eo ad te debuisse transmitti* (vt audireris.) [Rursus iniustitiam scribentis arguis: etiamsi scripta sit ab illo siue non scripta, ad te nihil pertinere testaris, qui præcessoris eius habeas testimonium, & rogantem Romam vt eam illustrares præsentia tua. Sed si à nobis fictam Epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ Chartario non requiris? vt cum deprehenderis ab Episcopo non datam, manifestissime criminis reum teneas, & nequaquam aranearum nobis opponas casticulos, sed fortissimo nos & solidissimo rethe constringas. Si autem Romani Episcopi est, stulte facis ab eo exemplar causamve Epistolæ petere, cui missa non est, & non ab illo, qui miserit, de longinquo expectare testimonium, cuius authorem & testem habeas in vicino. Vade potius Romam, & præsens apud eum expostula, cur tibi & absenti, & innocenti fecerit contumeliam? primum vt non reciperet expositionem fidei seu doctrinæ tuæ, quam omnis, vt scribis, Italia comprobauit, & cur baculo tuarum vti noluerit litterarum contra Canes tuos; deinde vt Epistolas contra te mitteret, & cauterium tibi hæreseos vel erroris, dum nescis, inureret &c. Non est, non est leue quod tibi impingit tantæ Vrbis Pontifex, vel ab alio obiectum temere, ipse suscepit &c. Hæc, Frater Carissime, facere debueras, & non illis tergum obuertens, in nos transmarinas maledictorum tuorum sagittas dirigere. Quid enim vulneribus tuis proderit, si nos fuerimus vulnerati? an solatium percussi est, amicum secum videre morientem? Siricij iam in Domino dormientis, profers Epistolam, & viuentis postea Pontificis dicta contemnis. Si scripsit (vt ais) sufficit tibi totius orbis testimonium, quod nemini verum vel iustum videatur, vt tantæ Vrbis Sacerdos vel innocenti iniuriam ferre potuerit vel absenti: Innocentem te vocas? ad cuius interpræ-

tationem

tationem Roma contremuit: absentem? qui tantum Romanæ Vrbis iudicium fugis, vt magis obsidionem barbaricam quam pacatæ Vrbis velis sententiam sustinere]. Hæc ipse Hieronymus penitus accomodata in hunc ipsum Diatribarum scriptorem, qui tum alibi sæpe, tum hoc ipso loco iam verbis adductis, *malignitatis ac ignorantiæ* audacissime insimulauit Romanos Censores, Pōtificiosque administros, nec postea erubuit pro edocendis eisdem, e tripode veluti, Consiliorum oracula fundere, pro inuertenda nimirum vel immutanda ab Apostolica Sede probata hactenus, ac consueta ab antiquo, forma iudicij Romani, censorumque delectu, nec videns aut recolens, quod in persona eorumdem Romanorum Iudicum Tertullianus apponeret in libro præscriptionum: *quis seruus*, inquit, *cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus Regis donarium & stipendium optat, nisi plane desertor & transfuga & rebellis? Nemo inde instrui potest, vnde destituitur: Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur: quæramus ergo de nostro & a nostris, & de nostro*; non vero ab isto, qui hostiliter adeo Romanos Iudices ignorantiæ atque factionis, tum sæpe hoc libro, tum Diatriba 9. præsertim S. 10. criminatus est. Cum tamen iterum opportune idem Tertullianus præueniret & istam factionis calumniam in Apologetico cap. 39. scribens: *Cum probi, cum boni coeunt, cum pij congregantur, non est factio dicenda, sed Curia; potius illis factionis nomen accomodatum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant*; sicut re ipsa hic idem impostor tot nostris sacri Ordinis Professoribus, tot S. Thomæ discipulis, tot Ecclesiæ administris, attributis commentis, falsitatibus imputatis (ac refutatis hucusque) calumnijs in probos vtique tam truculenter, tam impudorate conspirasse videtur, vt me vix tandem cohibere nunc possim, quin simul cum Augustino libr. 4. in Iulianum operis imperfecti cap. 50. concludam. *Fuisti in disputatione loquacissimus, in contentione calumniosissimus, & in professione fallacissimus, nihil enim quod diceres inueniens, inania multa dixisti, falsa crimina Catholicis obiecisti, Catholicum te esse* (seu, vt mitius ipsi loquamur) *timoratæ conscientiæ virum te esse mentitus es. Vtpote qui* (sicut de Gulielmo à Sancto Amore, eiusdem nostri Ordinis Dominicani damnato olim criminatore, loquebatur Alexander IV. Pontifex apud Bzouium ad annum 1257) *qui Fratres Prædicatores, quorum felicibus profectibus inuidebas, crudeliter & nequiter afflixisti, ac eorum fœcundum fructibus sanctitatis, & quasi quoddam sidus in Dei Ecclesia, refulgentem Ordinem aliàs conatus es verbis & litteris sacrilegis diffamare.*

Libri Quarti, & Primæ partis Finis.

BVLLA SANCTISSIMI D. ALEXANDRI PAPÆ IV. in laudem Professorum Ordinis Prædicatorum, vt legitur per extensum in Prologo Constitutionum eiusdem Ordinis.



Ælestis ille Agricola summus auctor fidei, præcipuusque protector, sacrum fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum fertile in Ecclesia Paradiso inseruit, vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, & fructuum suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fæcundum, ac dulce lignum imbre superno irrigatum pulchra plurima, ac dulcia poma profert, quorum odore ac sapore confortantur, & conualescunt debiles, varijsque detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati pabulum salutis inueniunt, & internam recipiunt sospitatem. Huius inquam ligni percepta fragrantia, vndiquè ad limen ipsius concurrunt innumeri Professores fidei; qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsorum prægustata dulcedine, ministrant & ipsi alijs suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suas vndique expandens flores plurimos honoris, & honestatis, fructusque vberrimos doctrinæ profert, & virtutis, & odorem sanctæ ac laudabilis conuersationis longè lateque diffundit. Hic est Ordo sacer Prædicatorum, honestate floridus, præclarus scientia, virtute fæcundus, à Sede Apostolica meritò approbatus, qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapientiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui, & approbati Ordinis fratres, Sacrarum scripturarum studio instanter incumbunt, animarum profectibus, Diuinis officijs & orationibus incessanter intendunt, atque Euangelicæ prædicationi ardenter insistentes, lumen Diuinæ doctrinæ vbique per orbem diffundunt. Hi sunt viri doctrina clarissimi, qui contemplationi cælestium feruenter inuigilant, & pia vitæ studio sine intermissione desudant. Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cælestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam alijs, & commodum ac profectum animarum Christi fidelibus exponendum. Vnde vbique per mundum ora ipsorum intonant veluti tuba, ac in omnem terram exit sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines Orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sydera in Ecclesiæ fundamentis suis splendidissimis documentis, viam cælestis vitæ mortalibus insinuant. Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui sua sacra conuersatione suauiter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt a somno negligentiæ celeriter surgere, & excussa prorsus inertia, ad opera lucis & bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo & hominibus, fratres videlicet Prædicatores, morum honestate conspicui, scientiæ titulis insigniti, quos æterni Patris benignitas inter plurimas personas Diuinis obsequijs deputatas, pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute, specialiter elegit, qui suum semper affectum ad amorem cælestium dirigentes, virtutem Diuini nominis vbique publicant, & pro Christianæ Religionis ampliando cultu vigili attentione laborant. Hi sunt, qui vitam & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola cruce Domini nostri Iesu Christi, & mundi pompas ac solatia spernentes, ad solam cælestem patriam, & ad Paradisi delitias recta intentione suspirant. Hi sunt qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes, elegerunt sub arctissima paupertate Deo deseruire, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Hi postremò sunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum cælestium reliquerint, sobriè, iustè, piè, & castè viuentes, ac exilia vita substata mendicantes Christum pauperem imitantur, perfectionem Euangelicam amplexando. Vnde clarissimè constat eos in statu perfectionis existere, & per sua Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius Euangelicæ perfectionis continet formam, in æterna retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.

INDEX
TOMI SECVNDI
SCILICET NOMINVM
ET RERVM NOTABILIVM

Numerus paginam, Litteræ A. B. C. Initium, medium, & finem paginæ indicant.

A

Ale-

INDEX.

INDEX.

Ad

INDEX.

INDEX.

INDEX.

Inter;

S. P. Dominicus Gusmanus.

E

Ecclesia.

Ecthesis.

Egnatius.

Elisæus Masinus.

Engelgraue.

S. Ephrem Syrus.

Episcopatus.

INDEX.

Gu-

INDEX.

Iaco-

INDEX.

Plu-

INDEX.

Am-

P

Paleologus.

Pallauicinus.

Parisiensis Apologista.

Parisiensis Synodus.

Parisiensis Vniuersitas.

Paulinus Lucensis.

D. Paulus Apostolus.

Paulus De Aquila.

Paulus Burgensis.

Paulus Nazarius.

Paulus Quintus.

Pellicanus Blesensis.

Petrus Alua, & Astorga.

Qua

Petrus Bergomensis.

Petrus Clerq.

Petrus Lombardus.

D. Petrus Martyr.

Petrus Rogerius.

Petrus Soto.

Petrus à Vallerlansa, & Diatribista.

Digitized by Google

INDEX.

Ex

INDEX.

INDEX.

Eius

INDEX.

Somnus.

Digitized by Google

INDEX.

Plu-

Digitized by Google

INDEX.

Aun-

INDEX.

exhi-

Digitized by Google

INDEX.

Digitized by Google

P

Paleologus.

Pallauicinus.

Parisiensis Apologista.

Parisiensis Synodus.

Parisiensis Vniuersitas.

Paulinus Lucensis.

D. Paulus Apostolus.

Paulus De Aquila.

Paulus Burgensis.

Paulus Grisaldus. Vide Grisaldus.

Paulus Nazarius.

Paulus Quintus.

Pellicanus Blesensis.

Petrus Alua, & Astorga.

Qui

Petrus Bergomensis.

Petrus Clerq.

Petrus Lombardus.

D. Petrus Martyr.

Petrus Rogerius.

Petrus Soto.

Petrus à Vallecłausa, & Diatribista.

Digitized by Google

INDEX.

Ex

INDEX.

INDEX.

Eius

INDEX.

Somnus.

INDEX.

INDEX.

depel-

Digitized by Google

INDEX.

F I N I S.

Digitized by Google



Digitized by Google


FRATRI SIC LOQVITVR THOMAS MIHI PAR EST IN GLORIA
CRVCIFIXVS
B. VIRGO
PRINCIPES APOSTOLORVM
D. AVGVSTINVS
S. FRANCISCVS
CONCILIORVM PATRES
RELIGIOSORVM CŒTVS
LITTERARIÆ VNIVERSITATES
IOANNES XXII.
INNOCENTIVS V.
CLEMENS V.
PAVLVS V.
ALEXANDER VII.
De Approbatione doctrinæ S. Thomæ Lib: VII. Tom: quartus III. De discipulis Thomæ in Augustinu
Auctore F. Seraphino Piccinardo Brixiensi, olim Metaphisico, nunc Theologo Publico Patauij in via S. Thomæ.
Dominus Gratia de Brixia ibidem ex eodem
Apud Bolandum Societ. Iesu.
Patauij Typis Frambotti.



Digitized by Google